12

BX
1912
.L64
1723
JESUITICA

ad bibliothecam
abbatiæ springiersbacensis.

BOSTON
IHS
COLLEGE

INSTRUCTIO PRACTICA NONA

UPPER LIBRARY.
ASCETICAL WORKS.

DE SACER- DOTII

L
BT
2

Origine & Præſtantia,

Varijs item Induſtrijs, & Praxibus, quibus Sacerdotes boni ad DEI gloriam, ſuámque & Proximi ſalutem promovendam ſunt uſi,

MALORUM QUOQUE SACERDOTUM infelici interitu, radicibus, & remediis.

Cui etiam Compendium Ritualis, ea, quæ pro commodiori Sacramentorum & Sacramentalium adminiſtratione ſerviunt, complectens, in calce adjectum eſt.

AUTHORE

R. P. TOBIA LOHNER, SOC. JESU PRESBYTERO.

EDITIO TERTIA.

Cum Gratia, & Privilegio Sacræ Cæſ. Majeſtatis, Et Facultate Superiorum.

IHS

DILINGÆ

Typis & Sumpt. JOANNIS CASPARI BENCARD, Viduæ & Hæredum.

ANNO M. DCCXXIII.

BOSTON COLLEGE
BOSTON COLLEGE
DOMESTIC LIBRARY
HIGH SCHOOL
248.72

Privilegium Cæſareum.

CAROLUS Sextus divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Würtembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, cùm nobis quondam Joannis Caſpari Bencard Vidua & Hæredes Auguſtæ Vindelicorum Bibliopolæ humillimè exponi curârint, quem in modum Patris Tobiæ Lohneri S. J. Bibliothecam concionatoriam in folio, unà cum ejusdem Inſtructionibus practicis undecim in Octavo prælo committere reſolverint, vereantur autem, nè æmulorum invidiâ hanc Editionem imitantium Impendij & laboris ſui fructu fruſtrentur: Ideoque Nobis demiſsè ſupplicârint, quatenus eorum indemnitati Privilegio Noſtro Cæſareo ſuccurrere clementiſſimè dignaremur, Nos ſubmiſſæ pariter ac æquæ eorum petitioni annuendum cenſuerimus. Ac proinde Authoritate Noſtrâ Cæſareâ omnibus & ſingulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & alijs quibuscunque rem librariam ſeu Negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus ac interdicimus, ne quis ſupranominatam Bibliothecam unà cum ejusdem dictis Inſtructionibus practicis ſub hoc aliove Titulo per decem annorum ſpatium ab hodierno die computandum intra ſacri Romani Imperij & Regnorum ditionúmque noſtrarum hæreditariarum fines recudere, vel alijs recudendam dare, aliorsúmve impreſſam apportare, vendere vel diſtrahere citra præfatorum Impetrantium, Hæredúmque ac Succeſſorum voluntatem & aſſenſum in ſcriptis obtentum auſit vel præſumat; ſi quis verò ſecùs faciendo Privilegium hoc noſtrum ſeu inderdictum violare, contemneréque præſumpſerit, eum non ſolùm ejusmdi Exemplaribus

ubi-

ubicunque locorum repertis perperam quippe recuſis ſeu apportatis (quæ dicta Vidua & Hæredes, ſive propriâ Authoritate, ſive Magiſtratûs illius loci auxiliô ſibi vindicare poterunt) de facto privandum, ſed & decem Marcarum Auri puri pœnâ ærario, ſeu Fiſco Noſtro Cæſareo & Parti læſæ ex æquo pendenda omni ſpe veniæ ſublatâ, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Privilegij in fronte libri impreſſus reperiatur, & conſueta quinque Exemplaria Conſilio noſtro Imperiali Aulico tradantur. Mandamus itaque omnibus & ſingulis Noſtris & ſacri Imperij Regnorúmque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, cujuscumque ſtatûs, Gradûs, dignitatis aut Ordinis, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu exiſtentes, vel ſuô, vel ſuperiorum ſuorum locô jus, Juſtitiamque adminiſtrant, ne quempiam Privilegium hoc noſtrum Cæſareum impunè violare, ſpernere aut transgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces compererint, conſtitutâ à nobis mulctâ eos puniri, & quibuscúmque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam noſtram Indignationem & prædictam pœnam evitare voluerint. Harum Teſtimonio literarum manu noſtrâ ſubſcriptarum & ſigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur in Civitate Noſtra Vienna vigeſimâ quinta Auguſti Anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Romani undecimo, Hiſpanicorum decimo nono, Hungarici & Bohemici verò duodecimo.

CAROLUS. (L. S.)

Vt. Fridericus Carolus

Com. de Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Maj. proprium.

J. S. Hayeck de Waldſtätten.

Reve-

REVERENDISSIMO,
PRÆNOBILI, ET AMPLISSIMO
DOMINO DOMINO
JOANNI
GÖZFRID
SS. Theologiæ Doctori,
REVERENDISSIMI, ET SERENISSIMI PRINCIPIS ET EPISCOPI RATISBONENSIS IN SPIRITUALIBUS
VICARIO GENERALI
OFFICIALI ET CONSILIARIO,
Nec non
Cathedralis Eccleſiæ Ratisbonenſis
CANONICO,
DOMINO MEO GRATIOSO.

VEreri equidem non immeritò debebam, ne in authoritatem & dignitatem Reverendiſſimæ ac Grat. Dom. Veſtræ graviter peccarem, dum tenuiſſimum hoc opuſculum illuſtri ejuſdem Nomini

mini inſcribere & dedicare præſu-
mo; ſed facilè veniam audaciæ tanta
obtenturum me confido, ſi triplici
titulo, velut triplici funiculo, qui dif-
ficulter rumpitur, me ad hunc Libel-
lum ipſi potiùs, quàm alteri dedican-
dum, conſtrictum fuiſſe intellexerit.
Cùm enim primò præcipuus Inſtru-
ctioni huic in lucem datæ Scopus
mihi fuerit præfixus, ut Sacerdoti-
bus ſinceram, ac ſtatu, vocationé-
que ſuâ altiſſimâ dignam æſtimatio-
nem ingenerarem, ſimúlque varias
induſtrias, quibus & ſuam, & alio-
rum ſalutem ac perfectionem majo-
ri dexteritate ac fructu procurare
poſſent, ſuggererem, meritò non
parùm ad hunc Scopum certiùs ob-
tinendum conducere videbatur, ſi
non mortuorum duntaxat pulcher-
rima exempla, ſed recentiora etiam
adhuc viventium facta eiſdem ob

ocu-

oculos ponerem; nec ſanè diu talia mihi quæreda fuerunt, cùm in Reverendiſſima & Grat. Dom. Veſtra abunde illa invenerim, ut quæ tum propter eximiam Theologicorum, Canonicorúmque dogmatum notitiam; tum propter ſingularem vitæ inculpatæ, morumque innocentiam ac gravitatem; nec non copioſiſſimum, ſolidarum, ſelectarúmque virtutum apparatum uſque adeò fulgere cœpit in domo DEI, ut meritò ex modio privatæ vitæ extrahendam, & ſuper Candelabrum Vicariatûs Generalis ponendam cenſuerint Superiores, ut verbo & exemplo præluceret omnibus, qui in Diœceſi ſunt. Quòd ſi & ipſam in Paſtoris munere per multos annos obeundo indefeſſam ſedulitatem ac vigilantiam: in dirigendis animabus ſingularem dexteritatem & Zelum: in Sacerdo-

cerdotibus gubernandis eximium fervorem, & prudentiam: in laboribus denique tolerandis, difficultatibúſque ſuperandis invictam conſtantiam perpēdere voluero, an non jure æquiſſimo iterum Reverendiſſimam & Grat. Dom. Veſtram Sacerdotibus omnibus in vivum & genuinum veri Paſtoris Exemplum proponere, illáque DEI ad Moyſen olim dicta verba: *Aſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi propoſitum eſt*: uſurpare potero?

Jam verò ſi affectum, quo Reverendiſſima & Grat. Dom. Veſtra & me, & Socios meos, conſtanter hactenus proſecuta eſt, conſiderem: ſi favorum & beneficiorum, quos nobis liberaliſſimè exhibuit, multitudinem & magnitudinē perpendam: an non æquiſſimum iterum videri poterat, ut, quoniam totum obliga-

tionis

tionis contractæ debitum perſolvere poſſum, exiguum ſaltem mutui affectûs teſtimonium, gratámque beneficiorum acceptorum memoriam, velut tenuem cenſum offerrem.

Si denique per hunc libellum ipſum meum deſiderium, quo Inſtructionem hanc à Sacerdotibus, in quorum præcipuè utilitatem ea à me, perinde, ac præcedentes octo, compoſita eſt, ſedulò evolvi, ac ipſa praxi confirmari deſidero, impleri cupiam, an non tertia mihi cauſa offerri meritò cenſetur, ut libellum hunc Reverendiſſ. & Grat. Dom. Veſtræ patrocinio totum committam. ut per eandem aliis etiam ſubjectis Sacerdotibus commendetur, atque adeò optatus à me, & aliis fructus ſubſequatur.

Accipiat ergo Reverendiſſima ac Grat. Dom. Veſtra opuſculum hoc eo

eo animo ac benevolentiâ, quâ aliorum ſuorum Clientum obſequia admittere conſuevit, &, ut idipſum ſubjectis Sacerdotibus ad finem præfixum obtinendum innoteſcat, cooperatione ſua, authoritatéque efficere dignetur. Interea, ut DEUS ter Opt. Max. Eandem inter tot labores ac conatus diu ſalvam, incolumémque ſervare, atque per Ipſius Zelum & operam, divinæ ſuæ gloriæ, Eccleſiæ, & Diœceſis *Ratisbonenſis* commodum & augmentum copiosè promovere velit, ex animo voveo, precórque. Monachij vigeſimo Septembris. Anno poſt Chriſtum natum M. DCLXXXI.

Reverendiſsimæ ac Generoſæ
Dominationis Veſtræ

Infimus & addictiſſimus Servus

Tobias Lohner
Soc. Jeſu.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

DUm altiſſimam Sacerdotalis ſtatûs dignitatem, & præclaras, quæ ab eodem offeruntur, tum ad DEI, Chriſtique gloriam, tum ad ſuam aliorúmque ſalutem promovendam occaſiones ex una parte mecum perpendo; ex altera verò parte, quam pauci has occaſiones, ut æquum foret, arripiant, atque adeò inexplicabili Vocationis Beneficio reſpondeant, accuratiùs conſidero, equidem non immeritò cum Chriſto exclamare poſſe videor; Multi vocati, pauci verò electi. *Id quod jam olim Origines lib. 6. in levit. ſenſit, dum dixit;* Aliud arbitror eſſe in Sacerdotibus officio fungi, aliud eſſe inſtructum & ornatum; quiſque enim poteſt Solemni Miniſterio fungi ad populum; pauci tamen ſunt, qui ornati moribus, inſtructi doctrinâ, ſapientiâ eruditi, ad manifeſtandam rei veritatem ſint idonei, & qui ſcientiam fidei non ſine ornamento ſenſuum, & aſſertionum fulgore depromant. Quod aureæ laminæ capiti impoſitæ deſignat ornatus. Unum igitur Sacerdotis nomen, ſed non una vel pro vitæ merito, vel pro animæ virtutibus dignitas. *Dum verò & cauſam, atque radicem hujus ſocordiæ indago, non aliam ſanè invenio, quàm quòd beneficium ſuæ vocationis, & Sacerdotalis ſtatûs dignitatem atque præſtantiam non ſatis æſtimare; nec aliorum bonorum Sacerdotum præclara Exempla conſiderantes, iiſdem ad laudabilem imitationem ſe accedere ſtudeant; hæc namque duo media præcipuè efficacia eſſe ad viam perfectionis & ſanctitatis*

 feſtino

feſtino pede decurrendam, jam olim Sponſæ Cant. c. 1. indicavit, dicens: Trahe me *(quibus verbis grande deſiderium ſequendi ſponſum innuit)* poſt te curremus in oderem unguentorum tuorum, *quibus verbis cauſam tanti deſiderij ſignificavit, quòd ſcilicet exemplum ſui Sponſi, id eſt, præclaras dotes ac virtutes conſiderans, eorundem odore perinde ad imitationem incitata ſit; quemadmodum columbæ ab alia columba balſamo inuncta per odorem ad ſequelam trahi ſolent. Atque hæc videlicet præcipua cauſa fuit, cur poſt alias Inſtructiones practicas in Sacerdotum utilitatem compoſitas, typóque commiſſas, etiam hanc non minùs, ut ſpero, utilem futuram componere decreverim, ut videlicet quemadmodum hactenus eorum Intellectum potiſſimùm illuminare conatus ſum, ut, quid faciendum ſit, intelligant, ita hâc Inſtructione voluntatem quoque accendere ſtudeam, ut, quæ facienda eſſe per Intellectum cognoverunt seriò, efficacitérque exequi velint. Ne tamen, dum noſtræ Societatis exempla crebriùs affero, offendi quis forſitan poſſit, ſciat, amicus Lector, id non ideo me feciſſe, quòd præſtantiora hæc exempla ideóque præferenda alijs judicaverim, ſed quòd planè aliorum Sacerdotum aut Religioſorum vitam aut hiſtorias ad manus non habuerim; unde quando talia exempla retulero, authores eorum non ut Religioſi Societatis JESU, ſed ut Sacerdotes conſiderandi ſunt; ſic enim non minùs eorum, quam aliorum Sacerdotum exempla ſufficientia erunt ad imitationis deſiderium excitandum.*

Quare in tres partes hæc Inſtructio dividetur, quarum prima de Origine & præſtantia Sacerdotij tractabit, in qua ipſi etiam ritus in collatione Ordinum adhiberi ſoliti ex Romano Pontificali afferentur, ut eorundem

dem Ordinum Canditati, qui ad manus Pontificalia talia non habent, priùs eoſdem relegere, atque adeò ad illos cum majori decentia & reverentia ſuſcipiendos præparare ſe queant. Secunda præcipuas induſtrias & Exempla, quibus optimi quique Zeloſiſſimíque Sacerdotes ſuam, ſuorúmque ſubditorum ſalutem ad Majorem DEI Gloriam promovere ſtuduerant, exarabit. Tertia tandem malorum Sacerdotum infelices exitus, pœnáſque referet, ut, qui ſe bonorum Sacerdotum exemplis, præmiiſque trahi ad æmulationem non ſinunt, timore ſaltem ſuppliciorum ſceleratis Sacerdotibus imminentium coërceantur, atque ad remedia, quæ eundem in finem in hac parte præſcribentur, adhibenda, radicéſque, quas aſſignavero, efficaciter extirpandas excitentur. Faxit DEUS, ut eâdem, quâ priores meas Inſtructiones amplexi ſunt, alacritate ac benevolentiâ etiam hanc ſuſcipiant, & optatos ad omnem honeſtatem ſectandam, vocationémque ſuam perfectiſſimè adimplendam ſtimulos cum inſigni ſuo, & ovium ſibi commiſſarum emolumento concipiant.

Quia verò à pluribus Sacerdotibus rogatus ſum, ut compendium Ritualis eos præcipuè ritus, qui pro quotidiana Sacramentorum & Sacramentalium adminiſtratione præſcripti ſunt, juxta morem quarundam Diœceſium colligerem, etiam hoc obſequium eiſdem denegare nolui, ita tamen memoratum compendium Inſtructioni huic annectens, ut pro libitu illud ab eadem ſeparare, & ſeorſim uſurpare poſſint. Sequenti menſe etiam Bibliotheca Manualis copioſum pro concionibus formandis apparatum magno volumine complectens eiſdem à me offeretur.

INDEX

INDEX TITULORUM hujus Operis.

PARS I.

De Sacerdotij origine & præſtantia.

CAPUT I.

De origine & eſſentia Sacerdotij.

§. 1. Quid ſit Sacerdotium. fol. 1.
§. 2. Per quos gradus ad Sacerdotium perveniatur. 3.
§. 3. Quibus ritibus Sacerdotium, & reliqui Ordines conferantur. 7
Membrum 1. De ijs, quæ præmittenda ſunt ordinationi. ibid.
Membrum 2. De Clerico faciendo. 11
Membrum 3. De minoribus Ordinibus. 16
Membrum 4. De ordinatione Oſtiariorum. 17
Membrum 5. De ordinatione Lectorum. 19
Membrum 6. De ordinatione Exorciſtarum. 22
Membrum 7. De ordinatione Acolythorum. 24
Membrum 8. De ſacris Ordinibus. 28
Membrum 9. De ordinatione Subdiaconi. 29
Membrum 10. De ordinatione Diaconi. 38
Membrum 11. De ordinatione Presbyteri. 46
Membrum 12. De ordine Miſſæ à Presbyteris ordinandis obſervando. 65

CAPUT

CAPUT II.

De praſtantia Sacerdotij.

§. 1. De intrinſeca præſtantia Sacerdotij. 72
§. 2. De præſtantia extrinſeca Sacerdotij, ſeu ex aliorum teſtimonio. 75
Teſtimonium DEI. ibid.
Teſtimonium Chriſti. 77
Teſtimonium B. Virginis. 78
Teſtimonium Angelorum. 79
Teſtimonium Sanctorum. 80
Teſtimonium Doctorum Eccleſiæ. 81
Teſtimonium aliorum SS. Patrum. 82
Teſtimonium Conciliorum. 83
Teſtimonium ſummorum Pontificum. 84
Teſtimonium Imperatorum, ac Regum. 89

PARS II.

De Exemplis & induſtriis bonorum Sacerdotum, quibus ſuam & proximi ſalutem procurare conati ſunt.

CAPUT I.

De Exemplis bonorum Sacerdotum ad propriam ſalutem pertinentibus.

§. 1. Exempla Fidei à Sacerdotibus relicta. 89
§. 2. Exempla Spei. 91
§. 3. Exempla Caritatis Divinæ. 98
§. 4. Exempla Prudentiæ. 105
§. 5. Exempla Juſtitiæ. 110

Exem-

Exempla Religionis erga DEUM. 11[illegible]
Erga Chriſtum. 11[illegible]
Erga B. Virginem. 12[illegible]
Erga Sanctos. 136
Exempla Obedientiæ. 140
§. 5. De Exemplis Fortitudinis à Sacerdotibus reli-ctis. 148
Exempla Patientiæ. ibid.
Exempla Conſtantiæ. 156
§. 6. De Exemplis Temperantiæ relictis à Sacerdoti-bus. 160
Exempla Paupertatis ſpiritualis. ibid.
Exempla Abſtinentiæ. 170
Exempla Sobrietatis. 174
Exempla Caſtitatis. 176
Exempla Manſuetudinis. 186
Exempla Modeſtiæ. 190
Exempla Sedulitatis. 193
Exempla Taciturnitatis. 195

CAPUT II.

De Exemplis Sacerdotum ad Proximi ſalutem pertinentibus.

Titulus I.

De Exemplis in agendo cum varijs

§. 1. De Exemplis Caritatis erga Infideles. 199
§. 2. De Exemplis Caritatis erga Hæreticos. 202
§. 3. De Exemplis Caritatis erga Peccatores. 205
§. 4. De Exemplis Caritatis erga Inimicos. 210
§. 5. De Exemplis Caritatis erga Infirmos. 214

§. 6.

§. 6. De Exemplis Caritatis erga Peſtiferos. 216
§. 7. De Exemplis Caritatis erga Captivos. 219
§. 8. De Exemplis Caritatis erga Pauperes. 212
§. 9. De Exemplis Caritatis erga Peregrinos, vel Hoſpites. 226
§. 10. De Exemplis Caritatis erga Domeſticos. 229
§. 11. De Exemplis Caritatis erga Defunctos. 232

Titulus II.

De Caritate erga proximum in varijs functionibus.

§. 1. De Caritate à Sacerdotibus per conciones exercita. 236
§. 2. De Caritate per catechizationem rudium à Sacerdotibus exhibita. 241
§. 3. De Caritate per Sacramentorum adminiſtrationem à Sacerdotibus demonſtrata. 245
§. 4 De Caritate per converſationem privatam à Sacerdotibus demonſtrata. 249
§. 5. De felici morte zeloſorum Sacerdotum. 251

PARS III.

De malorum Sacerdotum infelici exitu & pœnis.

Caput I.

Qui Sacerdotes hoc loco potiſſimùm intelligantur. 257

Caput II.

De damnis ex malorum Sacerdotum vita oriundis. 259

Caput

CAPUT III.

De infelici exitu malorum Sacerdotum. 26
§. 1. De Luxuria in Sacerdotibus caſtigata. 26
§. 2. De Avaritia Sacerdotum caſtigata. 26
§. 3. De Pluralitate Beneficiorum in Sacerdotibus caſtigata. 26
§. 4. De Gulæ intemperantia in Sacerdotibus caſtigata. 26
§. 5. De Superbia in Sacerdotibus Caſtigata. 27

CAPUT IV.

De radicibus ſeu caſibus malorum Sacerdotum. 27

CAPUT V.

De remedijs pro malis Sacerdotibus emendandis. 27

PARS I.

DE SACERDOTII ORIGINE ET PRÆSTANTIA.

QUemadmodum in omnibus ferè alijs rebus, quarum Naturam perfectè cognoſcere deſideramus, duæ præcipuè quæſtiones formantur, videlicet *quid ſint*, & *quales ſint*; ita cùm in hac parte Sacerdotij Naturam indagare, declararéque conſtitutum ſit, meritò eædem duæ quæſtiones per diverſa duo capita reſolvuntur, & in priori quidem ipſa Sacerdotij eſſentia explicatur, & ſic quæſtio, *quid ſit*, reſolvitur; in poſteriori verò ejusdem Sacerdotij præſtantia declaratur, eâdémque operâ ad quæſtionem *quale ſit* reſpondetur.

CAPUT I.

DE ORIGINE ET ESSENTIA SACERDOTII.

AD hanc quæſtionem reſolvendam tria potiſſimùm demonſtranda ſunt, 1. Quid ſit Sacerdotium, & unde ſuam originem ſumpſerit. 2. Quibus gradibus ad illud perveniatur; quæque diſpoſitiones requirantur. 3. Quibus ritibus & Cæremonijs tum ipſum Sacerdotium, tum reliqui Ordines conferantur; quæ proin omnes quæſtiones tribus diſtinctis §§. reſolventur.

§. I.

Quid ſit Sacerdotium.

I. Etſi varijs in omni lege modis debitus DEO cultus ſit exhibitus præ cæteris tamen ſemper Sacrificium ipſi pla-

cuiſſe conſtat, utpote per quod DEUM velut ſummi omnium rerum Dominum, ac Principem omnium bo rum largitorem profitemur, atque adeò ſoli DEO propri eſt, uti Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. c. 3. his verbis ſtatuit: *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum n nullas interdum Miſſas celebrare conſueverit, non tam illis offerri Sacrificium docet, ſed DEO ſoli; qui illos co navit, unde nec Sacerdos dicere ſolet: Offero tibi Sacr cium hoc, Petre, vel Paule: Sed DEO de victoriis illor gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro n intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam faci in terris.*

II. Atque hæc videlicet cauſa eſt, cur S. Thomas 2. q. 95. a. 1. ad. 1. Azot. l. 10 mor. c. 7. q. 7. Sacrificium g neratim ſumptum à jure naturæ præſcriptum putet, eò qu recta ratio dictet, DEUM, velut omnium bonorum Auth rem, Sacrificijs eſſe placandum. Hinc mox ab Orbe co dito Cain & Abel Sacrificia obtulerunt, Patris utique p euntis Exemplum ſecuti. Hinc & in lege Moſaica DE ſeptemplicis generis Sacrificia inſtituit, uti ex primis ſept Levitici capitibus conſtat. Ut adeò mirum videri non beat, ſi Chriſtus: quemadmodum Legem Gratiæ lege Na ræ & Moſaica longiſſimè perfectiorem fundavit, ita Sacri cium quoque longè perfectius in eadem offerri voluer ut iterum Concilium Tridentinum l. c. c. 1. ſequenti verbis apertè profitetur: *Quoniam ſub priori Teſtamen teſte Apoſtolo Paulò Heb. 7. propter Levitici Sacerd imbecillitatem conſumatio non erat, oportuit DEO P miſericordiarum ita ordinante Sacerdotem alium ſec dùm Ordinem Melchiſedech ſurgere, Dominum noſtr JEUM Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctifica eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere. Is igi DEUS ac Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara Cru morte intercedente, DEO Patri oblaturus erat, ut ætern illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem cerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna noviſſim quâ nocte tradebatur, ut dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ v bile, ſicut hominum natura exigit, quo cruentum illud mel in Cruce peragendum repræſentaretur, ejúsque mem*

via in finem uſque ſaculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem ſecundùm Ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini DEO Patri obtulit, ac ſub eorundem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc Novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.

III. Ex quibus verbis facilè nunc patet origo Sacerdotij; cùm enim Sacrificium in genere ſit actio, per quam res corporea primùm certis verbis & cæremonijs ſacrata, & poſtea ritu debito, in finem congruentem DEO offertur, uti Azor ex S. Thoma deſcribit; in ſpecie verò Sacrificium Miſſæ in conſecratione, vel ut alij volunt, etiam in oblatione & ſumptione conſiſtat, clarè colligitur, Miniſtros quoſdam inſtitui debuiſſe, per quos eæ actiones legitimè peragerentur, quos perinde rectè Sacerdotes, uti & ipſum eorum munus Sacerdotium appellamus, atque adeò rectè Sacerdotium à principali ſuo munere definiri, legitimam poteſtatem ad Sacrificium Miſſæ offerendum; ad hunc quippe finem omnes reliqui Subordinati gradus & Ordines inferiores ordinantur, ut ſequenti §. videbimus.

§. II.

Per quos gradus ad Sacerdotium perveniatur.

I. Quemadmodum DEUS in multis alijs caſibus ſe Naturæ, ejúſque modo procedendi accommodare ſolet, ita id ipſum etiam in Sacerdotij inſtitutione obſervare voluit; atque adeò ſicut formæ aliæ, quo majorem in ſe perfectionem continent, tantò plures, perfectioréſque diſpoſitiones requirunt, ut vel ex modo & difficultate illam producendi ejusdem perfectio colligatur, ita cùm, ut Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 2. loquitur, divina res ſit tam ſancti Sacerdotij Miniſterium, conſentaneum fuit, quò digniùs &

majori cum venetatioine exerceri poſſet, in Eccleſiæ o dinatiſſima diſpſitione plures & diverſi eſſent Miniſtr rum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent, ita di tributi, ut, qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, p minores ad majores aſcenderent.

II. Primus ergo Gradus, per quem ad Sacerdotium aſce ditur, *Tonſura prima* vocatur, per quam à Mundo & Sæc laribus rebus aliquis ſeparatur, & divino cultui, miniſteri que Eccleſiæ deputatur, atque adeò Clericus, ſeu in ſorte Domini aſſumpus efficitur. Sicut enim Romani olim Senatum & Populum diſtributi ſunt, ita nunc ſanctiore diſci plina totus Populus Chriſtianus in Clerum, & Populum di viditur, ita ut à Clero; id eſt, ſorte Clerici, à Populo, q græcè λαός vocatur, Laici appellentur, qui quidem long inter ſe intervallo ſecernuntur; ut enim DEUS ab initio d viſit aquas, quæ fuerant ſub firmamento, ab aquis, quæ era ſupra firmamentum, ita Chriſtus Clericus à Laicis ſeparav ideóque ad Apſtolos Jo 16. dixit: *Vos elegi de Mundo, de Mundo non eſtis.* Unde ipſi Apoſtoli Act 6. dixerun *Non eſt æquum nos derelinquere Verbum DEI, & miniſtr re menſis. Conſiderate ergo, Fratres, viros ex vobis bo teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto & Sapientia, qu conſtituamus ſuper hoc opus. Nos verò Orationi & Mi ſterio Verbi inſtantes erimus.* Ex quo colligitur tres e primæ Tonſuræ primarios effectus. 1. quòd ad tres Eccl ſiaſticas, Ordinéſque olim ſuſcipiendos deputetur 2. Quò Beneficij Eccleſiaſtici capax efficiatur. 3. Quòd privilegiu *fori*, ut vocant, ſortiatur, ita ut ad ſæculare tribunal n trahi, nec ab alijs, quàm Judice Eccleſiaſtico impunè ve berari absque ſacrilegio poſſit.

III. Secundus Gradus eſt *Oſtiariatus*, in quo per C vium traditionem poteſtas aperiendi Eccleſiam fidelibu & claudendi Infidelibus conceditur; per funis verò, vel communiùs fieri ſolet, per cymbali p rrectionem poteſt Populum ad Eccleſiam convocandi confertur. Unde pate Oſtiarios, cùm hoc ipſorum Officium, aperiendi ſcilicet, claudendi materialia templa, & campanas pulſandi plerum que nunc per ſæculares Miniſtros peragantur, tantò mag ſolliciros eſſe debere, ut hæc officia in ſpiritualibus templ

ad

adimpleant, atque adeò, ut Pontificale loquitur, inviſibilem DEI domum, corda ſcilicet Fidelium; dictis & exemplis ſuis claudant Diabolo, Deóque aperiant.

IV. Tertius Gradus *Lectoratus* appellatur, in quo per traditionem libri Lectionum confertur poteſtas Verbum DEI, aliásque ſacras Lectiones legendi, unde Epiſcopus in Ordinatione admonet illos, ut verba DEI, & Lectiones ſacras diſtinctè, apertéque ad intelligentiam & ædificationem proferant, & quod ore legunt, corde credant, & opere compleant, quatenus Auditores ſuos Verbo & Exemplo pariter docere queant. Hinc etiam, dum legunt, in edito loco ſtare jubentur, ut ab omnibus videantur, & audiantur, figurantes poſitione corporali, quòd in alto virtutum gradu debeant converſari, quatenus cunctis, à quibus videntur, & audiuntur, cœleſtis vitæ formam præbeant.

V. Quartus Gradus *Exorciſtatus* vocatur, in quo per traditionen libri Exorciſmorum confertur poteſtas Dæmones ab obſeſſis corporibus expellendi; unde duo præcipuè Exorciſtæ curanda ſunt. 1. Ut is ſit, quem meritò inferna monſtra pertimeſcant. 2. Ut à ſuo, omniúmque animo arceat, & deijciat beſtias illas infames, quæ vel per vim, vel per artem, clam aut palam inſidiantur noſtræ ſaluti; hanc enim ob cauſam ab Epiſcopo ſequentibus verbis admonetur: *Studete igitur, ut, ſicut à corporibus aliorum Dæmones expellitis, ita à mentibus & corporibus veſtris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis, ne illis ſuccumbatis, quos ab alijs veſtro miniſterio effugatis.*

VI. Quintus Gradus *Acoluthatus* nominatur, in quo gemina poteſtas confertur. 1. Ut accendere Acoluthi in Eccleſia lumina, & deferre poſſint; Unde admonentur, ut ſuæ vitæ ſanctimonia prælucere omnibus ad pietatem ſtudeant, & caritatis ardore divinum in animis mortalium ignem accendant, unde Epiſcopus eos ſequentibus verbis hortatur: *Studete ſuſceptum officium ritè implere; non enim DEO placere poteritis, ſi lucem manibus praeferentes, operibus tenebrarum inſerviatis.* 2. Ut aquam & vinum ad Eucharistiam miniſtrare poſſint: unde ſtudere debent, ut etiam ſe ipſos in Sacrificium vivum DEO offerant, quemadmodum ipſos Epiſcopus ante Conſecrationem monet, dicens: *Hunc*

etenim in DEI Sacrificio dignè vinum ſuggeretis & aquam, vos ipſi DEO Sacrificium per caſtam vitam, & bona opera oblati fueritis.

VII. Sextus Gradus eſt *Subdiaconatus*; in quo confertur duplex præcipuè poteſtas, nempe ſubſervire ſacro præparando, mundando calicem & patenam, & Epiſtolam in Miſſa ſolemni cantando; unde materia hujus Ordinis eſt traditio calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſitâ, & traditio libri Epiſtolarum; urceoli verò etiamſi pariter illi tradantur, non tamen ſunt materia, ne partialis quidem hujus Sacramenti, eò quòd non fiat ab Epiſcopo, nec unum ſit de præcipuis muneribus Subdiaconi, neque ullam habeat formam annexam. Amictus verò, Manipulus, & tunica, etſi cum certa verborum formula tradantur, quia tamen non ſpecialem, ſed omnibus ſacris Ordinibus communem ſignificationem & poteſtatem continent, ideo nec ipſa etiam materia partialis ſubdiaconatus vocantur.

VIII. Septimus Gradus *Diaconatus* appellatur: in quo confertur poteſtas Evangelium in Miſſa ſolemni canendi, illúdque Populo ex pulpito exponendi, quem in finem liber Evangeliorum velut partialis materia traditur; nam altera partialis materia impoſitio manûs ab Epiſcopo facta cenſeri debet, per hanc quippe accipit gratiam Spiritûs ſancti, ut quemadmodum nomen Diaconi indicat, dignè Presbytero aſſiſtere, aliáque muneri ſuo convenientia opera ritè ac fructuosè peragere poſſit. Quem in finem dicit ad eum Epiſcopus: *Accipe Spiritum ſanctum & robur, & ad reſiſtendum Diabolo & tentationibus ejus*

IX. Octavus Gradus eſt ipſe *Presbyteratus*, ſeu *Sacerdotium*; in quo gemina poteſtas, ſacroſanctum ſcilicet Miſſæ Sacrificium offerendi, & à peccatis Fideles abſolvendi confertur; prior quidem per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum Hoſtia; poſterior verò impoſitione manuum à ſolo Epiſcopo facta, uti pluribus ſequenti §. dicetur.

X. Porro ad hunc Presbyteratûs gradum ſequentes qualitates juxta communem Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam requiruntur. 1. Ut baptizatus & confirmatus ſit. 2. Ut maſculini ſit generis. 3. Ut Ordinarii ſubditus ſit, ſive ratione Originis, ſive Domicilij, ſive Beneficij, ſive

trie

triennalis familiaritatis ſeu commenſalitatis cum Epiſcopo ordinante. 4. Ut legitimè natus ſit. 5. Ut non ſit Hæreticus, aut etiam irregularis. 6, Ut vigeſimum quintum annum attigerit. 7. Ut de morum integritate ac probitate legitimum teſtimonium habeat. 8. Ut ſufficientem doctrinam habeat, id eſt, ſciat omnia, quæ Ordini ſuo ritè exercendo conveniunt, qualia ſunt Officii divini recitatio, Miſſæ celebratio; Sacramentorum adminiſtratio, Verbi divini prædicatio & ſimilia. 9. Ut convenienti Titulo Menſæ, ut vocant, ſit inſtructus, aut Beneficium Eccleſiaſticum aut Patrimonium poſſideat, quod ſibi ad victum honeſtum ſufficiat; ne cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere cogatur.

§. III.

Quibus ritibus Sacerdotium & reliqui Ordines conferantur.

Cùm Cæremoniæ & ritus in conferendis Ordinibus adhiberi ſoliti in Pontificali Romano potiſſimùm deſcribantur, placet eoſdem iis ipſis, ut, ubi obſcurior aliquis ſenſus explanationem exigere; aut aliud aliquid notandum occurrere videbitur, diſtincto charactere breviter id ſubijciatur.

Membrum I.

DE IIS, QUÆ PRÆMITTENDA SUNT ORDINATIONI.

I. Cùm Ordinationes faciendæ *a.* ſunt, per Sacriſtam, ſeu alium ad quem ſpectat, præparantur omnia, quæ neceſſaria ſunt pro Miſſa Pontificali. Et demum, cùm tempus Ordinationis inſtat, horâ competenti, Pontifex Cappâ magnâ indutus, Capellano illam poſt eum deferente, venit ad Eccleſiam, ubi Ordinationes fieri debent, & accedens ante Altare genuflexus ibi aliquamdiu orat.

Deinde vadit ad Sedem, ubi Paramenta capere conſuevit; vel, ſi non ſit in Eccleſia ſua, ad Faldiſtorium *b.* ad cornu Epiſtolæ ſibi paratum, ubi ſedens accipit omnia Paramenta Pontificalia coloris tempori convenientis, & mitram ſimplicem, dicens Pſalmum: *Quàm dilecta &c.*

A. Nempe tempore in Jure Canonico præſcripto *c. 3. de Temp. Ordin.* quod eſt reſpectu primæ Tonſuræ quicunque dies; reſpectu Minorum Ordinum quicunque dies Feſtivus, Dominica aut Sabbatum pro generali Ordinatione deputatum; pro ſacris verò Ordinibus Sabbata quatuor Temporum, Paſſionis, & Paſchatis; licet ob cauſam rationabilem, v. g. ob multitudinem Ordinandorum, infirmitatem Ordinantis vel Ordinandi, non ſit prohibitum, Ordinationem in diem Dominicam differre, vel continuare, & ſi jejunium in Sabato eò uſque fuerit extenſum, quia tunc Veſpera Sabbati, & Matutinum Dominicæ fictione Canonica pro uno die reputantur, uti *in cap. literas de Temp. Ord.* dicitur. Per privilegium tamen interdum conceditur à Pontifice, ut ſacri Ordines etiam extra præſcripta tempora diebus Dominicis vel Feſtivis conferantur, & recipiantur; ubi licet graves Authores nomine diei Feſtivi ſolum Feſtum Fori, quo Populus à laboribus ceſſat, intelligi velint; alij tamen non minùs probabiliter cum Barboſa *p. 2. de Offic. Epiſc. alleg. 17. n. 7* etiam Feſta chori, id eſt, dies quoscunque ſub ritu duplici celebrari ſolitos comprehendi docent. Porrò cur in ſupradictis Sabbatis potiùs, quàm alio tempore Ordinationes ſolemnes celebrentur, ratio communiter ab Authoribus aſſignatur, quòd hæc tempora ob jejunium & Fidelium preces ad majorem Ordinandis gratiam à DEO impetrandam aptiora videantur, quam ob cauſam etiam SS. Paulus & Barnabas ex præcepto Spiritûs ſancti ad prædicandum Gentibus miſſi priùs jejunaverunt, quàm manus ab Apoſtolis illis impoſitæ fuerunt. Quòd autem in Sabbato potiùs quàm alio die quatuor Temporum conferantur hi Ordines, congrua ratio eſſe poteſt, quòd Sabbatum requiem, Deique cultum ſignificet, requies verò à laboribus & negotijs ſæcularibus, ac DEI cultus præcipuè Clericis conveniat.

B. Faldi-

B. Faldiſtorium eſt ſedes nonnihil elevatior, & Baldachino inſtructa ad Epiſcopum honorandum, ejúsque eminentiam præ alijs Clericis demonſtrandam erecta.

C. Id eſt, nullo ſpeciali ornatu gemmarum, unionum, aut auri inſtructam, qualis præcipuis Solemnitatibus potiùs convenit.

II. Pontifex ſic paratus, baculum Paſtoralem in ſiniſtra tenens, accedit ad gradus Altaris, ubi depoſito baculo & mitra factâ Altari reverentiâ cum profunda capitis inclinatione, facit cum Miniſtris Confeſſionem *d.* Interim cantatur à Clero *Introitus* & *Kyrie eleiſon.* Finita Confeſſione, Pontifex aſcendit ad Altare, illud in medio oſculatur, & textum Evangelij ad ſiniſtram; incenſat Altare more ſolito, reſumit mitram & vertitur ad ſedem, ſeu ad Faldiſtorium, ad cornu Epiſtolæ, ubi depoſitâ mitrâ, & verſâ facie ad Altare, oblato ſibi per Miniſtrum libro, ex eo legit *Introitum* & *Kyrie eleiſon:* quibus dictis ſedet cum mitra, donec perficiatur à Choro ultimum *Kyrie eleiſon.* Quo finito, ſurgit Pontifex, & cum mitra ad Faldiſtorium ante medium Altaris ſibi præparatum accedit, & in illo ſedet, renibus Altari verſis. Tum Archidiaconus *e.* vocat omnes Ordinandos *f.* dicens: *Accedant omnes, qui ordinandi ſunt.*

D. Unâ cum ijs, quæ antecedunt Confeſſionem, & ſequuntur, ſicut in principio Miſſæ notatur.

E. Vel alius, qui quoad hunc actum officio Archidiaconi fungi ſolet, uti plerumque fieri conſuevit.

F. Per Ordinandos hoc loco intelliguntur non ſolùm ij, qui ſeptem Ordines accipiunt; ſed etiam ij, qui primâ Tonſurâ (quæ communius inter Ordines non numeratur) initiandi ſunt, cùm & his ſæpe eodem actu prima Tonſura conferatur.

III. Quibus ante Altare coram Pontifice genuflexis, & in modum coronæ diſpoſitis, Archidiaconus publicè interrogat omnes, ſi ſint aliqui, qui confirmati non ſint *g.* quia non debent ad Ordinationem accedere, niſi priùs confirmentur *h.* Et ſi aliqui confirmandi erunt, tunc depoſitis Pontifex annulis & Chirothecis lavat manus, reaſſumit annulos, & confirmat *i.* prout ſuprà habetur; vel ſi non erunt aliqui confirmandi, palàm interdicit per unum ex ſuis *k.* ſub his verbis,

Reverendiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus D. DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus N. ſub excommunicationis pœna præcipit, & mandat omnibus & ſingulis pro ſuſcipiendis Ordinibus hic præſentibus, ne quis forſan eorum irregularis aut aliàs à Jure vel ab Homine excommunicatus, interdictus, ſuſpenſus, l. *aut aliàs à jure prohibitus.* m. *ſive ex aliena Diœceſi oriundus ſine licentia ſui Epiſcopi, aut non deſcriptus, examinatus,* n. *approbatus, & nominatus, ullo pacto audeat ad ſuſcipiendos Ordines accedere. Et quòd nullus ex Ordinatis diſcedat, niſi Miſſâ finitâ, & benedictione Pontificis acceptâ.*

G Niſi prius in Examine jam quæſiverit; vel aliunde cognoverit omnes confirmatos eſſe.

H. Sic enim Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. c. 4. requirit, non quòd Confirmatio ſit de neceſſitate Sacramenti Ordinis, ſicut Baptiſmus, ſed ob congruitatem; & ideo Sacramentum Ordinis validè conferri poteſt illi, qui non eſt confirmatus, uti Barboſa in loco cit. Concil. Trid. cum plurimis docet.

I Etſi fortè Ordinandus ſit alienus ſubditus, modò literas dimiſſorias afferat; ſic enim hoc ipſo, quòd ad ipſos Ordines ab Epiſcopo ſuſcipiendos licentia ſit conceſſa, etiam ad Confirmationis Sacramentum, ſine quo licitè Ordines non conferun-

feruntur, licentia conceſſa præſumitur, uti Ludov. Engel *p. 1. l. 1. tit. 1. §. 3. n. 22.* cum Laym. *c. 6. de Sacer. n. 2.* docet.

K. Quem ordinariè Archidiaconus, aut is, qui officio illius fungitur, præſtat.

L. Niſi per ſubſequens Matrimonium, aut profeſſionem Religioſam, aut diſpenſationē Pontificiam ſit legitimatus: talis enim ratione originis cenſetur vilis, atque adeò indignus Sacris Ordinibus.

M. Quales ſunt Uxorati, abſolutè rebaptizati, Adulti ab Hæreticis baptizati, Neophyti, publicè Pœnitentes &c.

N. Niſi aliunde de ejus ſcientia, aliiſque qualitatibus conſtet; ob quam cauſam aliqui Religioſi vel Graduati non amplius examinantur.

MEMBRUM II.

DE CLERICO FACIENDO.

I. CLericus *o.* fieri poteſt etiam extra Miſſarum Solemnia, quocunque die, horâ, & loco. *p.*

O Clericus à Græco verbo κλῆρος, quod latinè ſortem ſignificat, dictus, quia, ut S. Hieronymus *ad Nepot.* ait, de ſorte Domini ſunt, vel quia Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt: qui autem vel pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut ipſe poſſideat Dominum, & ipſe poſſideatur à Domino: qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit: *Pars mea Dominus*: nihil extra Dominum habere poteſt, cum iſtis enim partibus, puta auro, argento, voluptatibus, honoribus &c. Dominus pars ejus fieri non dignatur; ſi ergo Altari ſerviens de Altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum his contentus ero, & nudam Crucem nudus ſequar.

P. Unde aliqui non improbabiliter colligunt, Primam Tonſuram (ſic dictam, quia per iſtam abſciſſionem Capillorum cum ſacra benedictione factam via ad reliquos ordines ſternitur, verúſque Clericus efficitur) verum Ordinem non eſſe, eò quòd hi omnes ordinariè non niſi certo tempore & loco conferri poſſit.

II. Pro Clericis ordinandis, parentur forſices pro incidendis capillis, & bacile pro illis imponendis.

Et

Et quilibet Ordinandorum habere debet ſuperpelliceum ſuum ſuper brachium ſiniſtrum, & candelam in manu dextra, & ſigillatim per Notarium, & quilibet reſpondet: *Adſum.*

III. Quibus ante Altare coram Pontifice in Faldiſtorio cum Mitra ſedente genuflexis, Pontifex ſurgit cum mitra, & dicit:

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Et hoc nunc & uſque in ſæculum.*

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum & terram.*

OREMUS.

Fratres cariſſimi, Dominum noſtrum JESUM Chriſtum pro his famulis ſuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro ejus amore feſtinant, q. ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis perpetuum conſervet, & à mundi impedimento, ac ſæculari deſiderio corda eorum defendat, ut, ſicut im̃utantur in vultibus, r. ita dextra manus ejus virtutum tribuat eis incrementa, & ab omni cæcitate ſpirituali, & humana oculos eorum aperiat, & lumen eis æternæ gratiæ concedat. Qui vivit & regnat &c.

Q. Ex hoc colligitur, non ſine arcano myſterio Clericis comas tonderi, ut videlicet intelligat, quemadmodum nunc liberè propter Deum crines dimittit, ita rerum quoque temporaliũ inordinatam curam & amorem ei abijciendam eſſe.

R. Id eſt, quoad exteriorem aſpectum, dum ſcilicet coronas in capite portare cernuntur.

IV. Poſthæc ſedente Pontifice, ſchola inchoat, & proſequitur Antiphonam, & Pſalmum.

Tu es, Domine, qui reſtitues hæreditatẽ meam mihi

PSAL.

PSALMUS.

Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te &c.
Repetitur tota Antiphona: Tu es Domine &c.

V. Incepto Pſalmo, Pontifex cum forficibus incedit, unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio, & ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, & in bacile deponit, & quilibet, cùm tondetur, dicit:

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

VI. Omnibus tonſis, mitrâ depoſitâ, ſurgit Pontifex, & ſtans verſus ad alios, dicit:

OREMUS.

Præſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ut hi Famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore Divino depoſuimus, in tua dilectione perpetuò maneant, & eos ſine macula in æternum cuſtodias. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

VII. Tunc Schola inchoat & proſequitur, Antiphonam ſequentem, quâ inceptâ Pontifex ſedet cum mitra.

Hi accipient benedictionem à Domino & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo, quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

PSALMUS.

Domini eſt terra, & plenitudo ejus &c.

Deinde repetitur tota Antiphona: *Hi accipient &c.* quâ finitâ ſurgit ſine mitra Pontifex, & ad Altare converſus dicit:

OREMUS.

Et Miniſtri dicunt:

℣. *Fle-*

℣. *Flectamus genua.*

℟. *Levate.*

Et mox ad tonſos genuflexos verſus Pontifex dicit:

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hos Famulos tuos benedicere † dignare, quibus in tuo ſancto nomine habitum Sacræ Religionis imponimus, ut, te largiente, & devoti in Eccleſia tua perſiſtere & vitam percipere mereantur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

VIII. Tum Pontifex ſedet cum mitra, & accipiens in manum ſupperpelliceum dicit ſingulis:

Induat te Dominus novum Hominem s. *qui ſecundùm* Deum *creatus eſt in Juſtitia, & Sanctitate veritatis.*

s. Conformiter ſcilicet Apoſtoli adhortationi *Eph.* 4. dicentis: *Hoc autem dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis ſicut Gentes* (& Sæculares) *in vanitate ſenſus veſtri &c.* Studentes *deponere ſecundùm priſtinam converſationem veterem Hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris, Renovamini autem Spiritu mentis veſtræ, & induite novum Hominem, qui ſecundùm* DEUM *creatus eſt juſtitia & ſanctitate veritatis*; quæ verba bene ponderare debet Clericus, atque adeò operam dare, ut opere ipſo compleat, & Mundo cum veritate dicere queat, quod Juvenis quidam converſus Meretrici, cum qua peccare conſueverat, obvianti, & an non illam agnoſceret, interroganti, ac: *Ego ſum illa*: ſubjicienti ſapienter reſpondit dicens: Aſt *ego non ſum ille*, qui ſcilicet olim fueram.

IX. Et mox imponit illud cuilibet repetendo: *Induat te &c.* immittens uſque ad ſcapulas, & immediatè trahens, ſi unum tantùm ſit ſupperpelliceum, ſicque facit uſque ad ultimum, qui eo taliter induitur: ſi verò quiſque ſuum ſuperpelliceum habeat, ſinguli totaliter induuntur. Quo expedito ſiat

ſine mitra ſurgit Pontifex, & verſus ad illos dicit.

OREMUS.

Omnipotens ſempiterne DEUS, propitiare peccatis noſtris, & ab omni ſervitute ſæcularis habitus hos Famulos tuos emunda, ut, dum ignominiam c. *ſæcularis habitus deponunt, tuâ ſemper in ævum gratiâ perfundantur: ut, ſicut ſimilitudinem coronæ geſtare facimus in capitibus, ſic tuâ virtute hæreditatem ſubſequi mereantur æternam in cordibus. Qui cum Patre &c.*

T. Non quòd per ſe ignominia ſit ſæcularis habitus (cùm utique & is cum ſumma ſanctitate jungi queat) ſed quòd illi, qui ſemel Mundo & ſæcularibus deſiderijs depoſitis Chriſtum per perfectionis & imitationis & ſtudium ſequi decrevit, probroſum ſit, retrò reſpicere, & vanitates mundanas ſectari.

X. Deinde ſedet cùm mitra Pontifex, & alloquitur illos ſub his verbis:

Filii cariſſimi, animadvertere debetis, quòd hodie de foro Eccleſiæ v. *facti eſtis, & privilegia Clericalia* x. *ſortiti eſtis: cavete igitur, ne propter culpas veſtras illa perdatis, & habitu honeſto, boniſque moribus atque operibus DEO placere ſtudeatis, quod ipſe vobis concedat per Spiritum Sanctum ſuum Amen.*

V. Id eſt; in Eccleſiaſticorum numerum relati, ita ut à ſolo Eccleſiaſtico Magiſtratu ac Judice judicari poſſitis; unde privilegium Fori, Eccleſiaſtici ſcilicet, conſecuti dicuntur Clerici.

X. Qualia ſunt exemptum eſſe à foro ſæculari, tributis &c. ſine Sacrilegio graviter violari non poſſe.

XI. Tum, ſuggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca ſua.

MEM-

MEMBRUM III.

DE MINORIBUS ORDINIBUS.

I. QUatuor Minores *z.* Ordines *a.* dari poſſunt extra Miſſarum Solemnia, diebus Dominicis, & Feſtivis duplicibus *b.* Sed in manè tantùm.

z. Sic dicti, non quia non verè etiam ſunt Sacramentum, ſed quia non ita propinquè ad Sacramentum Evchariſtiæ accedunt; votúmque caſtitatis annexum non habent, ſed cum ijſdem Sacramentum Matrimonij conſiſtere poteſt, uti Concilium Trident *ſeſſ. 23. de reform. c. 17.* definivit; ob quam cauſam *non ſacri* dicuntur.

A. Quæ vox ut rectè intelligatur; notandum eſt; Ordinem dupliciter accipi ſolere. 1. Pro quodam gradu ſeu poteſtate ſpirituali conficiendi Sacramentum Evchariſtiæ, vel miniſtrandi in ordine ad illiud. 2. Pro ipſa Ordinatione, ſeu ſacro ac ſolemni ritu externo; quo hujuſmodi gradus ſeu poteſtas ſpiritualis alicui confertur; utroque modo hoc in loco intelligi poteſt, cùm & ritus in collatione Ordinum adhiberi ſoliti explicentur, & poteſtas ſpiritualis per quemvis Ordinem ſignificata conferatur.

B. Intellige tam de Feſtis Chori, quàm Fori; ut ſuprà ex probabili ſententia oſtendi.

II. Ordinandi omnes ad quoatuor Minores Ordines eſſe debent ſuperpelliceis induti *c.* cum candela in manu dextra. *d.*

C. Ut ex ipſa veſte diſcant; quanta cum puritate mentis ad Sacerdotium accedere debeant; certè S. Chryſoſtomus tam purum eſſe debere Sacerdotem exiſtimabat, ac ſi in medio Angelorum choro exiſteret.

D. Ut ſibi potiſſimum dictum credant illud Chriſti Luc. 12. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Ut *ſic luceat lux veſtra* (boni exempli & vitæ) *coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt* Matth 5.

MEM-

MEMBRUM IV.
DE ORDINATIONE OSTIARIORUM.

I. PRo Oſtiarijs ordinandis patentur claves Eccleſiæ *f.* Pontifex Clericis ordinatis ſurgit, & cum mitra ad ſedem ſeu ad Faldiſtorium ad cornu Epiſtolæ revertitur, ubi depoſitâ mitrâ, & ad Altare converſus, oblato ſibi libro, cantat primam Collectam, deinde ſedet, reaſſumit mitram, & cantatur prima Lectio *g.* Interim accedunt duo Capellani cum libro & candela ante Pontificem, qui ſedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipſam. Quibus finitis ſurgit Pontifex, & cum mitra ad Faldiſtorium ante medium Altaris ſibi præparatum proficiſcitur, & in illo ſedet renibus Altari verſis. Archidiaconus vocat Ordinandos, dicens:

Accedant, qui ordinandi ſunt ad officium Oſtiariorum.

Et mox Notarius ſingulos nominatim vocat, & quilibet reſpondet *h.*

F. Hæ enim ſunt materia hujus Ordinis.

G. Si ſolemnis ſit Miſſa; alioqui enim ipſe eam apud Altare leget.

H. *Adſum* dicendo, quod tamen pro eo duntaxat caſu intelligendum eſt, quo nulli primam Tonſuram acciperent; alioqui enim cùm pro Tonſura jam vocati ſint; non eſt neceſſe, ut iterum nominatim vocentur.

II. Omnibus in Superpelliceis cum candelis in manibus coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet illos, dicens:

Suſcepturi, Filij cariſſimi officium Oſtiariorum, videte, quæ in domo DEI agere debeatis. Oſtiarium oportet percutere cymbalum, & campanam, aperire Eccleſiam,

& Sacrarium i. *& librum aperire* k. *ei, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam veſtram illarum rerum, quæ intra Eccleſiam ſunt, aliquid depereat, certiſque horis domum DEI aperiatis Fidelibus, & ſemper claudatis Infidelibus.* l. *Studete etiam, ut ſicut materialibus clavibus Eccleſiam viſibilem aperitis & clauditis, ſic & inviſibilem DEI domum, corda ſcilicet Fidelium dictis veſtris & exemplis claudatis Diabolo, & aperiatis DEO, ut divina verba, quæ audierint, corde retineant, & opere compleant, quod in vobis Dominus perficiat per miſericordiam ſuam.*

I. Ex quo colligitur, officium Oſtiariorum non eſſe duntaxat Eccleſiam aperire & claudere, ac campanas pulſare, ſed etiam ea, quæ ad Eccleſiam pertinent, diligenter in Sacrario vel alio loco cuſtodire, ne quid depereat.

K. Quod hodie vix in uſu eſt, niſi fortè intelligendum de Evangelij libro, ut in eodem Evangelium illi quærat antè, quàm Cathedram aſcendat.

L. Unde colligitur, levitas Veteris Teſtamenti, qui Janitorum officio fungebantur, figuram Oſtiariorum fuiſſe, ut qui in quatuor partibus templi ſtabant, ſedulóque cavebant, ne quid immundum ingrederetur, ideóque nunquam à miniſterio recedebant, uti in *l. 2. Paralip.* dicitur. Sed & ipſe Chriſtus hoc officium implevit, dum *Joan.* 2. vendentes & ementes flagello è funiculis confecto de templo ejecit.

III. Deinde Pontifex accipit, & tradit omnibus claves Eccleſiæ, quas ſucceſſivè manu dextra ſinguli tangant, Pontifice dicente:

Sic agite, quaſi reddituri DEO rationem pro ijs rebus, quæ his clavibus recluduntur.

IV. Poſthæc Archidiaconus ſive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad oſtium Eccleſiæ, & facit illos claudere, & aperire; tradit etiam eis funem Campanarum, faciens eos campanas pulſare; *m.*

te: *m.* Deinde illos reducit ad Pontificem, quibus coram Pontifice genua flectentibus ſtans cum mitra Pontifex verſus ad ipſos ordinatos dicit:

DEUM Patrem Omnipotentem, Fratres cariſſimi, ſupliciter deprecemur, ut hos Famulos ſuos ben†dicere dignetur, quos in officium Oſtiariorum eligere dignatus eſt; ut ſit eis fideliſſima cura in domo DEI diebus ac noctibus, ad diſtinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino noſtro JESU Chriſto, qui cum eo vivit, & regnat &c.

M. Aut certè cymbalum, quod hodie ordinariè loco campanæ pulſatur.

V. Tum, mitrâ depoſitâ, ſtans Pontifex, & converſus ad Altare dicit:

OREMUS.

Et Miniſtri ſubjungunt:

Flectamus genua.

℟. *Levate.*

Et ſtatim verſus ad illos genuflexos, ſtans ſine mitra, dicit:

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, bene†dicere digrare hos Famulos tuos in officium Oſtiariorum, ut inter Janitores Eccleſiæ tuo pareant obſequio, & inter Electos tuos, partem tuæ mereantur habere mercedis. Per Dominum noſtrum &c. ℟. *Amen.*

VI. Poſthæc Ordinati, ſuggerente Archidiacono, redeunt ad loca ſua.

Membrum V.

DE ORDINATIONE LECTORUM.

I. PRo Lectoribus ordinandis paretur liber Lectionum.

II. Oſtiariis ordinatis, Pontifex reaſſumptâ mitrâ accedit ad ſedem ſuam, vel ad Faldiſtorium à parte Epiſtolæ. Interim cantatur primum Graduale, vel primum Alleluja, ſi ſit infra Octavam Pentecoſtes, & Pontifex ſedens cum mitra, oblato ſibi libro & candela, legit dictum Graduale, vel *Alleluja*. Quibus dictis ſurgit; depoſitâ mitrâ, & verſus ad Altare cantat ſecundam Collectam. Tum ſedet, reaſſumptâ mitrâ, & cantatur ſecunda Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro & candelâ ante Pontificem; qui ſedens cum mitra ex eo legit Lectionem ipſam. Quibus dictis Pontifex revertitur ad Faldiſtorium ante medium Altaris poſitum, ubi ſedet cum mitra, & Lectores vocantur per Archidiaconum hoc modo:

Accedant, qui ordinandi ſunt ad officium Lectorum. Et mox nominantur per Notarium, ut ſuprà dictum. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Electi Filii cariſſimi, ut ſitis Lectores in domo DEI noſtri, officium veſtrum agnoſcite, & implete. Potens eſt enim DEUS, ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectorem ſiquidem oportet legere ea, quæ prædicat o. *& Lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus novos. Studete igitur verba DEI, videlicet Lectiones ſacras, diſtinctè, & apertè, ad intelligentiam, & ædificationem Fidelium, abſque omni mendacio falſitatis proferre, ne veritas divinarum Lectionum incuriâ veſtrâ ad inſtructionẽ audientium corrumpatur.* p. *Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus Auditores veſtros verbo pariter, & exemplo veſtro docere poſſitis. Ideóque, dum*

leg

legitis, in alto loco Eccleſiæ ſtetis, ut ab omnibus audiamini, & videamini figurantes poſitione corporali vos in alto virtutum gradu debere converſari, quatenus cunctis, à quibus audimini, & videmini, cæleſtis vitæ formam præbeatis, quod in vobis DEUS impleat per gratiam ſuam.

O Quod videtur de Evangelio potiſſimùm intelligendum, ut pote quod ſolum hodie legi ex cathedra ſolet.

P. Per inſtructionem hoc loco mala inſtructio videtur intelligi, ita ut idem ac deſtructio ſignificare videatur.

III. Deinde Pontifex accipit, & tradit omnibus Codicem, de quo lecturi ſunt (quem manu dextrâ tangunt) dicens;

Accipite, & eſtote verbi DEI relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum DEI bene adminiſtraverunt ab initio.

IV. Quibus expeditis, & illis genuflexis, Pontifex ſtans cum mitra, verſus ad eos dicit;

Oremus, Fratres cariſſimi, DEUM Patrem omnipotentem, ut ſuper hos Famulos ſuos, quos in Ordinem Lectorum dignatur aſſumere, bene † dictionem ſuam clementer effundat, quatenus deſtinctè legant, quæ in Eccleſia DEI legenda ſunt, & eadem operibus impleant. Per Dominum noſtrum &c.

V. Tum Pontifex mitrâ depoſitâ ſtans converſus ad Altare dicit:

OREMUS.

Et Miniſtri ſubjungunt:

Flectamus genua.

℟. *Levate.*

Deinde converſus ad Ordinatos genuflexos dicit ſi-ne mitra:

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, bene†dicere dignare hos Famulos tuos in Officium Lectorum, ut aſſiduitate Lectionum inſtructi ſint, atque ordinati, & agenda dicant, & dicta opere impleant, ut in utroque Eccleſiæ Sanctæ exemplo ſanctitatis ſuæ conſulant. Per Dominum &c.

VI. Poſtea ſuggerente Archidiacono redeunt Or-dinati ad ſua loca.

MEMBRUM VI.

DE ORDINATIONE EXOR-CISTARUM.

I. PRo Exorciſtis Ordinandis paretur liber Exor-ciſmorum, cujus loco dari poteſt Pontificale q. vel Miſſale.

q. Id eſt, liber, in quo deſcriptæ ſunt cæremoniæ, quas Pontifices vel Epiſcopi in variis conſecrationibus, & ordinationibus, benedictionibúsque obſervare debent.

II. Lectoribus ordinatis, Pontifex, reaſſumpta mitrâ, accedit ad ſedem ſuam, vel ad Faldiſtorium, ad cornu Epiſtolæ, ubi ſedens cum mitra, oblato ſibi libro & candela legit ſecundum graduale, vel ſecun-dum Alleluja, ſi ſit infra octavam Pentecoſtes r. Quo finito ſurgit Pontifex, depoſitâ mitrâ, & verſus ad Altare cantat tertiam Collectam. Tum ſedet, reaſſumptâ mitrâ, & cantatur tertia Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro & candela ante Pontificem, qui ex eo legit lectionem ipſam. Qui-bus dictis revertitur ad Faldiſtorium ante Altare, & ſedet cum mitra. Exorciſtæ verò vocantur per Ar-chidiaconum modo conſueto:

Acce

Accedant, qui ordinandi ſunt ad Officium Exorciſtarum.

Et ipſi nominantur ſigillatim per Notarium, ut priùs dictum eſt.

R. Siquidem ordinario tempore Angariarum aut Sabbati Sancti Ordines conferantur. Si enim Miſſa aut officium unicam habeat lectionem, tum poſt illam omnes quatuor Minores ordines ſine interruptione conferuntur.

III. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet dicens:

Ordinandi, Filij cariſſimi, in Officium Exorciſtarum debetis noſcere, quid ſuſcipitis. Exorciſtam etenim oportet abjicere Dœmones, & dicere Populo, ut, qui non communicat, det locum; & aquam in miniſterio fundere. Accipitis itaque poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenos, & per impoſitionem manuum veſtrarum gratiâ Spiritus Sancti, & verbis Exorciſmi pelluntur Spiritus immundi a corporibus obſeſſis. Studete igitur, ut ſicut à corporibus aliorum dœmones expellitis, ita à mentibus & corporibus veſtris omnem immunditiam & nequitiam eijciatis, ne illis ſuccumbatis, quos aliis veſtro miniſterio effugatis. Diſcite per Officium veſtrum vitiis imperare, ne in moribus veſtris aliquid ſui juris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim rectè in aliis Dœmonibus imperabitis, cùm potiùs in vobis eorum multimodam nequitiam ſuperatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum ſuum Sanctum.

IV. Poſthæc Pontifex accipit, & tradit omnibus librum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, cujus loco tradi poteſt Pontificale, vel Miſſale, quem dextra manu tangunt, Pontifice dicente:

Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſta-

tem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive baptizatos, ſive Catechumenos.

V. Poſtea verò omnibus devotè genuflexis Pontifex cum mitra ſtans dicit:

DEUM Patrem Omnipotentem, Fratres cariſſimi, ſupplices deprecamur, ut hos Famulos ſuos bene†dicere dignetur in officium Exorciſtarum, ut ſint Spirituales Imperatores, ad abjiciendos Dœmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi. Per Unigenitum ſuum Filium &c.

Tum converſus ad Altare, depoſitâ mitrâ, dicit.

OREMUS.

Et Miniſtri ſubjungunt:

Flectamus genua.

℟. *Levate.*

Et mox converſus ad Ordinatos genuflexos dicit:

Domine Sancte, Pater Omnipotens æterne DEUS, bene†dicere dignare hos Famulos tuos in officium Exorciſtarum, ut per impoſitionem manuum, & oris officium, poteſtatem & imperium habeant Spiritus immundos coercendi, ut probabiles ſint Medici Eccleſiæ tuæ gratiâ curationum virtutéque cœleſti confirmati. Per Dominum noſtrum &c.

VI. Poſthæc ſuggerente Archidiacono redeunt ad loca ſua.

Membrum VII.

DE ORDINATIONE ACOLYTHORUM.

I. PRo Acolythis x. ordinandis parentur candelabrum cum cereo extincto, & urceolus vacuus a pro vino, pro Sacramento.

X. Le

X Latinè *Ceroferarii* dicuntur à Cereis portandis; græcò verò non malè à quibusdam *Acoluthi* appellantur ab ἀκολουθέω, quod ſequi ſignificat, ut vel ex nomine colligant officium ſuum, quod eſt, fideliter Sacerdoti ad Altare miniſtrare.

Z. Urceolus vacuus, non vino plenus & aquâ, qualis Subdiacono offertur, quia hunc in Sacrificio ipſo Miſſæ Sacerdoti celebranti offerre ſoli Subdiacono velut potiori & magis immediato Miniſtro convenit; unde quando infrà n. 3. dicitur, ad Acolythum pertinere, aquam & vinum ad Eucharistiam miniſtrare, hoc de remota miniſtratione intelligendum eſt quatenus ſcilicet in eos vacuos debet aquam & vinum infundere, & poſtea eos in Sacrificio ad Altare portare, & Subdiacono offerre.

II. Exorciſtis ordinatis, Pontifex, reaſſumpta mitrâ, accedit ad ſedem ſuam, vel ad Faldiſtorium, ad cornu Epiſtolæ, ubi ſedens cum mitra, oblato ſibi libro & candela. legit tertium Graduale, vel tertium Alleluja, ſi ſit infra octavam Pentecoſtes. Interim à Choro cantantur ipſum Graduale vel *Alleluja.* Quo finito ſurgit Pontifex, depoſitâ mitrâ, & verſus ad Altare cantat quartam Collectam. Tum ſedet, reaſſumpta mitrâ, & cantatur quarta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro & candelabro ante Pontificem, qui ex eo legit lectionem ipſam. Quibus dictis Pontifex revertitur ad Faldiſtorium ante Altare, ubi ſedet cum mitra. Acolythi verò vocantur per Archidiaconum:

Accedant, qui ordinandi ſunt ad officium Acolythorum.

Et mox nominantur per Notarium, ut ſuprà.

III. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:

Suſcepturi, Filij cariſſimi, officium Acolythorum penſate

ſate, quod ſuſcipitis. Acolythum enim oportet ceroferarium ferre, luminaria Eccleſiæ accendere, a. vinum & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare. Studete igitur ſuſceptum officium dignè implere. Non etenim DEO placere poteritis, ſi lucem DEO manibus præferentes, operibus tenebrarum inſerviatis, & per hoc alijs exempla perfidiæ præbeatis. Sed ſicut veritas dicit: Luceat lux veſtra coram Hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et ſicut Apoſtolus Paulus ait: In medio nationis pravæ & perverſæ lucete ſicut luminaria in Mundo verbum vitæ continentes. Sint ergo lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, ut Filij lucis ſitis. Abjiciatis opera tenebrarum, & induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quæ ſit verò iſta lux, quam tantoperè inculcat Apoſtolus, ipſe demonſtrat dicens: Fructus autem lucis eſt in omni juſtitia, bonitate & veritate. Eſtote igitur ſolliciti, in omni juſtitia, bonitate & veritate, ut & vos, & alios, & Eccleſiam DEI illuminetis. Etenim in DEI Sacrificio dignè vinum ſuggeretis & aquam, ſi vos ipſi DEO Sacrificium per caſtam vitam & bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per Miſericordiam ſuam.

A. Sicut olim Levitæ & Filij Aaron lucernas concinnabant, ut in tabernaculo arderent.

IV. Poſthæc Pontifex accipit, & tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod ſucceſſivè manu dextra ſinguli tangant, Pontifice dicente:

Accipite ceroferarium cum Cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini. ℟. *Amen.*

V. Tunc accipit, & tradit eis Urceolum vacuum, quem

quem ſimiliter tangere debent, dicens communiter omnibus.

Accipite urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Eucharistiam *Sanguinis Chriſti in nomine* Domini. ℟. *Amen.*

VI. Poſtea eis genuflexis permanentibus, Pontifex ſtans cum mitra verſus ad eos dicit:

DEUM Patrem Omnipotentem, Fratres cariſſimi, ſupliciter deprecemur, ut hos Famulos *ſuos bene†dicere dignetur in ordine Acolythorum, quatenus lumen viſibile manibus præferentes, lumen quoque ſpirituale moribus præbeant, adjuvante* Domino *noſtro JESU* Chriſto, *qui cum eo, & Spiritu Sancto vivit & regnat DEUS per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.*

VII. Tum Pontifex ad Altare ſe convertens, depoſitâ mitrâ ſtans dicit:

OREMUS.

Et Miniſtri: *Flectamus genua.*

℟. *Levate.*

Et mox Pontifex ad eosdem genuflexos converſus dicit:

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne DEUS, qui per JESUM Chriſtum Filium *tuum Dominum noſtrum & Apoſtolos ejus in hunc mundum lumen tuæ claritatis miſiſti; quique ut mortis noſtræ antiquum aboleres chirographum, glorioſiſſimæ illum crucis vexillo affigi, ac ſanguinē & aquam ex latere illius pro ſalute generis humani effluere voluiſti, bene†dicere dignare hos Famulos tuos in Officium Acolythorum, ut ad accendendum lumen Eccleſiæ tuæ, & ad ſuggerendum vinum & aquam ad conficiendum Sanguinem Chriſti Filii tui in offerenda Euchariſtia, Sanctis Altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent.*

Accen-

Accende, Domine, mentes eorum, & corda ad amo rem gratiæ tuæ ut illuminati vultu ſplendoris tui fide liter tibi in ſancta Eccleſia deſerviant. Per eundem Chri ſtum Dominum noſtrum ℞. Amen.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne DEUS, qui ad Moyſen & Aaron locutus es, ut accenderentur lucernæ in tabernaculo teſtimonii, bene † dicere dignare hos Famulos tuos, ut ſint Acolythi in Eccleſia tua. Per Chriſtum Dominum noſtrum ℞. Amen.

OREMUS.

Omnipotens ſempiterne DEUS, fons lucis, & origo bonitatis, qui per JESUM Chriſtum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminâſti, ejúſque Paſſionis myſterio redemiſti, bene † dicere dignare hos Famulos tuos, quos in officium Acolythorum conſecramus, poſcentes clementiam tuam, ut eorum mentes, & lumine ſcientiæ illuſtres, & pietatis tuæ rore irriges, ut ita acceptum Miniſterium, te auxiliante, peragant, qualiter ad æternam retributionem pervenire mereantur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

VIII. Poſthæc ſuggerente Archidiacono Ordinati redeunt ad loca ſua.

MEMBRUM VIII.
DE SACRIS ORDINIBUS.

I. SAcri *b.* & Majores *c.* Ordines ſunt, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, ad quos ordinati omnes debent communicare, ideò parentur pro eorum numero hoſtiæ parvæ conſecrandæ.

B. Etſi juxta communiorem ſententiam etiam Minores Ordines

Ordines verum ſint Sacramentum, atque adeò ſub hoc reſpectu etiam *Sacri* meritò dicantur, hoc tamen loco preſſiùs nomen *Sacri* accipitur pro tali Ordine, qui votum Continentiæ ex inſtitutione Eccleſiæ annexum habet, & per quod Ordinati DEO & Eccleſiæ ſic conſecrantur, ut Matrimonium & Statum Laicalem in perpetuum evitare teneantur, ob quam cauſam ejusmodi Sacri Ordines inter impedimenta Matrimonium dirimentia numerantur.

C. Sic dicti, quia proximè ad S. Eucharistiam, à qua Ordo omnem Sanctitatem accipit; accedunt, Sacerdos quidem illam conficiendo, Diaconus etiam diſpenſando, Subdiaconus vaſa ſacra & materiam ſubminiſtrando; & ideo ex his Ordinibus nunquam plures ſimul eodem die, ut in Minoribus fieri conſuevit, conferuntur, ſed & certa etiam interſtitia ordinariè obſervari præcipiuntur, tum ut majori reverentia & præparatione ad eos accedatur; tum, ut tanti miniſterii gratia magis æſtimetur; tum ut Ordo jam ſuſceptus exerceatur, antequam altior ſuſcipiatur; & ad illum promerendum pietatis & virtutum merita augeantur.

Membrum IX.

DE ORDINATIONE SUBDIACONI.

I. PRo Ordinatione Subdiaconorum *d.* parentur calix vacuus *e.* cum Patena ſuperpoſita *f.* Urceoli cum manutergio, & liber Epiſtolarum. *g.*

D. Sic dicti, quia inferiores ſunt Diacono, eique inſtrumenta miniſtrant, per quæ ſerviat Diaconus Presbytero.

E. Quæ eſt partialis materia hujus Ordinis, & materiam Presbyteratûs ex hoc capite diſtinguit à Subdiaconatûs materia, quòd Presbytero calix vino inſtructus, non item Subdiacono offeratur.

F. Quæ itidem ob eandem cauſam vacua eſſe debet.

G. Qui eſt altera partialis materia hujus Ordinis juxta communem ſententiam.

II. Aco-

II. Acolythis ordinatis, Pontifex reaſſumpta mitrâ, accedit ad ſedem ſuam, vel ad faldiſtorium ad cornu Epiſtolæ, ubi ſedens cum mitra, oblato ſibi libro, & candela, legit quartum Graduale, vel quartum *Alleluja*, ſi ſit intra octavam Pentecoſtes; interim à Choro cantatur ipſum Graduale, vel *Alleluja*. Quo finito, ſurgit Pontifex, depoſita mitrâ, & verſus ad Altare cantat quintam Collectam. Tum ſedet, reaſſumptâ mitrâ, & cantatur quinta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro, & candela ante Pontificem, qui ex eo legit lectionem ipſam. Quibus dictis Pontifex revertitur ad ſedem ſuam ante medium Altaris, & Archidiaconus verſus ad ordinandos dicit:

Accedant, qui ordinandi ſunt Subdiaconi.

Et notarius unumquemque illorum vocat, dicens:

N. Ad titulum Eccleſiæ. N. *h.*

N. Ad titulum Patrimonii ſui. *i.*

Frater N. Profeſſus Ordinis N. ad titulum Paupertatis. *k*

Et ſic de aliis, & quilibet vocatus dicit. *Adſum*, & accedit verſus Epiſcopum.

Debet autem quilibet ordinandorum in Subdiaconum indutus eſſe Amictu, non tamen ſuper caput. *l.* Albâ & Cingulo, habere Manipulum in manu ſiniſtra. *m.* Tunicellam *n.* ſuper brachio ſiniſtro, & candelam in manu dextra.

H. Tituli loco hîc intelligitur cauſa vel medium, quo quis ſe per totam vitam honeſtè ſuſtentare queat, unde communiter hodie *Titulus Menſæ* vocari ſolet. Per Eccleſiam autem propriè loquendo Beneficium Eccleſiaſticum intelligitur, uti expreſsè Concilium Tridentium ſeſſ. 21. de reform.

form. c. 2. definit decernens, ne quis deinceps ſæcularis Clericus, quamvis alias idoneus, moribus, ſcientia, & ætate, ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitimè conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtum ſufficiat, pacificè poſſidere.

I. Quo nomine intelliguntur bona propria Clerici, ſive illa à Parentibus acceperit, ſive alio quocunque titulo legitimo comparârit, dummodo ſufficiant ad Clerici ordinandi perpetuam ſuſtentationem. De quo titulo ſic iterum Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. c. 2. ſtatuit. *Patrimonium verò vel penſionem obtinentes ordinari poſſunt non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eô quoque priùs perſpecto. Patrimonium illud vel Penſionem verè ab illis obtineri, quæque à ſe alienare, vel abdicare non valeant, niſi aliunde oſtendant ſe habere, undè vivere poſſint.*

K. Sive Profeſſionis in approbata Religione; nam qui ejusmodi Religionem validè ſunt profeſſi, ſine alio titulo ad ſacros Ordines promoveri poſſunt, cùm talis Religio alere teneatur Religioſum, atque adeò Profeſſio loco tituli Beneficij accipiatur, ut ex c. 1. diſp. 70 colligitur.

III. Omnibus autem in Subdiaconos ordinandis competentibus ſpatio coram Pontifice ſtantibus, Pontifex cum mitra ſedens admonet eos dicens:

Filij Dilectiſſimi, ad ſacrum Subdiaconatûs Ordinem promovendi, iterum atque iterum conſiderare debetis, attentè, quod onus hodie ultrò appetitis. Hactenus enim liberi l. *eſtis, licétque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota tranſire; quòd ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, ampliùs non licebit à propoſito reſilire, ſed DEO, cui ſervire regnare eſt, perpetuò famulari, & caſtitatem illo adjuvante ſervare oportebit,* m. *atque in* Eccleſiæ *Miniſterio ſemper eſſe mancipatos. Proinde dum tempus eſt, cogitate; & ſi in ſancto propoſito perſeverare placet, in nomine* Domini *huc accedite.*

L. A voto ſeu promiſſione caſtitatis ſervandæ.

M. Unde

M. Unde colligitur, Subdiaconos hoc ipſo, quòd ordines Subdiaconatûs ſuſcipiunt, implicitè caſtitatem vovere.

IV. Illis tunc accedentibus, & coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus vocat ceteros ordinandos dicens:

Accedant, qui ordinandi ſunt Diaconi & Presbyteri.

V. Quibus accedentibus, Archidiaconus ordinat eos, videlicet Diaconandos paratos Amictu, alba, cingulo, & manipulo, ſtolam in manu ſiniſtra, dalmaticam ſuper brachium ſiniſtrum; & candelam in manu dextra tenentes, contra cornu Epiſtolæ Altaris, faciebus Altari verſis; & Presbyterandos paratos amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola, in modum Diaconi, planetam ſuper brachium ſiniſtrum, & candelam dextrà tenentes contra faciem Pontificis, ac medium Altaris, faciebus ſimiliter Altari verſis. Quibus ſic ordinatis, Pontifex mitram in capite tenens procumbit ſuper faldiſtorium in ſuperiori gradu ſive plano altaris paratum, & omnes Ordinandi in locis ſuper tapetia proſternunt ſe; Miniſtri verò, & alij aſtantes genuflectunt, & ſchola inchoat Litanias, choro reſpondente; vel ſi officium fiat ſine cantu, Pontifex dicit Miniſtris & Capellanis reſpondentibus.

Kyrie eleiſon &c.

Poſtquam autem dictum fuerit in Litaniis,

Vt omnibus Fidelibus defunctis &c.

ſurgit Pontifex cum mitra ab accubitu, & ſe ad Ordinandos vertens, & baculum Paſtoralem in manu ſiniſtra tenens, Ordinandis proſtratis manentibus dicit:

Vt hos Electos bene ✝ dicere digneris.

Ut hos Electos bene † dicere, & ſanctificare digneris.

Ut hos Electos bene † dicere, ſanctificare, & conſe † crare digneris.

Tum iterum ſuper Faldiſtorium procumbit, ſchola perficiente Litanias, *Ut nos exaudire digneris* uſque ad finem. Quibus finitis Pontifex ſurgens cum mitra ſedet ſuper Faldiſtorium ante medium Altaris, & Archidiaconus dicit alta voce.

Recedant in partem, qui ordinandi ſunt Diaconi & Presbyteri.

VI. Quibus ad aliquem locum idoneum, unde Pontificem celebrantem videre poſſint, tranſeuntibus, ad ordinationem Subdiaconorum proceditur. Illis itaque coram Pontifice per ordinem in modum coronæ genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Adepturi, Filij chariſſimi, officium Subdiaconatûs, ſedulò attendite, quale Miniſterium vobis traditur; Subdiaconum enim oportet aquam ad Miniſterium Altaris præparare, n. *Diacono miniſtrare,* o. *pallas Altaris & corporalia abluere; Calicem & patenam in uſum Sacrificij eidem offerre. Oblationes, quæ veniunt in Altare, panes propoſitionis* p. *vocantur: de ipſis oblationibus tantùm debet in Altari poni, quantum Populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario remaneat. Pallæ, quæ ſunt in ſubſtratorio Altaris, in alio vaſe debent lavari, & in alio corporales pallæ.* q. *Ubi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, ipſáque lotionis aqua in baptiſterium* r. *debet vergi. Studete itaque, ut iſta viſibilia Miniſteria, quæ diximus, nitidè & diligentiſſimè complentes, inviſibilia*

horum exemplo perficiatis s. *Altare quidem ſancta E-cleſiæ eſt ipſe Chriſtus, teſte Joanne, qui in ſua Apo-lypſi altare aureum ſe vidiſſe perhibet, ſtare ante th-num, in quo, & per quem oblationes Fidelium DE-Patri conſecrantur. Cujus Altaris pallæ & corpora-ſunt membra Chriſti, ſcilicet Fideles DEI,* t. *quib-Dominus quaſi veſtimentis pretioſis circumdatur, -ait Pſalmiſta: Dominus regnavit, decorem indu-eſt. Beatus quoque Joannes in Apocalypſi vidit Fili-hominis præcinctum zonâ aureâ, id eſt, Sanctorum c-tervâ. Si itaque humana fragilitate contingat, in a-quo Fideles maculari,* v. *præbenda eſt à vobis aq-cæleſtis doctrinæ, quâ purificati ad ornamentum Alt-ris & cultum divini Sacrificij redeant. Eſtote ergo-les, qui Sacrificijs divinis & Eccleſiæ DEI, hoc eſt, Co-pori Chriſti, dignè ſervire valeatis in vera & Catholi-fide fundati, quoniam, ut ait Apoſtolus, omne, quod n-eſt ex fide, peccatum eſt, ſchiſmaticum eſt, & ext-Unitatem Eccleſiæ eſt. Et ideo ſi uſque nunc fuiſtis ta-di ad Eccleſiam, amodò debetis eſſe aſſidui.* x. *Si uſq-nunc ſomnolenti, amodò vigiles. Si uſque nunc ebrij-amodò ſobrij. Si uſque nunc inhoneſti, amodò ca-Quod ipſe vobis præſtare dignetur, qui vivit & regn-DEUS in ſæcula ſæculorum.*

N. Id eſt, Diacono in Altari porrigere; nam infund-vinum & aquam in urceolos, & ad Altare portare, ad Ac-lythos ſpectat, ut ex præcedenti §. colligitur.

O Scilicet in Miſſæ Sacrificio, dum illi librum Evang-liorum tenet, Calicem ad Altare portat, vinum infundit, aquam &c.

P. Oblationum nomine hoc loco parvæ hoſtiæ, q-Laicis diſtribuuntur in communione, intelliguntur, q-panes propoſitionis vocantur, eò quòd perinde ut olim

vete-

veteri Teſtamento DEO offerri, & in Altari collocari ſoleant, ut Populo poſtea diſtribuantur.

Q. Quæ diſtinctio propterea fieri videtur, quòd Corporales Pallæ immediatè ſacrum Corpus Chriſti, aut calicem Sanguine Chriſti impletum contingant, non item Mappæ Altaris, unde has etiam Laicis, non item illas licet attingere.

R. Seu Piſcinam ſacram, in quam etiam aliæ ejuſmodi aquæ rerum benedictarum contactu conſecratæ infundi ſolent.

S. Inviſibilia tunc perfici dicuntur, ſi ſub applicatione aut porrectione materialium & viſibilium rerum, ac variarum cæremoniarum exercitio piæ cogitationes & affectus, pro quibus materia per ſequentia verba ſubminiſtratur, eliciantur.

T. Seu Chriſtiani, qui, quia præ cæteris veram fidem profitentur, *Fideles DEI* quoque ante alios vocari promerentur.

V. Id eſt, peccato aliquo, quod verè macula animæ dicitur, fœdari contingat.

X. Quia, ſicut nunc per ſacri Ordinis ſuſceptionem DEO immobiliter ſunt conſecrati, ita decet pariter, divinis potiſſimùm laudibus, aliiſque functionibus ſpiritualibus ſe totum impendere, ut, ſicut Fabri fabrilia tractant, ita Eccleſiaſtici negotiis ad Eccleſiam & DEI cultum pertinentibus occupentur.

VII. Deinde Pontifex accipit, & tradit Calicem vacuum cum patena vacua ſuperpoſita *z.* quem ſucceſſivè manu dextera ſinguli tangunt, *a.* Pontifice dicente:

Videte, cujus Miniſterium vobis traditur, ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere poſſitis.

Z. Hæc enim eſt materia ſaltem partialis hujus Ordinis.

A. Ex quo loco licèt colligi videatur, ſufficere, ſi ſolus Calix tangatur, communiùs tamen & tutiùs Filliutius & alii docent etiam patenam tangi.

VIII. Et Archidiaconus accipit, & tradit eis ceolos cum vino & aqua, ac bacile *b.* cum manut gio, quæ omnia ſimiliter tangere debent. *c.* Poſt ſurgit Pontifex, & verſus ad Populum ſtans cum m ra dicit.

Oremus DEUM, ac Dominum noſtrum, Frat cariſſimi, ut ſuper hos ſervos ſuos, quos ad Subdiaconat officium vocare dignatus eſt, infundat bene†diction ſuam & gratiam, ut in conſpectu ejus fideliter ſervien tes, prædeſtinata Sanctis præmia conſequantur, qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum.

B. Seu vaſculum ad aquam ex lotione manuum deflue tem excipiendam ordinatum.

C. Quæ tamen traditio & tactio non eſt materia hu Ordinis, cùm nec ab Epiſcopo fiat, nec ſit unum ex præ puis muneribus Subdiaconi, ac propterea etiam nullam ſp cialem formam annexam habeat.

IX. Tum depoſitâ mitrâ converſus ad Altar Pontifex dicit:

OREMUS.

Et Miniſtri: *Flectamus genua.*

℟. *Levate.*

Et mox Pontifex verſus ad Ordinandos genuflex dicit ſine mitrâ:

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS bene†dicere dignare hos Famulos tuos, quos ad Sub diaconatûs officium eligere dignatus es, ut eos in Sacra tuo ſancto ſtrenuos ſollicitóſque cæleſtis militiæ inſtitu excubitores, ſanctíſque Altaribus tuis fideliter ſubmi ſtrent, & requieſcat ſuper eos Spiritus Sapientiæ & In tellectûs, Spiritus Conſilij & Fortitudinis, Spiritus Scie tiæ & Pietatis, & repleas eos Spiritu Timoris tui, & e

in

in Miniſterio Divino *confirmes, ut obedientes facto ac dicto parentes tuam gratiam conſequantur.* Per *Dominum &c.*

X. Tum Pontifex ſedens, acceptâ mitrâ, Amictum *d.* qui in collo Ordinandorum jacet, imponit ſuper caput ſingulis, dicens:

Accipe Amictum, per quem deſignatur caſtigatio vocis, e. *in nomine* Patris, *& Filij, & Spiritûs ſancti.* ℟. *Amen.*

D. Ab amiciendo dictum, quia caput aut collum potiùs amicit: unde velum ſuper faciem Chriſti in Paſſione poſitum repræſentat.

E. Ut nempe multiloquium, & omnem in verbis ſcurrilitatem, & clamoſum loquendi modum fugiat, potiúsque monitum S. Pauli ſequatur 1. Tim. 2. dicentis: *Tu autem loquere; quæ decent.*

XI. Tum immittit Mannipulum in ſiniſtrum brachium cuilibet, dicens:

Accipe Manipulum, per quem deſignantur fructus bonorum operum f. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* ℟. *Amen.*

F. Ob hanc enim cauſam brachio imponitur, ut ad laborandum ſe per illa Sponſi Cant 8 verba excitari exiſtimet Subdiaconus: *Pone me, ut ſignaculum ſuper cor tuum: ut ſignaculnm ſuper brachium tuum.*

XII. Poſthæc induit quemlibet tunicâ *g.*; & ſi tantum unica ſit, immittit illam cuilibet ſolùm uſque ad ſcapulas, ac retrahens poſtremum totaliter induit, cuilibet dicens:

Tunicâ jucunditatis, h. *& indumento lætitiæ induat te Dominus, in nomine* Patris, *& Filij, & Spiritûs ſancti.* ℟. *Amen.*

G. Id eſt, Dalmaticâ, ſic dicta, quia in Dalmatia fuit reperta, uti Gavantus p. c. tit. 19 n. 4. lit. n. ex Alcuino refert.

H. Significat hæc Dalmatica lætitiam, quia ſicut illis diebus, quibus lætiores eſſe ſolemus, variáque Feſta celebramus, pulchriores plerumque veſtes induimus, ita Eccleſiæ quoque feſtivis duntaxat diebus ejuſmodi Dalmaticas ad lætitiam ſignificandam uſurpari concedit.

XIII. Poſtea accipit, & tradit omnibus librum Epiſtolarum *i.* manu dextera ipſum ſimul tangentibus dicens:

Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta DEI tam pro vivis, quàm pro defunctis, k. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* ℞. *Amen.*

I. Unde hic liber eſt altera partialis materia hujus Ordinis, utpote cujus contactus requiritur, & qui ab ipſo Epiſcopo porrigitur, & propriam formam habet.

K. Id eſt, tam in Miſſa pro vivis, quàm pro defunctis dici ſolita; nam extra Miſſam legi non ſolet hodie Epiſtola.

XIV. Omnibus expeditis, ſuggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad ſua loca, unus tamen de noviter ordinatis, tunicâ indutus, Epiſtolam dicet ſuo tempore. *l.*

L. Id eſt, poſt Collectas dictas ordinario modo.

MEMBRUM X.

DE ORDINATIONE DIACONI.

I. Subdiaconis ordinatis, Pontifex reaſſumpta mitrâ, accedit ad ſedem ſuam vel Faldiſtorium ad cornu Epiſtolæ, ubi ſedens cum mitra, oblato ſibi libro candela legit hymnum, *Benedictus es*, vel *Alleluja* cum verſu *Benedictus es*, ſi ſit infra Octavam Pentecoſtes. Interim cantatur à choro

dictus

dictus hymnus, vel *Alleluja* cum ſuo verſu, ut ſuprà. Quo finito ſurgit Pontifex, depoſitâ mitrâ, & verſus ad Altare dicit in competenti tono, *Gloria in excelſis DEO*, ſi ſit infra Octavam Pentecoſtes, quod dum à choro perficitur, ſedet cum mitra. Quo finito, depoſitâ mitrâ, ſurgit, & verſus ad Populum dicit: P*ax vobis :* vel *Dominus vobiſcum*, ſi *Gloria in excelſis* non ſit dicendum; & converſus ad Altare cantat Orationem Miſſæ diei cum Oratione pro ordinatis, & ordinandis ſub uno P*er Dominum noſtrum &c.* videlicet.

O R A T I O.

Exaudi, quæſumus Domine, *ſupplicum preces, & devoto pectore tibi famulantes perpetua defenſione cuſtodi, ut nullis perturbationibus impediti, liberam ſervitutem tuis ſemper exhibeamus officijs.* Per Dominum *&c.*

II. Finita oratione ſedet Pontifex cum mitra, & oblato ſibi libro & candela legit Epiſtolam. Interim per unum ex Subdiaconis noviter ordinatis cantatur Epiſtolâ, quâ finitâ, ſurgit Pontifex, & accedit ad Faldiſtorium ante Altare cum mitrâ, & ibi ſedet. Promovendi verò ad Ordinem Diaconatûs per Archidiaconum vocantur;

Accedant, qui ordinandi ſunt ad Diaconatum.

III. Et mox ſingillatim nominantur per Notarium, nulla tamen facta mentione de titulo. Eis igitur Amictu, Albâ, Cingulo, & Manipulo paratis, ac Stolam in ſiniſtra manu, & candelam in dextra, ac Dalmaticam ſuper brachium ſiniſtrum tenentibus, & in modum coronæ coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus offerens illos Pontifici dicit:

Reverendiſſime Pater, poſtulat ſancta Mater Eccleſia Catholica, ut hos præſentes Diaconos ad onus Diaconij m. *ordinetis.*

Pontifex interrogat, dicens:

Scis illos dignos eſſe?

Reſpondet Archidiaconus:

Quantùm humana fragilitas nôſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor ipſos dignos eſſe ad hujus onus officij.

Et Pontifex dicit: *Deo gratias.*

M. Id eſt, Miniſterij, quod officium quaſi per Antonomaſiam convenit Diacono, velut principali miniſterio Presbyteri.

IV. Et ad eorum ordinationem procedit. Inprimis Pontifex cum mitra ſedens Clero & Populo annuntiat, dicens:

Auxiliante Domino DEO & Salvatore noſtro JESU Chriſto, eligimus hos præſentes Subdiaconos in ordinem Diaconi. Si quis habet aliquid contra illos, pro DEO & propter DEUM cum fiducia exeat, & dicat; verumtamen memor ſit conditionis ſuæ. n.

N. Videlicet, an ſit ſufficienti notitia, aliíſque qualitatibus ad fidem faciendam requiſitis inſtructus.

V. Et factâ aliquali morâ, Pontifex convertens Sermonem ſuum ad Ordinandos, admonet eos, dicens:

Provehendi, Filij dilectiſſimi, ad Leviticum o. *Ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis. Diaconum enim oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare. Sanè in veteri lege ex duodecim una Tribus Levi electa eſt, quæ ſpeciali devotione tabernaculo DEI, ejúſque Sacrificijs ritu perpetuo deſerviret. Tanta dignitas ipſi conceſſa eſt, quòd nullus,*

niſi

niſi ex ejus ſtirpe, ad divinum illum cultum & officium miniſtraturus aſſurgeret; adeò ut grandi quodam privilegio hæreditatis, & Tribus Domini eſſe mereretur, & dici: quorum hodie, Filij dilectiſſimi, & nomen, & officium tenetis; p. *quia in tabernaculum teſtimonij, id eſt, Eccleſiæ DEI, eligimini in Levitico officio,* q. *quæ ſemper in procinctu poſita inceſſabili pugna contra inimicos dimicat;* r. *unde ait Apoſtolus: Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates, adverſus Mundi Rectores tenebrarum harum; contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Quam Eccleſiam DEI veluti tabernaculum portare, & munire debetis ornatu ſancto,* s. *prædicatu divino, exemplo perfecto. Levi quippe interpretatur additus ſive aſſumptus. Et vos, Filij dilectiſſimi, qui ab hæreditate paterna nomen accipitis, eſtote aſſumpti à carnalibus deſiderijs, à terrenis concupiſcentijs, quæ militant adverſus animam; eſtote nitidi, puri, mundi, caſti, ſicut decet Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum DEI, ut dignè addamini ad gradum Eccleſiaſtici gradus; ut hæreditas & Tribus amabilis Domini eſſe mereamini. Et quia Comminiſtri & cooperatores eſtis Corporis & Sanguinis* Domini, *eſtote ab omni illecebra carnis alieni, ſicut ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Cogitate beatum Stephanum merito præcipuæ caſtitatis ab Apoſtolis ad officium iſtud electum. Curate ut, quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem evangelizantium bona. Habete pedes veſtros calceatos Sanctorum exemplis, in præparatione Evangelij pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam ſuam.*

O. Nam ſicut olim Levitæ erant ſpecialiter ordinati ad cultum DEI promovendum, & ſacrificia cum Sacerdotibus offerenda, ita & Diaconi hodie eliguntur, ut Presbyteros in Sacrificio Miſſæ offerendo, aliiſque ſpiritualibus officijs juvent.

P. Hinc etiam hodie vulgari nomine Levitæ vocantur imò & Eccleſia in Officio *SS. S*tephani & Laurentij hoc nomine utitur

Q. Tantò majori cum honore & gloria, quantò laudabilius eſt, ad dignitatem aliquam ob propria merita & virtutes promoveri, quàm hæreditaria & naturali ſucceſſione eandem obtinere.

R. Hinc terribilis ut caſtrorum acies ordinata meritò dicitur.

S. Virtutum ſcilicet, & vera vitæ ſanctitate.

VI. Deinde ſi non ſint ordinati ſubdiaconi, ordinandi omnes proſternunt ſe, ubi genuflectebant, & Pontifice ante Faldiſtorium ſuum genuflectente, dicuntur Litaniæ, & Ordinandi per Pontificem benedicuntur, prout ſuprà in ordinatione Subdiaconi dictum eſt. Poſthæc Ordinandis ab accubito ſurgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex ſedens in Faldiſtorio cum mitra, intelligibili voce alloquitur Clerum & populum dicens;

Commune votum communis oratio proſequatur, ut hi totius Eccleſiæ prece, qui ad Diaconatûs Miniſterium præparantur, Leviticæ bene † dictionis ordine clareſcant, & ſpirituali converſatione præfulgentes, gratia ſanctificationis eluceant, præſtante Domino noſtro JESU Chriſto, qui cum Patre *&c.*

VII. Deinde ſurgens cum mitra Pontifex ſtans verſus ad ordinandos dicit, alta voce legendo:

Oremus, Fratres dilectiſſimi, DEUM Patrem *omnipotentem, ut ſuper hos Famulos ſuos, quos ad officiũ Diaconatûs*

conatûs dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eisq; conſecrationis indultæ propitius dona conſervet, & preces noſtras clementer exaudiat, ut, quæ noſtro gerenda ſunt Miniſterio ſuo benignus proſequatur auxilio, &, quos ſacris Myſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendos, ſua bene† dictione ſanctificet, & confirmet. Per eundem unigenitum Filium ſuum Dominum *noſtrum JESUM* Chriſtum, *qui cum eo & Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus,*

Per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. *Amen.*

Dominus vobiſcum,

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Surſum corda.

℟. *Habemus ad Dominum.*

Gratias agamus Domino DEO noſtro.

℟. Dignum *& juſtum eſt.*

Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine *ſancte, Pater omnipotens, æterne* DEUS, *bonorum dator, Ordinúmque diſtributor, atque Officiorum diſpoſitor, qui in te manens innovas omnia, & cuncta diſponis, per Verbum, Virtutem, Sapientiámque tuam, JESUM Chriſtum Filium tuum* Dominum *noſtrum ſempiterna providentia præparas, & ſingulis quibúſque temporibus aptanda diſpenſas, cujus corpus* Eccleſiam *videlicet tuam cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorúmque connexam diſtinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentũ templi tui creſcere, dilatarique largiris, ſacri muneris ſervitutem trinis gradibus Miniſtrorum tuorum nomini tuo militare conſtituens, electis ab initio Levitæ Filiis, qui in myſticis opera-*

operationibus domûs tuæ fidelibus excubijs permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent. Super hos quoque Famulos tuos, quæſumus, Domine placatus intende, quos tuis ſacris Altaribus ſervituros in officium Diaconatûs *ſuppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines, divini ſensûs & ſummæ rationis ignari, horum vitam, quantùm poſſumus, æſtimamus; te autem, Domine, quæ nobis ignota ſunt, non tranſeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es ſecretorum, tu ſcrutator es cordium. Tu horum vitam cœleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales, & admiſſa purgare, & ea, quæ ſunt agenda, concedere.*

VII. Hîc ſolus Pontifex manum dexteram extendens ponit ſuper caput cuilibet ordinando, & nullus alius, quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur, dicens ſingulis:

Accipite Spiritum Sanctum, ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini.

VIII. Poſtea proſequitur in primo tono, extenſam manum dexteram tenens uſque in finem Præfationis.

Emitte in eos, quæſumus, Domine, *Spiritum tuum, quo in opus miniſterii tui fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, authoritas modeſta, pudor conſtans, innocētiæ puritas, & ſpiritualis obſervantia diſciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſanctam plebs acquirat, & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes in Chriſto firmi & ſtabiles perſeverent, dignisque ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.* Per *eundem &c.*

IX. Poſt-

IX. Poſthæc Pontifex ſedens cum mitra, cuilibet ordinando ante ſe genuflexo ſtolam, quam ſinguli in manu habent, imponit ſucceſſivè ſuper humerum, ſiniſtrum dicens:

Accipe ſtolam † candidam de manu DEI; adimple miniſterium tuum; potens eſt enim DEUS, ut augeat tibi gratiam ſuam. Qui vivit &c.

Faciens ſuper quemlibet eorum ſignum Crucis, & Miniſtri reflectant capita ſtolæ, & alligent ſub brachio dextro. Poſthæc Pontifex accipiens Dalmaticam induit eâ quemlibet ſucceſſivè uſque ad humeros, & ſic fit uſque ad ultimum, quem eâ totaliter induit, & hoc ſi una ſit Dalmatica. Si verò quilibet ſuam habet, tunc ſingulos ſuâ totaliter induit dicens cuilibet.

Induat te Dominus indumento ſalutis, & veſtimento lætitiæ, & dalmaticâ juſtitiæ circumdet te ſemper in nomine Domini. ℟. *Amen.*

X. Poſtremò Pontifex accipit, & tradit omnibus librum Evangeliorum, *t.* quem manu dextrâ tangunt, dicens:

Accipite poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia DEI tam pro vivis, quàm pro defunctis. In nomine Do*mini.* ℟. *Amen.*

Quo facto Pontifex ſtans, & ad Altare converſus dicit ſine mitra.

OREMUS.

Et Miniſter: *Flectamus Genua.*

℟. *Levate.*

Et vertens ſe ad ordinatos dicit:

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hos Famulos tuos Spiritum bene†dictionis emitte, ut cœleſti munere ditati,

ditati, & tuæ majeſtatis gratiam poſſint acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum &c.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater Fidei, ſpei, & gratiæ, & profectuum remunerator, qui in cœleſtibus & terrenis Angelorum miniſteriis ubique diſpoſitis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hos quoque Famulos tuos ſpirituali dignare illuſtrare affectu, ut tuis obſequiis expediti, ſanctis Altaribus tuis miniſtri puri accreſcant, & indulgentiâ tuâ puriores eorum gradu, quos Apoſtoli tui in ſeptenarium numerum beato Stephano Duce ac prævio, Spiritu Sancto Authore, elegerunt, digni exiſtant, & virtutibus univerſis, quibus tibi ſervire oportet, inſtructi tibi complaceant. Per Dominum &c.

T. Qui proinde cum ipſa impoſitione manûs rectè materia hujus Sacramenti ab Authoribus dicitur.

XI. Deinde cùm tempus fuerit, aliquis de noviter ordinatis dalmaticâ indutus Evangelium dicit. Ordinati autem ſtatim, ſuggerente Archidiacono, redeunt ad loca ſua.

MEMBRUM XI.
DE ORDINATIONE PRESBYTERI.

I. PRo ordinatione Presbyterorum *v.* parentur oleum Catechumenorum, Calix cum vino & aqua, Patena & hoſtia deſuper poſita; medulla panis, & bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas ſinguli ad ſuas mappulas extergunt.

V. Quod nomen Græce *Seniorem* ſignificat, ut vel ex ipſo ſuo nomine diſcant Sacerdotes, non tam annorum & ætatis, quàm morum, ſapientiæque canitiem & maturitatem procurare, devitando videlicet omnia levia, ſcurrilia, & Sacerdotii majeſtate indigna colloquia, vel contubernia.

II. Dia-

II. Diaconis ordinatis, Pontifex ad ſedendum in ſede ſua vel faldiſtorio, in plano juxta cornu Epiſtolæ accedit, & cantatur Tractus uſque ad ultimum verſum excluſivè, vel ſi ſit intra octavam Pentecoſtes, Tractus & ſequentia uſque ad ultimum verſum excluſivè. Interim accedunt duo Capellani cum libro & candela ante Pontificem, qui ex eo legit ipſum Tractum, & ſequentiam uſque ad ultimum verſum excluſivè. Deinde Pontifex cum mitra revertitur ante Altare, ubi ſedet ſuper faldiſtorium. Tunc Archidiaconus vocat x. Ordinandos voce intelligibili dicens:

Accedant, qui ordinandi ſunt ad ordinem Presbyteratûs.

Et mox nominatim leguntur per Notarium, prout ſuprà dictũ eſt, nulla tamen de titulo facta mentione.

Tunc illi more Diaconorum parati, amictu, albâ, cingulo, ſtolâ & manipulo, tenentes planetas ſuper brachium ſiniſtrum complicatas, & in manu dextra candelas ac mappulas albas pro ligandis manibus ad Pontificem accedunt, & coram eo in modum coronæ ſe diſponunt.

x. Quæ vocatio ſignificat, neminem à ſeipſo Sacerdotium aſſumere, neminem ex favore nominari, neminem non vocatum à DEO ultro ingerere ſe debere; non enim quisquam ſibi ſumit honorem (*Sacerdotij*) ſed qui vocatur à DEO tanquam Aaron; quemadmodum monet Apoſtolus. Hebr. 5.

III. Tunc Archidiaconus præſentat z. ordinandos Pontifici dicens:

Reverendiſſime Pater, poſtulat ſancta Mater Eccleſia Catholica, ut hos præſentes Diaconos ad onus Presbyterij ordinetis.

Et

Et Pontifex interrogat dicens:

Scis illos eſſe dignos?

Reſpondet Archidiaconus:

Quantum humana fragilitas nôſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor ipſos dignos eſſe ad hujus onus officij.

Pontifex dicit: *Deo gratias.*, & annuntiat Clero ac Populo dicens:

Quoniam, Fratres chariſſimi, rectori navis, & navigio deferendis eadem eſt vel ſecuritatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtit. Neq; enim fuit fruſtra à Patribus inſtitutum, ut de electione illorum qui ad regimen Altaris adhibendi ſunt conſulatur etiam Populus a. quia de vita & converſatione præſentandi, quod nunquam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis; & neceſſe eſt, ut faciliùs ei quis Obedientiam exhibeat Ordinato, cui aſſenſum præbuit ordinando. Horum ſiquidem Diaconum in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum converſatio (quantùm mihi videtur) probata & Deo placita exiſtit, & digna, ut arbitror, Eccleſiaſtici honoris augmento. Sed ne unum fortaſſis, vel paucos, aut decipiat aſſenſio, vel fallat affectio, ſententia eſt expetenda multorum. Itaq; quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de meritis ſentiatis, libera voce pandatis, & his teſtimonium Sacerdotij magis pro merito, quàm affectione aliqua tribuatis. Si quis igitur aliquid habet contra illos, pro Deo, & propter Deum, cùm fiducia exeat, & dicat, Verumtamen memor ſit conditionis ſuæ.

Z. Quæ præſentatio fit nomine Eccleſiæ, cujus ſolius eſt ordinandos præſentare Pontifici, qui vices DEI gerit, à quo omnis, ut antè dictum eſt, vocatio & electio fieri ſolet atque adeò nemo eidem præſentari debet, niſi quem DEUS elegerit

4. Quis

A. Quia ex Apoſtoli ſententia 1. Tim. 3. oportet illum teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt, id eſt extra Eccleſiam, (ut ſunt Infideles) aut Clerum, ut ſunt Laici Chriſtiani. Unde & in prima ordinatione Diaconorum jam Apoſtoli delectum & præſentationem Populo reliquerunt dicentes: *Conſiderate* (id eſt, eligite) *viros boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto*, Act. 6. idque deinceps ſemper obſervatum fuiſſe, ut in conſecratione Epiſcoporum & Præsbyterorum Populi approbatio & conſenſus requiertur, paſſim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores teſtantur; cujus rei cauſam rectè Pontificale præter alias hanc etiam aſſignat, ne, ſi Paſtor Populo invito obtrudatur, eidem ſubdi recuſent, aut ægrè vocem illius audiant, aut ab ingrata manu ſalutis remedia perverſo & alieno animo in perniciem animarum ſuſcipiant.

IV. Poſtea Pontifex, factâ aliquâ morâ, convertens ſermonem ſuum ad ordinandos, admonet eos dicens:

Conſecrandi Filii dilectiſſimi, in Presbyteratûs officiũ, illud dignè ſuſcipere, ac ſuſceptum laudabiliter exequi ſtudeatis Sacerdotem enim oportet offerre b. *benedicere* c. *præeſſe* d. *prædicare* e. *& baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum aſcendendum eſt* f *ac providendum, ut cæleſtis ſapientia, probi mores, & diuturna Juſtitiæ obſervatio ad id electos comendent. Unde Dominus præcipiens Moſi, ut ſeptuaginta viros de univerſo Iſrael in adjutorium ſuum eligeret, quibus Spiritûs Sancti dona divideret ſuggeſſit: Quos tu nôſti, quòd ſenes Populi ſunt.* g. *Vos ſiquidem in ſeptuaginta viris & ſenibus ſignati eſtis. ſi per ſpiritum ſeptiformem.* h. *Decalogum legis cuſtodientes probi & maturi in ſcientia ſimiliter & opere eritis. Sub eodem quoque myſterio, & eâdẽ figurâ in novo Teſtamento Dominus ſeptuaginta duos elegit, ac binos ante ſe in prædicationẽ miſit, ut doceret verbo ſimul & facto, Miniſtros Eccleſiæ fide & opere debere eſſe perfectos, ſeu geminæ dilectionis, DEI ſcilicet &*

proximi, virtute fundatos. Tales itaque eſſe ſtudeatis, ut in adjutorium Moyſi, & duodecim Apoſtolorum Epiſcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moyſen & Apoſtolos figurantur, dignè per gratiam DEI elegi valeatis. Hâc certè mira varietate Eccleſia Sancta circumdatur, ornatur, & regitur, cùm alij in ea Pontifices, alij minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, diverſorum Ordinum viri conſecrantur, & ex multis & alternæ dignitatis membris unum Corpus Chriſti efficitur. Itaque, Filij dilectiſſimi, quo ad noſtrum adjutorium, Fratrum noſtrorũ arbitrium conſecrandos elegit, ſervate in moribus veſtris caſtæ & ſanctæ vitæ integritatem. Agnoſcite, quod agitis. I. *Imitamini, quod tractatis* K. *quatenus mortis Dominicæ myſteriũ celebrantes mortificare membra veſtra à vitijs & concupiſcentijs omnibus procuretis. Sit doctrina veſtra ſpiritualis medicina Populo DEI. Sit odor vitæ veſtræ, delectamentum Eccleſiæ Chriſti, ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id eſt, Familiam DEI, quatenus nec nos de veſtra profectione, nec vos de tanti officij ſuſceptione damnari à Domino, ſed remunerari potiùs mereamur. Quod ipſe nobis concedat per gratiam ſuam. ℟. Amen.*

B. Id eſt, conſecrare & ſacrificare Corpus, & ſanguinem Chriſti, quod officium uti dignitate omnia alia Sacerdotij munia longiſſimè antecedit, ita primo quoque loco jure merito nominatur.

C. Aquam benedictam videlicet, ſalem, palmas, cereos & alia, pro quibus ſpeciales benedictiones in Miſſalibus & Ritualibus aſſignantur.

D. Id eſt, Paſtorem ſpiritualem agere, atque adeò verbo doctrinæ, & exemplo vitæ paſcere, & dirigere.

E. Quod etſi Proprium Epiſcoporum ſit officium, uti ex eo colligitur, quòd teſte Poſſidio in vita S. Auguſtini, olim præſente Epiſcopo Sacerdotibus illicitum fuerit concionari

hodi

hodie tamen, cùm Epiſcopi rarò ipſimet prædicent, proprium hoc Sacerdotum munus eſt. ob quam cauſam ante Evangelium ordinantur, ut vel ex ipſo hoc ritu moneantur, quòd ad Evangelium & Verbum DEI prædicandum paratos adhibere ſe debeant.

F. Quod iterum propriè convenit Sacerdoti, Diacono verò non niſi in abſentia illius. Etſi verò horum quinque duntaxat Officiorum in Pontificali fiat mentio, negari tamen non poteſt, etiam munus Sacramenta Pœnitentiæ & Evchariſtiæ adminiſtrandi convenire, ſed quæ fortè omiſſa fuerint, eò quòd ad tertium officium aliquo modo revocari queant.

G. Non utique ob decrepitam duntaxat ætatem, ſed Sapientiæ, morúmque maturitatem atque canitiem.

H. Id, ſeptem dona Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ, Conſilij, Fidei, Fortitudinis, Timoris, & Pietatis.

I. Si enim olim, cùm Dijs Sacrificia immolabantur, Præco clamare juſſus eſt: Age, quod agis. Quantò magis, cùm Sacerdos Chriſtianus ad Sacrificium, quod Ethnica ac profana ſacrificia dignitate infinities excedit, offerendum iniungitur, meminiſſe debet, quale munus nanciſcatur.

V. Si non ſint factæ ordinationes Subdiaconorum vel Diaconorum, dicuntur Litaniæ, ut ſuprà in Ordinatione Subdiaconorum dictum eſt.

VI. Poſthæc ſurgunt omnes, & ordinandis coram Pontifice binis & binis ſucceſſivè flectentibus, Pontifex ſtans ante faldiſtorium ſuum cum mitra, & nulla oratione, nullóque cantu præmiſſis, imponit ſimul utramque manum ſuper caput cujuslibet ordinandi ſucceſſivè, nihil dicens. Idémque faciunt poſt eum omnes Sacerdotes, qui adſunt; *k.* quorum tres aut plures planetis vel ſaltem cum ſtolis parati, ſi commodè fieri poteſt, eſſe deberent. Quo facto, tam Pontifex, quàm Sacerdotes tenent manus dextras extenſas ſuper illos, & Pontifex ſtans cum mitra dicit:

Oremus, Fratres cariſſimi, DEUM Patrem Omipotentem, ut ſuper hos Famulos ſuos, quos ad Presbyterij munus elegit, cœleſtia dona multiplicet & quod ejus dignatione ſuſcipiunt, ipſius conſequantur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

R. Unde, quia hæc impoſitio manuum non à ſolo Epiſcopo fieri conſuevit, nec certa forma adhibetur, meritò cæremonialis duntaxat, & non eſſentialis dicitur, quâ Pontifex electionem ordinandorum in Presbyteros inſinuat, & ipſi Presbyteri nomine Cleri, & Eccleſiæ ſe ratum habere Pontificis judicium, & in electionem conſentire teſtantur. Cur autem in ordinatione Diaconi ſolus Pontifex, hîc autem etiam reliqui Sacerdotes manus imponant ordinando, fieri cenſendum eſt, vel ad uberiorem Sacerdoti conferri ſolitam gratiam ſignificandam; vel ut indicetur, Sacerdotem ordinatum in conſortium aliorum Sacerdotum admitti.

VII. Pontifex depoſitâ mitrâ converſus ad Altare dicit:

OREMUS.

Et Miniſtri: *Flectamus genua.*

℟. *Levate.*

Et mox converſus ad ordinandos dicit:

Exaudi nos, quæſumus Domine, DEUS noſter, & ſuper hos Famulos tuos bene † dictionem Sancti Spiritûs & gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem, ut, quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, perpetua muneris tui largitate proſequaris. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Spiritûs ſancti DEUS,

Tum extenſis manibus ante pectus dicit:

Per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. *Amen.*

Dominus vobiscum.

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Surſum

Surſum corda.

℟. *Habemus ad Dominum.*

Gratias agamus Domino DEO noſtro.

℟. *Dignum & juſtum eſt.*

Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſanCte Pater omnipotens, æterne DEUS, honorum author, & diſtributor omnium dignitatum per quem proficiunt univerſa; per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione diſpoſitum. Unde & Sacerdotales gradus, & officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt, ut, cùm Pontifices ſummos regendis Populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis & operis adjumentum ſequentis Ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per ſeptuaginta virorum prudentium mentes, Moyſi ſpiritum propagâſti, quibus ille adjutoribus uſus, in Populo innumeras multitudines facilè gubernavit. Sic & in Eleazarum & Ithanarum Filios Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti; ut ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officii Sacramenta, Miniſteriũ ſufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apoſtolis Filij tui Doctores fidei comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine, quæſumus, hæc adjumenta largire; qui, quantò fragiliores ſumus tantò his pluribus indigemus. Da, quæſumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterij dignitatem innova in viſceribus eorum Spiritum ſanctitatis, ut acceptum à te, DEUS, ſecundi meriti munus obtineant cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent. Sint providi Cooperatores Ordinis noſtri, eluceat

 ceat

erat in eis totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem di-ſpenſationem ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudi-nis præmia aſſequantur. Per eundem &c.

VIII. Pontifex ſedet acceptâ mitrâ, & reflectit oratium *l.* ſive ſtolam ab humero ſiniſtro cujuſ-libet capiens partem, quæ retro pendet, & impo-nens ſuper dextrum humerum, aptat eam ante pe-ctus, in modum Crucis, ſingulis dicens:

Accipe jugum Domini, m. *jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve.*

L. Sic Stolam vocat Romanus Ordo, teſte Gavanto p. i. cit. 1. n. 3. lit. m. vel quia Oratorum ſeu Prædicatorum ha-bitus eſt, ut Alcuinus putat; vel quia in Oratione potiſſi-mum adhibetur, ut Ven. Beda exiſtimat.

M. Ut inde diſcat, quemadmodum jugum à duobus conjunctis animalibus portatur, ita hoc quoque jugum non à ſe Sacerdote ſolo, ſed etiam DEO per auxilium ſuum co-operante portatum iri; atque adeò ſicut cùm duo animalia diverſarum virium, unum magnum & robuſtum valde, al-terum parvum & debile eidem jugo innectuntur, totum ferè onus grandiori incumbit, levíſque adeò labor minori effi-citur, ita & in Sacerdotalibus functionibus majorem oneris partem DEO incubiturum, non niſi minorem verò ipſi Pres-bytero, unde jugum ſuave & onus leve dicitur.

IX. Poſtea imponit cuilibet ſucceſſivè Caſulam *n.* uſque ad ſcapulas (quam quilibet teneat ſuper humeros complicatam à parte anteriori deorſum pendentem) ſingulis dicens:

Accipe veſtem Sacerdotalem, per quam caritas in-telligitur; potens eſt enim Deus, ut augeat tibi cari-tatem & opus perfectum.

℟. *DEO gratias.*

N. Sic iterum Ordo Romanus vocat, eò quòd in ea veluti parva quâdam casâ habitet Sacerdos, ut aliqui apud Gavantum l. c. n. 5. putant. Significat autem veſtem nuptia-

lem caritatis, quâ Sacerdos ante & retro, erga DEUM ſcilicet, & proximum, ardere debet. Aliam adhuc ſignificationem affert Thomas de Kempis lib. de imitatione Chriſti, dum l. 4. c. 5. ſic loquitur: *Sacerdos ſacris veſtibus indutus Chriſti vices gerit, ut DEUM per ſe, & pro omni Populo ſuppliciter & humiliter roget. Habet ante ſe & retro Dominicæ Crucis ſignum ad memorandam jugiter Chriſti Paſſionem. Ante ſe Crucem in Caſula portat, ut Chriſti veſtigia diligenter inſpiciat, & ſequi ferventer ſtudeat; poſt ſe Cruce ſignatus eſt, ut adverſa qualibet ab aliis illata clementer pro DEO toleret. Ante ſe Crucem gerit, ut propria peccata lugeat; poſt ſe, ut aliorum etiam commiſſa per compaſſionem defleat, & ſe medium inter DEUM & peccatorem conſtitutum eſſe ſciat, nec ab oratione & oblatione ſancta torpeſcat, donec gratiam & miſericordiam impetrare mereatur.*

X. Surgit Pontifex ſine mitra & omnibus genua flectentibus, dicit:

DEUS ſanctificationum omnium Author, cujus vera conſecratio, plenáque benedictio eſt, tu, Domine, ſuper hos Famulos, quos ad Presbyterii honorem dedicamus, munus tuæ bene † dictionis infunde, ut gravitate actuum & cenſura vivendi probent ſe ſeniores, his inſtituti diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, o. *ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant: quod crediderint, doceant: quod docuerint, imitentur, Juſtitiam, Conſtantiam, Miſericordiam, Fortitudinem, ceterâsque virtutes in ſe oſtendant, exemplo præbeant,* p. *admonitione confirment, ac purum & immaculatum Miniſterii ſui donum cuſtodiant. & per obſequium plebis tuæ panem & vinum in Corpus & Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment, & inviolabili caritate in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti in die juſti & æterni*

ni judicii DEI, *conſcientiâ, purâ fide vera, Spiritu ſan-cto pleni reſurgant. Per eundem &c.*

O. Præcipuè in prima Epiſtola ad Timotheum c. 3. & 4. Et in ſecunda c. 2. & 3. Et in Epiſtola ad Titum c. 1.

P. Id eſt, incitent, validiora enim ſunt exempla, quàm verba; & plenius opere docetur, quam voce, inquit rectè S. Leo in ſerm de jejun. Nec difficile æſtimatur, quod jam factum conſpicitur, teſte S. Ambroſio.

XI. Tunc Pontifex ſine mitra ante Altare converſus, flexis genibus incipit alta voce, ſchola proſequente, hymnum, *Veni Creator Spiritus*. Dicto primo verſu, ſurgit Pontifex, & ſedet in Faldiſtorio cum mitra, & depoſitis chirothecis, annulo Pontificali reaſſumpto, ponitur ei gremiale *q.* ſive mappula ſuper gremium, & ſinguli Ordinandi ſucceſſivè coram eo genuflectunt, & Pontifex cum oleo Cathecumenorum inungit unicuique ambas manus ſimul junctas in modum Crucis, producendo cum pollice ſuo dextro in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet à pollice dextræ manûs uſque ad indicem ſiniſtræ, & à pollice ſiniſtræ uſque ad indicem dextræ, ungendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit:

Conſecrare, & ſanctificare digneris, Domine, manus iſtas per iſtam unctionem, & noſtram bene † dictionem.

Pontifex producit manu dextra ſignum Crucis ſuper manus illius, quem ordinat, & proſequitur:

Ut, quæcunque benedixerint, benedicantur; & quæcunque conſecraverint, conſecrentur, & ſanctificentur in nomine Domini *noſtri JESU Chriſti.*

Et quilibet Ordinandus reſpondet: *Amen.*

Q. Sic dictum, quia ſuper gremium Epiſcopi ponitur, ne manus caſulæ imponendo, eandem commaculet.

XII. Tum

XII. Tum Pontifex claudit, ſeu jungit manus cujuslibet ſucceſſivè, quas ſic conſecratas aliquis Miniſtrorum Pontificis albo panniculo lineo, ſimul videlicet dextram ſuper ſiniſtram alligat, & mox unusquisque ad ordinem ſuum redit, & ſic clauſas & alligatas manus tenent. Omnium manibus unctis & conſecratis, Pontifex pollicem mitrâ panis tergit; tum tradit cuilibet ſucceſſivè calicem cum vino & aquâ, & patenam ſuperpoſitam cum hoſtia, & ipſi illam accipiunt inter indices & medios digitos, & cuppam calicis & patenam ſimul tangunt, Pontifice ſingulis dicente;

Accipite poteſtatem, offerre Sacrificium DEO, *Miſſásque celebrare, tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine* Domini. *Amen.*

XIII. His peractis Pontifex lavat manus cum medulla panis, & aqua lotionis hujusmodi projicitur in ſacrarium. Deinde cum mitra revertitur ad ſedem ſuam, vel faldiſtorium in cornu Epiſtolæ in plano ſibi paratum, ubi ſedet cum mitra. Et chorus cantat ultimum verſum vel Tractus, vel ſequentiæ ſive *Alleluia*, legit etiam ſecretè *Munda cor meum*, atque Evangelium. Interea unus ex Diaconis noviter ordinatis accedit ad Altare cum textu Evangelij ante pectus, dicit *Munda cor meum*: & cantat Evangelium.

XIV. Interim parantur per Miniſtros Hoſtiæ ſuper Altare pro numero Ordinatorum in Ordinibus Sacris, qui omnes comunicare debent, & proceditur in Miſſa ordine ſolito. Interea dum Offertorium canitur, vel etiam priùs, ordinati Sacerdotes *r.* poterunt lavare manus ſuas cũ medulla panis, & aquâ benè mundare, atq; extergere mappulis illis, quibus ligatæ erant, & aqua

ablutionis hujusmodi proijcitur in ſacratium. Pontifex verò offertorio lecto, acceptâ mitrâ vadit ad faldiſtorium ante medium Altaris, & ibi ſedens accipi Offertorium ab omnibus Ordinatis, qui omnes accedunt bini & bini ad Pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi ſingulas candelas accenſas, & oſculantur ejus manum, primò Presbyteri, tum Diaconi ſucceſſivè, & alij ſuo ordine.

R. Quales quidem rectè jam vocantur, quia licet nondum complete & quoad omnem extenſionem ſint Sacerdotes, ſunt tamen veri Sacerdotes quoad eſſentiam, cùm habeant vi præcedentis ordinationis poteſtatem conſecrandi, quæ diſtinguit Sacerdotem à Diaconis & Subdiaconis.

XV. Accepto ſingulorum Offertorio, Pontifex lavat manus, & ſurgit ſine mitra, ac tollitur faldiſtorium, & proſequitur Miſſam. Presbyteri verò ordinati poſt Pontificem vel hinc & inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi habeant libros corã ſe dicentes: *Suſcipe Sancte Pater &c.* & omnia alia, prout dicit Pontifex: qui tamen benè advertat, quòd ſecretas moroſè dicat, & aliquantulùm altè, ita ut Ordinati Sacerdotes poſſint ſecum omnia dicere; & præſertim verba conſecrationis, quæ dici debent eodem momento ſ. per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem,

S. Quantùm fieri poteſt; aut certè caveant, ne ante Pontificem quisquam verba conſecrationis abſolvat, ne Pontifex non conſecrando Sacrificium imperfectum aut nullum offerat, cùm probabilis ſit ſententia, illum ſolum verè conſecrare: qui primus formulam conſecrationis abſolvit

XVI. Secretra pro Ordinatis, quæ dicitur cum Secreta Miſſæ di ei ſub uno *Per Dominum &c.*

Tuis, quæſumus, Domine, operare myſteriis, ut hæc tibi muner

munera dignis mentibus offeramus. Per *Dominum noſtrum &c.*

T. Intellige poſtremâ ſecretâ, ſi plures ſint; nam prima, ſi plures ſint, ſemper ſub uno *per Dominum* dicitur:

XVII. Cùm Pontifex dixerit Orationem *Domine JESU Chriſte*, oſculatur Altare, & dat primò ex ſingulis Ordinatis cujuslibe Ordinis ſacri ad eum accedenti, & Altare priùs ad dextram Pontificis deoſculanti pacē dicens: *Pax tecum*, cui ille reſpondet: *Et cum ſpiritu ſancto.* Et quilibet illorum dat ſequenti ſui Ordinis ſecum Ordinato, & ille alteri, & ſic uſque ad ultimum continuatur. Si autem Ordinatorum parvus ſit numerus, Pontifex poterit Pacem dare ſingulis. Poſtquam verò Pontifex ſe comunicaverit, & totum ſanguinem ſumpſerit, priusquam digitos abluat, accedunt ante Altare Presbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi, quibus ordinatè diſpoſitis & genuflexis, Pontifex factâ reverentiâ Sacramento, aliquantulum verſus cornu Evangelij ſe rettahens, ad eos ſe convertit, & ſinguli ex Diaconis, & Subdiaconis tantùm dicunt ſubmiſſa voce. ℣. *Confiteor DEO Omnipotenti &c.*

Et ſi Officium fiat in cantu unus de Ordinatis illud cantat.

V. Ita tamen, ut audiri ab adſtantibus queant.

XVIII. Et Pontifex ſtans capite detecto, verſus ad eos dicit intelligibili voce, niſi Officium fiat in cantu *Miſereaur. Indulgentiam &c.* & manu dextra ſignum Crucis ſuper eos communiter producit.

XIX. Presbyteri ante communionem non dicunt confeſſionem, nec datur eis Abſolutio, quia concelebrant Pontifici: propterea ſi non adſunt alij ordi-

ordinati; Confeſſio & Abſolutio prædictæ omittuntur.

XX. Tum accedunt ſinguli ordinatI ad ſupremum gradum Altaris. Pontifex verò ponit plures Hoſtias conſecratas ſuper Patenam, quam ori cujuslibet communicandi ſupponit, & ſingulos communicat dicens: *Corpus Domini noſtri &c.* Quilibet reſpondet *Amen.* & priusquam communionem ſumat, manum Pontificis Hoſtiam tenentem oſculatur. Unus Miniſtrorum Pontificis ſtat juxta cornu Epiſtolæ Altaris, calicem habens non illum, cùm quo Pontifex celebravit, ſed alium cum vino & mappulam mundam in manibus, ad quem ſinguli communicati accedunt, & ſe purificant, os abſtergunt, & ad partem ſe locant. Omnibus communicatis Pontifex extergit Patenam ſuper Calicem ſuum, ſuper eum digitos abluit, ſumit ablutionem, accipit mitram, & lavat manus. Pontifex lotis manibus, mitrâ depoſitâ, ſtans in cornu Epiſtolæ Altaris, verſus ad illud, inchoat in cantu, ſcholâ proſequente, Reſponſorium, quod à Septuageſima uſque ad Paſcha dicitur ſine *Alleluja.*

Jam non dicam vos Servos, ſed Amicos meos, quia omnia cognoviſtis, quæ operatus ſum in medio veſtri. Alleluja. Accipite Spiritum Sanctum in vobis Paraclitum. Ille eſt, quem Pater mittet vobis. Alleluja. Vos Amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Accipite Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Ille eſt, quem &c.

XXI. Incepto Reſponſorio, Pontifex acceptâ mitrâ, vertit ſe ad Presbyteros ordinatos, qui ante Altare coram ipſo ſtantes profitentur fidem, quam præ-

prædicaturi ſunt, dicentes: *Credo in DEUM Patrem &c.* Quo finito, Pontifex cum mitra ſedens ſuper faldiſtorium ante medium Altaris, imponit ambas manus *x.* ſuper capita ſingulorum coram eo genuflectentium dicens cuilibet.

Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta ſunt. z.

X. Quæ eſt altera partialis materia hujus Ordinis, quam ſolam habemus ab Apoſtolis, de qua S. Paulus ad Timotheum 1. c. 5. ſcribens dixit: *Nemini manus citò impoſueris*, hoc eſt, ordinaveris. Et 2. ad Tim. 1. *Moneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, Unde Græci hanc ſolam impoſitionem, quam Χειροθεσίαν vocant, pro materia hujus Ordinis agnoſcunt.

Z. Per quam formulam poteſtas adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ confertur. Et quia remiſſio peccatorum, & infuſio gratiæ communiter Spiritui Sancto velut divino amori & ſupremæ ac ſubſtantiali Bonitati tribuitur, ideo ut Author hujus poteſtatis & effectus ſignificetur, rectè præmittitur: *Accipe Spiritum Sanctum.*

XXII. Deinde explicans caſulam, quam unusquisque habet ſuper humeros complicatam, induit illâ quemlibet dicens: *a.*

Stolâ innocentiæ induat te Dominus.

A. Quæ explicatio ſignificare videtur completum hâc novâ poteſtate conceſsâ Sacerdotium eſſe, dum non in verum duntaxat ſed, myſticum etiam Corpus poteſtas illi conceſſa eſt.

XXIII. Et mox iterum unusquisque ad Pontificem accedit, & genuflexus ponit manus ſuas junctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, ſi ſuus eſt Ordinarius.

Promittis mihi, & Succeſſoribus meis reverentiam b. *& obedientiam* c.

Et

Et ille reſpondet: *Promitto.* d.

B. Quæ reverentia dignitatem Epiſcopalem exigit, quæ ob Perſonam DEI, quam gerit, ei debetur, atque adeò exigit, ut non tantùm interius debitam de illo æſtimationem concipiat, ſed eandem etiam externis reverentiæ ſignis demonſtret.

C. Quæ authoritatem ac poteſtatem Epiſcopalem reſpicit, exigitque, ut Presbyter, ſicut ex poteſtate ſæculari extractus eſt per Ordinationem, atque non alium, quàm Epiſcopum ſuperiorem immediatum agnoſcit, ita ei perinde in omnibus obediat, quemadmodum ſæculares ſuis ſuperioribus obedire tenentur, cùm ad omnes pertineat adhortatio D. Petri 1. c. 2. monentis, ut in omni timore Dominus non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis obedientia exhibeatur.

D. Quæ promiſſio olim ſcripto & cum juramento fieri ſolita) uti ex Concilio Toletano II colligitur) nunc tantùm verbis expreſſis requiritur veréque in conſcientia obligat. Cur autem à Presbyteris duntaxat, & non à reliquis etiam Clericis exigatur ratio, eſſe videtur, quòd Sacerdotium in ſtatu perfecto Clericalis Ordinis, ad quem omnes reliqui plerumque tendunt, conſtituat, atque adeò tunc meritò exigatur, quando perfectionem ſui ſtatûs obtinuit Clericus.

XXIV. Si verò Pontifex non eſt, ſed ſuus Ordinarius, dicit ſingulis:

Promittis Pontifici (vel Prælato) Ordinario tuo pro tempore exiſtenti reverentiam & obedientiam?

Et ille reſpondet: *Promitto.*

Tunc Pontifex tenens manus illius inter ſuas oſculatur *e.* unumquemque dicens:

Pax Domini ſit ſemper tecum.

Et ille reſpondet: *Amen.*

E. Quod oſculum tanti fecit S. Dionyſius Areopagita c. 5. Eccl. Hier. ut per illud compleri & perfici ordinationem putet, ſignificaréque, quòd Presbyter divina vocatione in Ordinem Eccleſiaſticum cooptatus, per Sacros Ordines amabilis DEO effectus, divinam quandam cum illo Societatem contrahat.

XXV. Hi

XXV. His expletis, & illis ad Ordinem ſuum reverſis Pontifex ſedens cum mitra, & baculo admonet eos, dicens:

Quia res, quam tractaturi eſtis, ſatis periculoſa eſt, moneo vos, ut diligenter totius Miſſæ ordinem, & Hoſtiæ conſecrationem, ac fractionem, & communionem f. *ab alijs jam doctis Sacerdotibus diſcatis, priuſquam ad celebrandam Miſſam accedatis.*

f. Id eſt, Cæremonias & Modum conſecrationem & alias ſimiles Miſſæ actiones ritè adminiſtrandi.

XXVI. Pontifex ſurgit cum mitra & baculo, & Presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit dicens voce competenti.

Benedictio DEI Omnipotentis, Pa† tris, & Fi† lij, & Spiritûs † ſancti deſcendat ſuper vos, ut ſitis benedicti in Ordine ſacerdotali, & offeratis placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus Populi omnipotenti Deo cui eſt honor & gloria per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen.*

XXVII. Poſthæc Pontifex, depoſitâ mitrâ, & amoto Faldiſtorio, convertitur ad Altare, proſequitur Miſſam, & cantatur Communio, & dicitur hæc Poſtcommunio pro Ordinatis ſub uno. *Per Dominum &c.* cum Poſtcommunione Miſſæ diei.

POSTCOMMUNIO.

Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis, ut tuæ Redemptionis effectum, & myſteriis capiamus, & moribus. Per Dominum &c.

Deinde dicitur, *Benedicamus Domino*, vel, *Ite, Miſſa eſt*, prout tempus requirit, & per Pontificem, *Placeat tibi ſancta &c.* quo dicto Pontifex, acceptâ mitrâ, & baculo Paſtorali, dat benedictionem ſolitam,

tur, dicens: *Sit nomen* Domini *benedictum &c.* tum ſedet, & alloquitur Ordinatos ſub his verbis:

Filii dilectiſſimi, diligenter conſiderate Ordinem per vos ſuſceptum, ac onus humeris veſtris impoſitum, ſtudete ſanctè & religiosè vivere, atque omnipotenti DEO *placere, ut gratiam ſuam poſſitis acquirere, quam ipſe vobis per ſuam miſericordiam concedere dignetur.*

Singuli ad primam Tonſuram, vel quatuor minores Ordines promoti dicite ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis, Verſiculis, & Orationibus. Ad Subdiaconatum vel Diaconatum, *nocturnum talis diei. Ad Presbyteratum verò ordinati poſt primam veſtram Miſſam, tres alias Miſſas, videlicet unam de Spiritu ſancto, aliam de B. Maria ſemper Virgine, tertiam pro Fidelibus defunctis* g. *dicite & omnipotentem* DEUM *etiam pro me orate.*

Quod illi devotè ſuſcipiunt, & reſpondent ſe facturos.

G. Ad quas tamen Miſſas dicendas ſub nullo peccato obligantur, uti communiter docent Authores. Sed nec immediatè poſt primam Miſſam dicendæ ſunt, ſed ſi tales dies occurrant, quibus alioqui votivas dicere licet.

Tum Pontifex convertit ſe ad Altare, & dicit ſubmiſſa voce: *Dominus vobiſcum, Initium ſancti Evangelii &c.* ſignat Altare & ſe, & revertitur ad ſedem vel Faldiſtorium, ubi exuitur veſtibus ſacris. Ordinati etiam ad Presbyterarum dicunt idem Evangelium, & in loco convenienti veſtes ſacras deponunt, & cum eis alii Ordinati.

MEMBRUM XII.

DE ORDINE MISSÆ A PRESBYTERIS ORDINANDIS OBSERVANDO.

I. Cùm in ordinatione Presbyterorum præcipuè ab illis requiratur, ut cum ipſo Epiſcopo omnia, quæ ab Offertorio dici ſolent in Miſſa, cum ipſo recitent; ipſi verò Ordinandi Miſſalia plerumque ad manus non habeant, ut priùs relegere poſſint Ordinem Miſſæ; aut in ipſo etiam actu Conſecrationis ſæpe difficultatem experiantur, ſi duo aut tres ſimul ex Miſſali Canonem legere debeant, ideo ut quilibet Ordinem Miſſæ pro ſe habeat, placet eundem, quantùm pro hoc fine neceſſe eſt, nempe ab Offertorio, cum Orationibus ſecretis & Poſtcommunionibus, quæ Ordinario Conſecrationum tempore uſurpantur, huc apponere. Quòd ſi quis extraordinario tempore conſecretur, facilè poteri Secreta & Poſtcommunionem ex Miſſali legere, au eaſdem deſcriptas huic libello inſerere.

II. Itaque poſtquam ab Epiſcopo poteſtatem conſecrandi acceperunt, & candelas ſuas eidem poſt Offertorium obtulerunt, deinceps cum ipſo omnia dicunt, quæ in Ordine Miſſæ dicuntur, incipiendo à ſequenti Oratione.

Suſcipe, ſancte Pater, omnipotens æterne DEUS, hanc immaculatam Hoſtiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi DEO meo, vivo, & vero, pro innumerabilibus peccatis, & offenſionibus, & negligentiis meis, & pro omnibus circumſtantibus, ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis vivis, atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad ſalutem in vitam æternam. Amen.

DEUS, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabi-

liter condidiſti, & mirabiliùs reformaſti: da nobis p
hujus aquæ & vini Myſterium, ejus Divinitatis *eſſe co*
ſortes, qui humanitatis noſtræ fieri dignatus eſt partice
JESUS Chriſtus, Filius tuus Dominus *noſter: Qui t*
cum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS
Per omnia ſæculorum. Amen.

Offerimus tibi, Domine, *Calicem ſalutaris, tuam de*
precantes clementiam: ut in conſpectu Divinæ *Majeſta*
tis tuæ pro noſtra, & totius mundi ſalute, cum odore ſua
vitatis aſcendat. Amen.

In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipia
mur à te, Domine: *& ſic fiat Sacrificium noſtrum in con*
ſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine DEUS.

Veni Sanctificator omnipotens æterne DEUS, & be
ne † dic hoc Sacrificium tuo ſancto Nomini præparatum.

Lavabo inter innocentes manus meas: & circumda
bo Altare tuum Domine.

Ut audiam vocem laudis, & enarrem univerſa mi
rabilia tua.

Domine *dilexi decorem domûs tuæ: & locum habita*
tionis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis animam meam: & cum viri
ſanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates ſunt: dextra eorum
repleta eſt muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redim
me, & miſereri mei.

Pes meus ſtetit in directo: in Eccleſiis benedicam
te Domine.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcu
la ſæculorum. Amen.

Suſcipe

Suſcipe, ſancta Trinitas, hanc oblationem, tibi offerimus ob memoriam Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis JESU Chriſti Domini noſtri: & in honore B. Mariæ ſemper Virginis, & beati Joannis Baptiſtæ, & ſanctorum Apoſtolorum Petri *&* Pauli; *& iſtorum & omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris.* Per Chriſtum Dominum *noſtrum &c.*

Orate Fratres: ut meum ac veſtrum Sacrificium, acceptabile fiat apud Deum Patrem *omnipotentem.*

Miniſter: *Suſcipiat &c.*

Sacerdos: *Amen.*

Per *Dominum noſtrum JEſum* Chriſtum *filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus.* Per *omnia ſæcula ſæculorum.*

Dominus vobiſcum.

Surſum corda.

Gratias agamus Domino DEO noſtro.

Verè dignum & juſtum eſt, &c.

Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth. *Pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ, Oſanna in excelſis. Benedictus, qui venit in nomine* Domini, *Oſanna in excelſis.*

Te igitur, Clementiſſime *Pater, per JEſum* Chriſtum *filium tuum* Dominum *noſtrum ſupplices rogamus, ac petimus, ut accepta habeas & benedicas hæc † dona, hæc † munera, hæc † ſancta* Sacrificia *illibata.*

In primis, quæ tibi offerimus pro Eccleſia *tua ſancta* Catholica, *quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo Papa*

noſtro N. & Antiſtite noſtro N. & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei cultoribus.

Memento Domine famulorum famularúmque tuorum, & omnium circumſtantium quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro ſe, ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumnitatis ſuæ: tibique reddunt vota ſua æterno DEO, *vivo & vero, cōmunicantes, & memoria, Genitricis DEI, & Domini noſtri JESU Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ. Jacobi, Philippi,* Bartholomæi, Matthai, *Simonis & Thhadæi: Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chryſogeni, Joannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibúsque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eundum Chriſtum &c,*

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, ut platatus accipias: diéſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorū tuorum jubeas grege numerari. Per Criſtum Dominum *noſtrum. Amen.*

Quam oblationem ut DEUS *in omnibus quæſumus bene † dictam, adſcri † ptam, ra † tam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris, ut nobis Cor † pus, & San † guis fiat dilectiſſimi Filij tui,* Domini *noſtri JESU* Chriſti, *qui pridie, quàm pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & elevatis oculis in cœlum ad te,* DEUM *Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agens bene † dixit, fregit, deditque diſcipulis*

pulis ſuis dicens : Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc eſt enim Corpus meum.

Accipiens & hunc præclarum Calicem, in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, item tibi gratias agens, bene†dixit, deditque Diſcipulis ſuis, dicens : Accipite & bibite ex eo omnes, Hic eſt enim Calix Sanguinis mei novi & æterni Teſtamenti: Myſterium fidei: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam faciatis.

Unde & memores, Domine, *nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta, ejusdem Chriſti Filij tui Domini noſtri, tam beatæ Paſſionis, nec non & ab inferis Reſurrectionis, ſed & in cœlos glorioſæ Aſcenſionis, offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis Hoſtiam† puram, Hoſtiam† ſanctam, Hoſtiam† immaculatam. Panem †ſanctum vitæ æternæ, & Calicem † ſalutis perpetuæ, ſupra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris: & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus munera pueri tui juſti Abel, & Sacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ : & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam.*

Supplices te rogamus, omnipotens DEUS, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime Altare tuum, in conſpectu Divinæ *Majeſtatis tuæ : quotquot ex hac Altaris participatione Sacroſanctum Filii tui Cor†pus, & Sanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratiâ repleamur. Per eundem Chriſtum* Dominum *noſtrum. Amen.*

Memento etiam Domine famulorum famularúmque tuarum N. & N. qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, &

dormiunt in ſomno pacis. Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerij, lucis & pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eundem &c.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus: cum Joanne Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, & Felicitate, Perpetua, Agata, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anaſtaſia, & omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſancti†ficas, vivi†ficas, bene†dicis, & præſtas nobis. Per ip†ſum, & cum ip†ſo, & in ip†ſo, eſt tibi DEO Patri† omnipotenti, in unitate Spiritûs† ſancti, omnis honor & gloria. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere: Pater *noſter, &c.*

Et ne nos inducas in tentationem.

Miniſter: *Sed libera nos à malo.*

Amen.

Libera nos, quæſumus Domine, *ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris: & intercedente Beata & glorioſa Virgine* DEI *Genitrice* Maria, *cum beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per eundem Dominum noſtrum JEſum* Chriſtum *filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs ſancti* DEUS: *per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.*

Pax † Domini ſit † ſemper vo † biſcum.
Miniſter: *Et cum ſpiritu tuo.*

Hæc commixtio & conſecratio Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.

Agnus DEI, *qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.*

Agnus, DEI, *qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.*

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Dona nobis pacem.

Domine JESU Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ut reſpicias peccata mea, ſed fidem Eccleſiæ tuæ, eámque ſecundùm voluntatem tuam pacificare & coadunare digneris, Qui vivis & regnas DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Domine JESU Chriſte, Filii DEI *vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu ſancto per mortem tuam mundum vivificâſti: libera me per hoc Sacroſanctum Corpus, & Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, & univerſis malis: & fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas: qui cum eodem* DEO *Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas* DEUS *in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Perceptio Corporis tui, Domine *JESU* Chriſte, *quod ego indignus ſumere præſumo, non mihi proveniat in judicium, & condemnationem: ſed pro tua pietate proſit mihi ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam. Qui vivis & regnas cum* DEO *Patre, in unitate Spiritûs ſancti* DEUS, *per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

Panem cæleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.

Domine, non ſum dignus &c.

Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.

Corpus Domini noſtri JESV Chriſti, cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

CAPUT II.

DE PRÆSTANTIA SACERDOTII.

DUplici plerumque ex capite colligi poteſt præſtantia alicujus rei. 1. Ex ipſa intrinſeca rei natura ſeu eſſentia. 2. Ex virorum prudentium & peritorum teſtimonio; Ex utroque hoc capite etiam hoc loco præſtantia Sacerdotii demonſtrabitur.

§. I.

De intrinſeca Præſtantia Sacerdotii.

I. Experientia quotidiana docet, tantò præſtantiora plerumque inter homines officia, ſtatúsque cenſeri, quantò amplior illis poteſtas conceditur; hinc Archiepiſcopus Epiſcopo, & Papa dignior utroque cenſetur, quia hic ſuper omnes Fideles, illi verò ſuper aliquos duntaxat, eámque limitatam ſatis poteſtatem habent. Ex quo fundamento rectè concluditur, ſummam Sacerdotio præſtantiam, & dignitatem ineſſe debere, cùm triplicem poteſtatem nulli alteri Homini, quàm Sacerdotibus conceſſam contineat, quarum.

II. Prima eſt poteſtas Sacroſanctum Chriſti Corpus & Sanguinem conſecrandi, atque adeò Sacrificium DEO gratiſſimum offerendi, ex quo quanta dignitas exurgat Sacerdotibus, vel ex eo colligere licet, quòd juxta SS. Patrum & Theologorum ſententiam B. Virgo ideo ſummam præ cæteris hominibus dignitatem ſit aſſecuta, quòd ad Filij Dei Incarnationem aſſenſu ſuo, ſanguinéque ſubminiſtrato fuerit

coope-

cooperata; quidni ergo ſummam pariter Sacerdotibus dignitatem ex eo obveniſſe credamus, quòd per conſecrationem ſuam poteſtatem acceperint, non carnem duntaxat, ſed animam etiam Chriſti, ut multi docent, producendi: id quod ſapienter agnovit S. Auguſtinus hom. 2. dum dixit: *Verè veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus DEI Filius velut in utero Matris incarnatur.* Jam verò ſi ipſum, quod poteſtatis hujus virtute offertur, Sacrificium perpendamus, an non ſingularem iterum Sacerdoti ex ejus oblatione dignitatem & excellentiam obtigiſſe fatebimur; ſi enim, teſte S. Paulo ad Hebræos c. 8. tantò melius quiſlor, titus eſt Miniſterium, quantò melioris teſtamenti Mediator eſt, ſeu quantò perfectiora DEO Sacrificia offert, quis jure neget, quemadmodum Sacrificium incruentum à Sacerdotibus noſtris offerri ſolitum omnia bona per veteris teſtamenti Sacrificia ſignificata velut illorum omnium conſummatio & perfectio complectitur (ut Concilium Tridentinum ſeſſ. 22, c. 1. teſtatur) atque adeò perfectione & dignitate infinities ſuperat, ita Sacerdotij quoque Chriſtiani Miniſterium non omnem modò Laicorum eminentiam, ſed antiquorum etiam Sacerdotum honorem ac dignitatem longiſſimè ſuperare, ut adeò meritò de Sacerdotibus dici queat, quod B. Algerus l. 2. de Sacram. c. 3. de ipſo Sacrificio Miſſæ ſequentibus verbis pronuntiavit: *Multiplicitatem ſacrificiorum veterum ſingularitate Sacrificii ſui abbrevians* (Chriſtus) *occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit, uno unico ſuo Sacrificio remiſſionem, redemptionémque faciens peccatorum, profectúque fidei, cæterarúmque virtutum ad vitam æternam perducens. Cæterarum omnium hoſtiarum vim & dignitatem magnitudine ſua & præſtabili dignitate obruit.*

III. Altera poteſtas circa peccata remittenda verſatur, quæ iſtis Epiſcopi conſecrantis verbis confertur: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt.* De qua poteſtate breviter, ſed præclarè S. Chryſoſtomus in illa verba. *Quodcunque ligaveritis &c.* loquens. *Quidnam, ait, hoc aliud eſſe dicas, niſi omnium rerum cæleſtium poteſtatem illis* (Sacerdotibus) *à DEO eſſe conceſſam? quorumcunque enim,* ait,

ait, peccata retinueritis, retenta ſunt: quænam, obſecro poteſtas hâc unâ major eſſe queat? Et iterum l. 5. de Sacerd. c. 3. *Qui in terra verſantur, inquit, his communiſſimum eſt, ut ea, quæ in cælis verſantur, diſpenſent; iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam DEUS optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Habent quidem terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm, id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum ipſam etiam animam contingit, & ad cælos uſque pervadit.* Et ideo nempe ipſi Reges & Imperatores à peccatis abſolvi cupientes genua coram Sacerdotibus flectunt, ut ipſo hoc ſitu eosdem quoad hanc poteſtatem Judices ſuos, atque adeò dignitate Superiores confiteantur.

IV. Tertia tandem poteſtas eſt Sacramentorum reliquorum adminiſtratio, aliarúmque functionum ad curam animarum pertinentium ſuſceptio; ſi ergo quò altior alicui amplióque poteſtas eſt conceſſa, tantò ſublimior quoque quoad dignitatem ab hominibus æſtimatur, quantam Sacerdotio excellentiam, & ſublimitatem oriri ex hoc credemus, quòd eidem ampliſſima hæc, nullíque unquam homini conceſſa divinorum, altiſſimorúmque Myſteriorum, per quæ, ut Tridentin. ſeſſ. 7. in proœmio loquitur, omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur, diſpenſatio eſt commiſſa; ut adeò meritò S. Paulus ad Coloſſ. c. 4. Archippo dici juſſerit: *Vide* (id eſt, bene conſidera, & magni æſtima) *Miniſterium, quod accepiſti, ut illud impleas*; nam, ut rectè Euſebius Emyſſenus hom. de Sacram. dixit, *ſicut ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum, ita parem potentiam in ſpiritualibus Sacramentis, Miniſtri verbis præbet divina virtus, & ei ſervit effectus.* Unde iterum Apoſtolus hanc poteſtatem conſiderans, *ſic nos exiſtimet homo*, inquit 1. Cor. 4. id eſt, non ut vulgaris dignitatis aut poteſtatis Perſonas conſideret, ſed *ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum DEI*; atque adeo 2. Cor. 6. meritò requirat, ut nemini dent ullam offenſionem, ut non vituperetur Miniſterium eorum, ſed in omnibus exhibeant ſemetipſos ſicut DEI Miniſtros.

V. Quæ omnia ponderans S. Chryſoſtomus hom. 6. in cap. 2. Timoth. dixit: *Sacerdos quaſi communis quidem omium Pater eſt; dignum igitur eſt, ut omnium curam agat, omnibúsque provideat, ſicut & DEUS, cujus fungitur vice.* Et iterum hom. 6. de Sacerd. *Eum*, inquit, *qui pro univerſo orbe terrarum, qui pro civitate tota, quid dico civitate? imò verò pro univerſo orbe terrarum legatus intercedit; deprecatórque eſt apud DEUM, ut omnium non modò viventium, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quæſo eſſe oportet? Equidem neque Moyſis, neque Eliæ fiduciam fore ſatis unquam putaverim ad ſupplicationem hujusmodi peragendum, quandoquidem quaſi mundus univerſus illi concreditus, atque adeò omnium ſit Pater, ſi ad DEUM accedit ipſe deprecans. Porro illum ipſum oportet tantò in rebus omnibus præſtare, pro quibus intercedit, quantò par eſt, ut Subditos Præfectus antecellat.*

§. II.

De Præſtantia extrinſeca Sacerdotij, ſeu ex aliorum teſtimonio.

PRIMUM.

TESTIMONIUM DEI.

I. Triplici indicio DEUS manfeſtavit, quantopere Sacerdotalem ſtatum æſtimet, & diligat. Primum eſt, quòd tantam illi poteſtatem contulerit, quam nulli alteri homini conceſſit; hinc Innocentius III. de pœn. & remiſſ. cap. nova quædam. ait; *Licet beatiſſima Virgo MARIA dignior & excellentior fuerit Apoſtolis univerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claves regni cœlorum commiſit.* Sed & S. Chryſoſtomus apud Beſſæum l. 1. de Sacerd. c. 5. adſtipulans, *Qui terram incolunt*, ait, *atque in ea verſantur, ijs commiſſum eſt, ut ea, quæ in cœlis ſunt, diſpenſent; ijs datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam DEUS optimus Maximus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit.* Et clarius l. 3 de Sacerd. referens hanc originem ad ſolum DEUM; *Sacerdotium quidem*, inquit, *in terra exercetur*,

ſed tamen inter cœleſtia officia referendum eſt, quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, ſed ipſe Paracletus Ordinem ejusmodi diſpoſuit. Ut adeò meritò de hac poteſtate illud Jobi c. 41 uſurpari queat: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei;* ipséque Sacerdos cum veritate in illa Joſephi Patriarchæ verba erumpere poſſit Gen. 39. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habet in domo ſua; nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate.*

II. Secundum indicium ex eo deſumitur, quòd tantum Sacerdotibus honorem exhiberi præceperit; nam imprimis per Eccleſiaſticum c. 7. præcepit: *In anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius ſanctifica; in omni virtute dilige illum, qui fecit te, & Miniſtros illius, ne derelinquas.* Quaſi proximo poſt ſe honore eosdem affici vellet. Unde & Zach. 2. dicit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et iterum Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quapropter meritò S. Ignatius Martyr Smyrneaſibus ſcribens, *Honorate*, inquit, *Sacerdotium ſecundùm Chriſtum, & poſt honorare oportet etiam Regem; Sacerdotium enim eſt ſumma omnium bonorum, quæ in hominibus conſiſtunt.* Et S. Gregorius Papa Mauritio Imperatori ſcribens, *Sacerdotibus*, ait, *non ex terrena poteſtate Dominus meus citiùs indignetur, ſed excellenti conſideratione propter eum, cujus ſervi ſunt, ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.*

III. Tertium indicium eſt, quòd tam ſeverè puniverit, aut puniri præceperit eos, qui Sacerdotes læſerunt; quis enim neſcit Core, Dathan, & Abiron Num. 16 ob offenſum Aaronem hiatu terræ abſorptos eſſe? quis neſcit, eorum complices eâ de cauſa murmurantes ab ultrice flamma conſumptos? quis neſcit, Mariam ſororem Moyſi ob fratrem injurijs laceſſitum ſubitâ lepra percuſſam eſſe? quis neſcit, eum Deut. 17. præcepiſſe: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino DEO tuo & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël.* Et iterum per Pſalmiſtam Pſal. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Si ergo in eos, qui veteris Teſtamenti Sacerdotes læſerunt,

runt, tam ſeverè animadvertit, quantam de violatoribus Sacerdotum novi Teſtamenti pœnam exiget. Id certè non ſemel facto ipſo oſtendit, maximè in Nantino Comite Engoliſmenſi de quo Baronius ad annum 583. teſtatur, quòd, cùm in Heraclium Burdigalenſem Epiſcopum, alióſque DEI Miniſtros multa mala patrâſſet, tam ardenti febre correptus eſt, ut exclamare fuerit coactus: heu; heu, ab Heraclio Antiſtite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor. Cognoſco facinus, reminiſcor injurias me intuliſſe Pontifici, mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Quibus dictis infelicem animam effudit, corpore adeò denigrato, ut prunis ſuperpoſitis combuſtum fuiſſe crederetur. Sed & Valentis Imperatoris cubicularius, quia ſanctum Sacerdotem Aphraatem peſſimè tractaverat, mox in balneum ingreſſus, mente captus eſt, in aquas calidas delapſus vitam finivit, uti Nicephorus l. 11. Hiſt. Eccl. c. 25. refert.

SECUNDUM
TESTIMONIUM CHRISTI.

I. Triplici etiam ipſe Chriſtus teſtimonio declaravit, quantopere Sacerdotalem ſtatum æſtimet, & ab alijs etiam æſtimari deſideret. Primum eſt, dum eo tempore Sacerdotium inſtituit, quò paulò poſt moriturus valedicere volebat Diſcipulis, atque adeò poſtremum, ídque perfectiſſimum amoris ſui erga humanum genus argumentum relinquere; tunc enim accepto pane gratias egit, & fregit, dedítque Diſcipulis ſuis, dicens: Hoc eſt Corpus meum, quòd pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similitérque calicem accipiens & porrigens, Sacerdotij Ordinem contulit Apoſtolis, ut Tridentinum ſeſſ. 22. c. 1. definivit. Quòd ſi verò & cæremoniæ, quas inſtitutioni præmiſit, videlicet Paſchatis antiqui abrogatio, pedum ablutio, & magni cœnaculi electio paulò accuratiùs conſiderentur, dubitari non poteſt, quin ea omnia eo potiſſimùm fine ſint peracta, ut ſuam de Sacerdotio hoc à ſe inſtituto æſtimationem magis declararet, ſimilémque etiam poſteris conceptum ingeneraret.

II. Secundum teſtimonium eſt, quòd ſingulari ſemper honore ipſemet Sacerdotes veteris Teſtamenti affecerit, uti

inpri-

inprimis S. Cyprianus l. 3. epiſt. 9. teſtatur, dicens: *Dominus noſter JESUS Chriſtus Rex & Judex noſter uſque ad paſſionis diem ſervavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem DEI, nec agnitionem Chriſti ſervâſſent.* Et ideo, teſte Anacleto ep. 2. ad Epiſc. Italiæ, *Dominus ſacri Corporis ſui tractatores à vilibus ac reprobis, ac non idoneis Perſonis infamari noluit, nec calumniari permiſit, ſed ipſe proprio flagello peccatores Sacerdotes à templo ejecit.* Si ergo Sacerdotibus veteris Teſtamenti tantum honorem exhibuit, quantum exhibiturus fuiſſe credendus eſt Sacerdotibus novi Teſtamenti, ut qui, ſicut ad Sacrificium incomparabiliter perfectius ſunt ordinati, ita innumeris quoque partibus Sacerdotes veteris Teſtamenti dignitate antecellunt.

III. Tertium teſtimonium eſt, quòd, ut alios quoque ad ſimilem honorem Sacerdotibus exhibendum incitaret, eoſdem ſuos Vicarios conſtituerit, & honorem, qui ipſis exhibebitur, non aliter ſe accepturum promiſerit, ac ſi ſibi ipſi exhibitus fuiſſet; ita enim S. Chryſoſtomus ho. 17. in Matth. teſtatur, dicens: *Sacerdotes Chriſti Vicarij ſunt, & qui honorat Sacerdotem Chriſti, honorat Chriſtum: & qui injuriat Chriſti Sacerdotem, injuriat Chriſtum, cujus eſt Vicarius & Sacerdos.* Quod ipſum etiam Chriſtus ipſe confirmavit, dum Lucæ c. 10. dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Si ergo, qui dignam de gemma quâpiam æſtimationem concipere deſiderat, non meliùs illam acquirere poteſt, quàm ſi pretium gemmarium, ut qui optimè pretium gemmarum novit, de ea diſcurrentem audiat: quis non advertit, non aliud efficacius poſſe reperiri medium ad dignam de Sacerdotio æſtimationem concipiendam, quàm ſi infallibile hoc, ſapientiſſimúmque Chriſti, qui ſolus uti inſtituit, ita ponderare quoque ſolus ſcit dignitatem Sacerdotij, de eodem manifeſtatum teſtimonium mente volvat.

TERTIUM.

TESTIMONIUM B. VIRGINIS.

Quantam hæc Virgo ſanctiſſima æſtimationem de Sacerdotio, ipſóque Sacrificio Miſſæ conceperit, illuſtri ſanè exem-

exemplo declaravit, dum S. Ildephonſo Epiſcopo ipſamet Sacerdotalem veſtem de cælo allatam obtulit, id quod ſic contigiſſe Surius 23. Jan. narrat. Cùm S. Ildephonſus Tolletanus Epiſcopus quondam ad feſtum Aſſumptionis Deiparæ ſingulari cum Devotione celebrandum ſe præparâſſet, cúmque in finem ſpecialem Miſſam compoſuiſſet, & Populum ad eam ferventer invitâſſet, accidit, ut, cùm ipſo Feſto illuceſcente cum Clericis ſuis ad templum manè properaret, ipſum templum apertum & magno fulgore illuſtratum appareret; unde omnibus inſolito hoc viſo territis & recedentibus, ſolus Ildephonſus ingreſſus ad Altare acceſſit, ubi Deiparam in throno Epiſcopali ſedentem, & multis Virginibus Davidicos Pſalmos ſuaviter decantantibus circumdatam vidit, quæ ipſum ad ſe vocans ſic allocuta eſt: Accede, fidelis DEI ſerve, & de theſauro Filij mei hoc donum (erat autem Sacerdotalis Caſula ex candidiſſima materia confecta) accipe; cùm enim tantopere me honore ſtudueris, nunc quidem hâc ſacrâ veſte ornatis, in altera verò vita ipſius immortalitatis glorioſa chlamyde veſtiêris, & cum alijs DEI ſervis æternùm gaudebis. Poſt quæ verba evanuit viſio, & S. Ildephonſus plenus cæleſti ſolatio ad Miſſam ea ipſa in veſte canendam ſe accinxit.

QUARTUM
TESTIMONIUM ANGELORUM.

I. Iſti quoque gemino argumento ſuam de Sacerdotio conceptam æſtimationem declarârunt, quorum primum eſt, quòd Angelus honorem à S. Joanne Apoſtolo, qui cecidit ante pedes ejus, ut adoraret eum, accipere noluerit, ſed dixerit: *Vide, ne feceris, conſervus tuus ſum*, Apoc. 19. Imò Angelus cuſtos Dequaezi Confeſſarij S. Saleſij Epiſcopi, cùm ab eodem priùs tam ingrediens domum, quàm egrediens primum honorem accepiſſet: poſtea cùm Dequaezus Sacerdos factus eſt, ſemper ſecundum honorem ſibi vendicavit, ipſo præcedere juſſo, ut Nadaſi in anno Angel. hebd. 23. n. 8. teſtatur.

II. Alterum argumentum eſt, quod accipere ab Angelo meruit S. Franciſcus Seraphicus, hic enim, cùm Diaconi ordine jam ſuſcepto, dubitaret, num etiam Presbyterij ordi-

nem ſuſcipere deberet, ideóque ad orationem confugeret, Angelus illi cum lucidiſſima phiala limpidiſſimo liquore plena inmanu apparuit, & his verbis allocutus eſt: Vide, Franciſce; quicunque Sacerdos fieri deſiderat, & Miſſam celebrare, tam purus debet eſſe in animo, ſicut liquor iſte: ſimúlque ex oculis evanuit, uti in l. 1. Chron. S. Franc. p. 1. c. 41. legitur, ubi etiam additur, poſt hanc viſionem S. Franciſcum nunquam adduci potuiſſe, ut Sacerdotij ordinem ſuſciperet.]

QUINTUM.
TESTIMONIUM SANCTORUM.

I. Hos inter meritò agmen ducit S. Petrus velut primus Novi teſtamenti Sacerdos, qui uſque adeò honorem Sacerdotij ſibi aliíſque collatum æſtimavit, ut Regali dignitati eundem comparare non dubitârit, ſic enim Sacerdotes 1. Petr. alloquitur: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum.*

II. S. Paulus verò non uno, ſed duplici honore Presbyteros dignos eſſe pronuntiavit, dum 1. ad Tim. c. 5. dixit: *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Hinc Act. 23. accuſatus, quòd Sacerdotem debito honore non affeciſſet, protinus crimen hoc à ſe propulſavit, dicens: *Neſciebam, Fratres, quoniam Princeps eſt Saccadotum.*

III. S. Marcus Anachoreta adeò Sacerdotale munus æſtimabat, ut non ſine divino inſtinctu pollicem ſibi abſciderit, ne ad Presbyteratûs ordinem, quo indignum ſe credebat, ſuſcipiendum cogeretur, uti Marchantius in Vita Aaronis tr. 1. lect. 5. refert.

IV. S. Benedictus ampliſſimi licèt & ſanctiſſimi Ordinis Patriarcha, eò quòd Sacerdotium proximum DEO gradum crederet, nunquam ſe perſuaderi paſſus eſt, ut eundem ſuſciperet, eodem Marchantio teſte l. c.

V. S. Antonius Abbas Sacerdotes in ſumma veneratione habebat, ſolitus eiſdem caput ſubmittere, benedictionem ab iiſdem

iiſdem captare; & pro magno beneficio ducere, ſi accepiſſet, ut S. Anthanaſius in vita teſtatur.

VI. *S.* Franciſcus Seraphicus tantam de hoc Ordine æſtimationem conceperat, ut dicere auſus ſit ſe, ſi Sanctus quispiam de cælo deſcendens ſimul cum Sacerdote occurreret, priùs iſtius manum ad oſculum expetiturum; deinde primùm Sancto debitam reverentiam exhibiturum, uti in vita à S. Bonaventura ſcripta videre eſt.

VII. S. Martinus ab Imperatore Maximo ad convivium vocatus, arreptam pateram primùm Sacellano ſuo, & deinde Imperatori propinavit; causámque rogatus, pluris ſe Sacerdotis, quàm Imperatoris dignitatem facere reſpondit, uti Severus Sulpitius l. 1. vit. teſtatur.

VIII. S. Franciſcus Borgias, ne Ordine Presbyteratûs indignus videretur, orare in dies DEUM, & corpus caſtigare ſolitus erat; nec enim ignorabat ad illa adyta illotis manibus irrumpere, ſacrilegio affine crimen eſſe. Vita l. 2. c. 1.

IX. B. Maria Oegniacenſis veſtigia Sacerdotum ſumma cum reverentia & demiſſione deoſculari ſolebat, uti D' Outreman P. 1. c. §. 4. Pœd. Chriſt. refert.

SEXTUM
TESTIMONIUM DOCTORUM ECCLESIÆ.

I. S. Gregorius Naz. in epiſt. ad Epiſc. ſic loquitur: *O Sacerdotes DEI incruenta Sacrificia mittentes! O illuuſtres animarum Cuſtodes! O magnum DEI figmentum in manibus veſtris geſtantes! O DEUM hominibus conciliantes! O Mundi fundamenta, Vitæ lumina, Chriſtianæ fidei columna, immortalis vitæ Doctores, Chriſtiferi &c.*

II. S. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerd. *Sacerdotium*, inquit, *regno tantò eſt excellentius, quantum Spiritûs & carnis intervallum eſſe poteſt.* Et iterum: *Sacerdotes meritò non tantùm plùs vereri debemus, quàm vel Principes, vel Reges, verùm etiam majore honore, quàm Parentes proprios honeſtare.*

III. S. Ambroſius c. 2. de dign. diſt. 36. ait: *Aurum non tam pretioſius eſt plumbo, quàm regia poteſtate altior eſt di-*

gnitas Sacerdotalis. Et iterum c. 2. §. 7 diſt 96. *Quis dubitet, Sacerdotes Chriſti Regum & Principum, omniúmque Fidelium Patres & Magiſtros cenſeri?*

IV. S. Hieronymus apud Belſæum l. 1. de Sacerd. c. 2. Sacerdotes vocat Eccleſiæ Apoſtolos; Patrisfamilias vinitores; Speculatores Jeruſalem, apes per agros volitantes, clypeos pendentes à turri David, vineæ ſepimentum, oculos Sponſæ, lectuli Salomonis cuſtodes, Paræciarum Rectores, Chriſtianiſmi nobilitatem, Eccleſiæ Senatum, Præſulum oculos, bonorum operum exempla.

V. S. Auguſtinus conc. 2 ſuper Pſal. 37. *Verè*, inquit, *veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus DEI Filius, velut in utero Virginis incarnatur.* Hinc ſuper cap. 5. prima Epiſt. ad Timoth. *Presbyteri*, ait, *qui bene præſunt vitâ & doctrinâ, digni habentur à Subditis duplici honore, videlicet ut ſpiritualiter illis obediant, & exteriora bona miniſtrent.*

VI. S. Greg. Magnus in Epiſt. ad Mauritium Imperatorem ſcribens inter cætera ſic loquitur: *Sacerdotibus non ex terrenâ poteſtate Dominus noſter citiùs indignetur, ſed excellenti conſideratione propter eum, cujus ſervi ſunt, ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.*

VII. S. Thomas Aquin. ſuper Epiſt. 1. D. Petri c. 2. *In novo Teſtamento*, inquit, *Sacerdotium præeminet regno, ſicut Spiritus corpori; in veteri verò regnum præeminebat Sacerdotio. Ideo ibi regnum, hîc Sacerdotium in ſubſtantivo ponit, eò quòd ibi ex regno, hîc ex Sacerdotio quaſi ſubſiſtat religio.*

SEPTIMUM
TESTIMONIUM ALIORUM SS. PATRUM.

I. S. Ignatius Martyr. l. 2. Epiſt. 52. *Honorate*, inquit, *Sacerdotium ſecundùm Chriſtum, & pòſt etiam oportet honorare Regem. Sacerdotium enim ſumma eſt omnium bonorum, quæ in hominibus exiſtunt.*

II. S. Dionyſius c. 1. de Eccl. Hier. *Ut enim*, ait, *qui Sacerdotium dixit, ſacrorum ſimul omnium uno vocabulo ſigni-*

gnificavit ordinem, ita & qui Sacerdotem dixit, auguſtiorem, prorſúſque divinum inſinuat virum, totius ſanctæ conſcientiâ pertitiſſimum; in quo liquidè ac perſpicuè ſacratus omnis ordo ſuus & perſpectus ſit, & poſſit agnoſci.

III. S. Ephrem l. de Sacerd. exclamat: *O poteſtas ineffabilis; quæ in nobis dignata eſt habitare per impoſitionem manuum ſacrorum Sacerdotum! O quàm magnam in ſe continet profunditatem formidabile, admirabile Sacerdotium.*

IV. S. Proſper l. 2. de vit. activ. ait: *Ipſi ſunt Eccleſiæ decus, in quibus ampliùs fulget Eccleſia; ipſi janua civitatis æternæ; per quos omnes, qui credunt in Chriſtum, ingrediuntur ad Chriſtum; ipſi Janitores, quibus data ſunt claves regni cœlorum; ipſi etiam diſpenſatores regiæ domûs.*

V. S. Iſidorus Peluſiota l. 2. ep. 205. *Tantùm*, inquit, *intereſſe debet inter Sacerdotem & quemlibet virum probum, quantùm inter cœlum & terram diſcriminis eſt.* Et iterum l. 3. epiſt. 2. *Inter divinam & humanam dignitatem Sacerdotium velut medium interjectum eſt, ut illam colat, atque obſervet; hanc autem in melius commutet.*

OCTAVUM

TESTIMONIUM CONCILIORUM.

I. Concilium Matiſconenſe 2. c. 15. ſic loquitur: *Statuimus, ut, ſi quis quemlibet Clericorum honoratorum in itinere obviam habuerit, uſque ad inferiorem gradum honoris venerantèr illi corda ſubdat, prout is officia & obſequia fideliſſimæ Chriſtianitatis jure promeruit. Et ſi quidem ille ſæcularis equo vehitur; Clericúſque ſimiliter, ſæcularis galerum de capite auferat, & Clerico ſinceræ ſalutationis manus adhibeat: ſi verò Clericus pedeſter graditur, & ſæcularis vehitur equo; illico ad terram defluat, & debitum honorem illi ſinceræ caritatis exhibeat. Qui verò horum, quæ Spiritu ſancto dictante, ſancita ſunt, tranſgreſſor fuerit, ab Eccleſia, quamdiu Epiſcopus illius Eccleſiæ voluerit, ſuſpendatur.*

II. Concilium Carthaginenſe IV. c. 34 ſic definit: *Epiſcopus in quolibet loco ſedens ſtare Presbyterum non patiatur.* Et c. 35. *Epiſcopus in Eccleſia & in Concilio Presbyterorum ſublimior ſedeat; intra domum verò Collegam ſe Presbyterum eſſe agnoſcat.*

III. Concilium Laodicenſe c. 20 Nicænum c. 28. Toletanum 10. c. 39. concorditer præcipiebant, non oporterè Diaconum coram Presbytero ſedere, niſi juſſione Presbyteri.

NONUM

TESTIMONIUM SUMMORUM PONTIFICUM.

I. S. Clemens Conſtit. Apoſt. l. 3. c. 15. ſcripſit: *Epiſcope, elige adjutores tuos vitâ & juſtitiâ operarios, DEO gratos; quos ex cuncto Populo maximè dignos probâris, & faciles ad moleſtias & vexationes in uſus Miniſterii ſuſtinendas.* Item l. 7. c. 32. *Conſtitue Presbyteros homines pios, juſtos, mites, non cupidos, veritatis ſtudioſos, probatos, ſanctos, non acceptores Perſonarum, qui valeant docere ſermonem veritatis, rectè procedentes in placitis Domini. Vos verò eos honorate, ut Patres, ut Dominos, us beneficos, ut bene vivendi Authores.* Unde l. 2. c. 33. rectè concludit: *His igitur reventiam adhibentes, omni eos genere honoris afficite.*

II. Nicolaus Papa diſt. 96. c. eod. ait: *In ſcripturis narratur, Imperator Conſtantinus dixiſſe verè: Si propriis oculis vidiſſem Sacerdotem DEI peccantem, chlamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne videretur. Hæc quidem diximus vobis, cautos vos reddere cupientes, ut, ſi de Domini Sacerdotibus, qui verè Patres ſunt, aliquid contigerit vos audire, quod confuſionem piis mentibus ingerat, non infrunitum Noë filium imitantes paternam de reliquo verecundiam contegatis.*

III. Anterus 11. q. 3. c. eod. in Epiſtola ad Hiſp ſcribit: *Abſit, ut quidquam ſiniſtrum de iis arbitremur, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt; quorum induſtriâ facti ſumus Chriſtiani, quique re-*

gni cælorum habentes ante diem judicii quodammodo judicant.

IV. Fabianus 2. q. 7. c. eod. *Sacerdotes*, inquit, *quos Dominus ſuos eſſe voluit, non ſunt leviter tractandi, nec lacerandi, vel temerè accuſandi, quoniam eorum ſibi cauſas Dominus reſervare voluit, & ſuo judicio vindicare.*

V. Anacletus epiſt. 2. ad Epiſc Ital. *Dominus*, ait, *ſacri ſui Corporis tractatores à vilibus & reprobatis Perſonis infamari noluit, nec calumniari permiſit, ſed ipſe proprio flagello Sacerdotes è templo ejecit.*

VI. Teleſphorus 6. q. 1 c. eod. decernit: *Omnes, qui adverſus Patres, id eſt, Sacerdotes armantur, infames eſſe cenſemus.*

VII. S Gregorius Magnus ad Joannem Epiſcopum Conſtantin. ſcribens: *Ego*, inquiebat, *cunctorum Sacerdotum ſervus ſum, in quantum ipſi ſacerdotaliter vivunt.*

DECIMUM
TESTIMONIUM IMPERATORUM AC REGUM.

I. Arcadius & Honorius Imperatores C. de Epiſc. & Cler. le. ead. decreverunt: *Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in Eccleſias Catholicas irruens, Sacerdotibus & Miniſtris, vel ipſi cultui, locóque aliquid importet injuriæ, quod geritur, à Provinciæ Rectoribus animadvertatur, atque ita Provinciæ Moderator Sacerdotum & Eccleſiæ Catholicæ Miniſtrorum; loci quoque ipſius, & divini cultûs injuriam capitali convictos ſive confeſſos ſententia noverit vindicandum.*

II. Conſtantinus Imperator, cùm integer ei libellus calumniis contra Epiſcopos & Sacerdotes refertus oblatus eſſet, accepit illum quidem, ſed mox non lectum comburi juſſit, indecorum aſſerens, ut, qui judicari ab ipſis debeat, eoſdem judicet. Pæd. Chriſt. p. 1. c. 6. §. 4.

III. Theodoſius Imperator, cùm ab initio more aliorum Imperatorum in templis intra cancellos ſedem habuiſſet, ideóque S. Ambroſius indignum hoc ratus, ſedem illi aliam

extra cancellos, & infra Eccleſiaſticos præparari juſſiſſet, non modò ægrè non tulit, ſed talem ordinem velut convenientiſſimum ſummopere laudavit, & deinceps perpetuò obſervari præcepit.

Ex quibus omnibus hactenus allatis teſtimoniis facilè nunc colligere poſſunt Sacerdotes, quàm magnam de Sacerdotii Ordine & honore æſtimationem concipere, quantámque diligentiam & conatum adhibere debeant, ut, quemadmodum ſapienter monuit S. Ambroſius cap. 3. Sacerd. dignit. dignas tali ſtatu virtutes & dotes comparent, ſicque profeſſionem ſuam actione potiùs, quàm nomine demonſtrent, ut & actio reſpondeat nomini, & nomen cum operibus incidat.

PARS II.

DE EXEMPLIS ET INDUSTRIIS BONORUM SACERDOTUM,

Quibus ſuam, & Proximi ſalutem procurare conati ſunt.

MUlta quidem ab Aſcetis media ſuggeruntur ad virtutis & perfectionis ſtudium perſuadendum, ſed inter omnia meritò efficaciſſimum ſemper æſtimatum fuit *Exemplorum alienorum propoſitio, & inſpectio*, id quod jam pridem S. Gregorius l. 1. Dial. agnovit, dum dixit: *Sunt nonnulli, quos ad amorem cœleſtis Patriæ plùs exempla, quàm prædicamenta ſuccendunt*; cujus rationem in procemio ejuſdem libri duplicem aſſignat, dum ait: *Fit plerumque in audientis animo duplex adjutorium in exemplis Patrum; quia amore venturæ vitæ ex præcedentium comparatione accenditur; & ſi ſe aliquid eſſe exiſtimat, dum meliora de aliis cognoverit, humiliatur.* Aliam adhuc rationem aſſignat idem Sanctus p. 2. Paſt. c. 3. dicens: *Illa vox libentiùs Auditorum corda penetrat, quàm dicentis vita commendat; quia, quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat, ut fiat*; non enim difficile æſtimatur, quod jam factum conſpicitur, teſte S. Ambroſio. Et ideo, ut S. Chryſoſtomus ſ. 11. ſuper Gen. ſapienter advertit, *Sanctorum vitas & converſationem in divinis Scripturis præſcriptam Spiritûs ſancti gratia reliquit, ut diſcentes, quod, licet ejuſdem fuerint*

naturæ, virtutibus tamen ſtuduerint, ne ſimus nos ignavi & deſides in ijſdem exercitiis.

Ob hanc itaque cauſam & ego non modicum operæ pretium me relaturum exiſtimavi, ſi ad accendendos in virtutis & perfectionis amorem Sacerdotes illuſtriora ipſis aliorum Sacerdotum exempla, & induſtrias, quas tam in ptoptia, quàm aliena ſalute procuranda adhibuerunt, & reliquerunt, colligerem, & in hac ſecunda parte ob oculos ponerem, ut, per lectionem eorundem, & accuratiorem conſiderationem, quaſi è ſalis tactu æternæ vitæ ſapore, ut S. Gregorius loquitur, condiantur, & imitationis ſalutaris deſiderio imbuantur.

Quâ tamen ipsâ in propoſitione, ne nimia coacervatione Exemplorum faſtidium Lectori creem, eam cautionem adhibebo, ut neque omnium virtutum, ſed earum duntaxat, quæ Sacerdotibus magis conveniunt, exempla afferam, neque in illis referendis obvia quæque aut exotica, ac admiratione magis, quàm imitatione digna arripiam, ſed ſelectiora duntaxat, & ad imitandum magis idonea proponam; atque adeò in duo capita ſecundam hanc partem dividam, in quorum primo exempla earum virtutum, quæ ad propriam perfectionem pertinent, referentur; in ſecundo ea, quæ in proximi ſalute procuranda ab ijs relicta ſunt, proponentur.

CAPUT

CAPUT I.

DE EXEMPLIS BONORUM SACERDOTUM AD PROPRIAM SALUTEM PERTINENTIBUS.

UT in Exemplis hiſce referendis ordinatè procedatur, placet eundem Ordinem ſervare, quem *S.* Thomas & alij in iis explicandis uſurpârunt, ut ſcilicet initium à Theologicis virtutibus, videlicet Fide, Spe, & Caritate faciam, poſtea ad Cardinales, Prudentiam ſcilicet, Juſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, earúmque ſpecies procedam.

§. I.

Exempla Fidei à Sacerdotibus relicta.

I. Fides hæc eſt virtus, per quam firmiter aſſentimur omnibus, quæ DEUS revelavit, aut revelabit; *ſine qua*, ut Apoſtolus ad Heb. 11. ait, *impoſſibile eſt placere DEO*; Unde juxta S. Ambroſium l. de Cain & Abel, *fides eſt radix omnium virtutum*, &, *quod ſuper hoc fundamentum ædificaveris, hoc ſolum ad operis tui fructus & virtutis proficit mercedem*. S. Bernardus verò idipſum confirmans ſ. 25. ſup. Cant. *Dicamus*, inquit, *fidem vitem*, *virtutes palmites*, *botrum opus*, *devotionem vinum*. Ex quo facilè patet, Fidem hanc omnibus quidem Chriſtianis, ſed Sacerdotibus præcipuè neceſſariam eſſe, ut qui hoc ipſo, quòd ſint Cuſtodes, lectulum Chriſti, velut Salomnis myſtici, id eſt, Eccleſiam ambientes, præ reliquis obligati ſunt, ad Fidem, quæ eſt primarium Eccleſiæ decus, & columen, totis viribus propugnandam. Porro tres præcipuè actus hujus virtutis à Sacerdotibus exerceri poſſunt.

II. Primus eſt, ut & veritates Catholicas non modò ritè cognoſcant, ſed etiam firmiſſimo aſſenſu omne dubium excludente profiteantur.

Sicut inprimis S. Paulus Apoſtolus fecit, qui, ut Vincentius Lirinenſis in libell. adverſus profanas Novitates te-

ſtatur, cùm Novantes aliqui varios errores per Provincias & Civitates promulgarent, jámque ipſos etiam Galatas propemodum induxiſſent, S. Paulus in fide eoſdem confirmare ſuo exemplo volens dixit: *Licet nos Angelus de cœlo evangelizet, præterquam evangelizavimus, anathema ſit.* Gal. c. 1.

S. Baſilius Epiſcopus, cùm Præfectus Valentis Imperatoris à Fidei Catholicæ defenſione abducere conaretur, cúmque in finem amicitiam & multa beneficia ab Imperatore promitteret, intrepidè reſpondit, Adoleſcentulis tales ſermones congruere, hos enim talibus rebus inhiare; at verò eos, qui in divinis nutriti eſſent literis, nullam illarum ſyllabam in diſcrimen venire pati poſſe, ſoleréque, ſi res poſcat, nullum genus mortis pro illis recuſare.

S. Petrus Veronenſis, ut in Breviario 29. Aprilis legitur, Parentibus hæreſi Manichæorum infectis natus, cùm adhuc puer annorum ſeptem ſcholas frequentaret, & quid in ſchola didiciſſet, à Patruo interrogaretur, Chriſtianæ Fidei ſymbolum ſe didiciſſe reſpondit, neque ullis unquam Patris, Patruíve minis aut blanditiis à fidei conſtantia dimoveri potuit, ideóque poſtea adultior factus, & Prædicatorum religioni adſcriptus, hanc unicam à DEO gratiam petivit, ut pro fide mori poſſet, quam cùm obtinuiſſet, ab impio Hæretico in capite vulneratus, jámque penè mortuus, Symbolum adhuc pronunciavit.

II. Alter actus eſt, ut Sacerdotes Fidem fortiter propugnent contra oppugnantes, ipſámque, ſi neceſſe ſit, vitam pro ejus defenſione ponere non dubitent. Quâ in re præclaro exemplo præiverunt non pauci Sacerdotes.

Præcipuè verò S. Athanaſius Epiſcopus, cujus fides fuit velut rupes firma in mediis fluctibus. Totus mundus, inquit Marchantius in hort. Paſt. tr. 1. prop. 1. conjuraverant in ejus exterminium, Principes, Epiſcopi, Populi, Exercitus, imò totus infernus, necquidquam firmitati fidei ejus nocuerunt. Quatuor contra ipſum Concilia congregata ſunt Epiſcoporum Arrio faventium; incredibiles tandem calamitates perpeſſus, ita ut magnam orbis partem fugiendo & exulando peragrare cogeretur, omnia cum magna conſtantia pro fidei defenſione ſuſtinuit.

S. Poly-

S. Polycarpus Epiſcopus, cùm in medio ignis ligatus eſſet, ipſe ſe velut vivum & odoriferum Sacrificium DEO offerens ſic precabatur; Accipe, Pater æterne, in Sacrificium acceptabile, quam mihi donâſti vitam. Tu Dominus es univerſi, & Pater Salvatoris noſtri Domini Jesu Chriſti, per quem te cognovimus, & qui ſe pro nobis obtulit in cruce. Per eundem meipſum offero nunc in Confeſſione Fidei ſanctæ, ad gloriam tuam, ejûsque æternam. Gratias tibi infinitas ago, quòd me dignatus es adſcribere numero beatorum Martyrum tuorum, & me participem facere calicis & paſſionis Domini noſtri Jesu Chriſti. Ribad. in vita 26. Jan.

S. Liberatus Abbas cum aliis ſex ſociis ex Monaſterio Carthaginem protracti, cùm ad Arrianam perfidiam amplectendam ſollicitaretur, Una fides, exclamavit, unum baptiſma, unus DEUS, nec poterit in nobis iterari, quod in doctrina Evangelii ſemel dari præceptum eſt; quia ſi ſemel lotus eſt, non habet neceſſe, ut denuo lavetur; ſed mundus eſt totus. Satius eſt momentanea perferre ſupplicia, quàm æterna ſubire tormenta. Cúmque Rex talibus dictis irritatus navem tormentis impleri & accendi, ipſúmque S. Liberatum cum ſociis imponi juſſiſſet, ille cum magna fiducia clamabat: Gloria in excelſis DEO. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, quando pro fide DEI noſtri ſupplicia perferemus, ne acquiſitæ fidei indumentum amittamus. Victor Uticenſis l. 4. Wandal. perſecut.

III. Tertius actus eſt, Hæreſes odiſſe, totíſque viribus profligare; quo in genere præ reliquis excellens fuit, teſte Evagrio l. 5. vit. PP. §. 10. Agathon Abbas, qui, cùm multi ad illum venirent, &, quòd plenus eſſet ſuperbiæ, odii, iræ, impudicitiæ &c. ſpargi de ipſo dicerent, faſſus eſt omnia, addens ſe mortalium eſſe peſſimum. Cùm verò ſubderent, intelleximus etiam, quòd hæreticus ſis, ſtatim ſilentio rupto, abſit, inquiebat, à me, ut hæreticus unquam ſim. Quærentibus autem, cur hæreſin potius, quàm alia crimina, quæ ſciebat ſe non patrâſſe, negaret? reſpondit: Crimina alia infirmitatis ſunt, & hominem adhuc DEO per fidem unitum relinquunt; hæreſis verò eſt pertinaciæ & perfidiæ malitia,

quæ omni modo nos à DEO divellit, tollens fidem, DEO nos primo quaſi vinculo unientem, & ligantem.

Abbas Coſmas cùm ſepultus fuiſſet juxta ſepulchrum cujuſdam Epiſcopi, qui hæreticus fuerat, pluribus noctibus clamare auditus eſt: Noli me tangere, Hæretice, noli mihi appropinquare, inimice Eccleſiæ ſanctæ DEI. Et hic clamor per longum tempus duravit, ut ſignificaret audientibus, quantopere abhorruerit ipſe ab Hæreticorum converſatione. Prat. ſpirit. c. 40.

S. Antonius de Padua tanta cum contentione adverſus Hæreſes pugnabat, ut perpetuus Hæreticorum Malleus fuerit appellatus, quemadmodum de ipſo Breviarium Romanum 13. Jun. teſtatur.

P. Petrus Faber Societatis JESU primus Sociorum S. Ignatii, quamquam in pertractandis Hæreticorum mentibus leniſſimus erat, tamen eos, & eorum omnia ſic abhorrenda piis, Catholicíſque cenſebat, ut ne tum quidem audiendos eſſe diceret, cum recta præciperent; negarétque divinæ Majeſtati gratum eſſe, ut eorum ad nutum, voluntatémque vel inſtitueretur aliquid in Eccleſia DEI, vel meliorem ad formam reformaretur; ut enim multa vera interdum Dæmones, non tamen ex veritatis ſpiritu confitentur, ſic illos, etſi multa interdum ſalutaria & bona præcipiant, ea tamen, quoniam non bono præcipiunt ſpiritu, minimè grata & accepta eſſe DEO. Hiſt. Soc. p. 1. l. 4. n. 102.

P. Edmundus Augerius Soc. JESU Sacerdos quadraginta Hæreticorum millia ad fidem Catholicam perduxit, Galliámque ab Hæreſi jamjam invaleſcente ſic purgavit, ut Pater Patriæ, Conſervator Fidei, reſtitutor ſalutis publicæ diceretur, uti de eodem Biblioth. Soc. refert.

§. II.
Exempla Spei à Sacerdotibus relicta.

1. Quod olim Philiſtæi feciſſe dicuntur, dum videntes Samſonem tam admiranda opera patrare, omnibus modis laborârunt, ut cognoſcerent, in quo ejus robur conſiſteret; cúmque intellexiſſent, eum in capillis conſiſtere, non quieverunt,

verunt, donec hos illi eripuerint; idipſum Dœmon circa Sacerdotes facere conatur; advertit namque etiam ipſe, quàm multa ac præclara opera pro amore & gloria DEI, ac Proximorum ſalute patrentur; ex altera verò parte pariter non ignorat, quòd ab Iſaia c, 30. dictum ſit: *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra*; hinc omnibus viribus laborat, ut hanc ſpem ipſis eripiat. Id quod benè S. Ignatius advertit, cujus ſolemnis vox erat, operariis in vinea Domini ante omnia enitendum eſſe; ut ſeipſos vincant; omnéſque timores abjiciant, qui DEI fiduciam minuant; impediántque; quò minùs ſpem ſuam in uno DEO conſtituant; noverat videlicet S. Pater, quid S. Bernardus ſ. 9 in Pſalm. Qui habitat, dixerit: *Tantùm per nos operabitur DEUS, quantùm ſe noſtra in eum fiducia extenderit.* Unde meritò S Cyprianus illa Deut. 11, verba: *Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit.* huc applicat, dum ait: *Pes veſter utique ſpes veſtra eſt, &, quantumcunque illa proceſſerit; obtinebit.* Porro ſpes hæc; quæ à S Alberto Magno in parad. anim. c. 21. definitur. *certa exſpectatio futuræ beatitudinis, proveniens ex gratia DEI, & meritis præcedentibus*, in tribus præcipuè occaſionibus oſtendi debet, & verò etiam à non paucis egregiè demonſtrata eſt.

II. Prima occaſio eſt, in alimentis, aliiſque rebus ad corporalem vitam conſervandam neceſſariis, ubi à Sacerdotibus omnis inordinata ſollicitudo tantò audaciùs deponenda eſt; quantò juſtiorem habet titulum ea à DEO petendi & exſpectandi; ſi enim quærentibus regnum DEI & juſtitiam ejus omnia hæc adjectum iri Chriſtus Matth 6. prædixit, quis juſtius hæc ſperet, quàm Sacerdotes, quorum primarius ſcopus eſt; efficere, ut DEUS per gratiam in ipſis, & animabus curæ ipſorum commiſſis regnet? Tales certè non immeritò cum Apoſtolis Luc 22. Chriſto quærenti: *Quando miſi vos ſine ſaccule & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* reſpondere poterunt: *Nihil.* Porro ſimilem occaſionem non à paucis Sacerdotibus vel aliis Clericis peregregiè fuiſſe arreptam, ex ſequentibus exemplis patet.

S. Franciſcus Seraphicus ſuis Filiis ſeu Religioſis non aliud dare viaticum ſolebat, quàm illum Pſalmi 54. verſiculum

culum: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Romano autem Pontifici de alimentis acquirendis ſciſcitanti reſpondit: *Matrem quidem habemus pauperem, ſed divitem Patrem.* In vita.

S. Ignatius Lojola ſolebat frequenter dicere: *Jactemus cogitatum noſtrum in Dominum, & ipſe nos enutriet. Speremus in Domino, & faciamus bonitatem, & paſcemur divitiis ejus.* Mirantibus, quomodo tam difficili tempore, nullis certis redditibus tot è noſtris aleret, reſpondit: an neſcitis, quantas vires ſpes in DEUM habeat? vel ignoratis, parùm illi eſſe loci, ubi omnia abundè ſuppetunt? quæ explorata ſi eſſent, & manu tenerentur, ubi eſſet noſtra ſpes? ſpes enim, quæ videtur, non eſt ſpes. Ribad. l. 5. vit. c. 9.

P. Balthaſar Alvarez è Societate JESU cùm eſſet cujuſdam Collegii Rector, habebat Miniſtrum valde ſollicitum, qui anxius ad ipſum currebat, ſignificans, quæ deeſſent, & neceſſe eſſet ſtatim proſpicere. Cui vir ſanctus reſpondebat: Quàm anxius venit P. Miniſter? communicaſtíne id cum Domino DEO noſtro? reſpondebat ille? adhuc non habui tempus orandi. Et tunc cum magna tranquillitate dimiſit illum, dicens: hoc debuit eſſe primum. Eas ad cubiculum, & ores, & offeras tuam orationem, & poſtea revertaris huc. Cogitas gregem hunc non habere Dominum? Dominum autem talem habet, cui non tam parvi conſtitit, ut perire permittat. Eas in pace, & cogita; hoc non à tua induſtria pendere. Diſcedebat P. Miniſter, ut faceret, quod Pater præſcribebat, & ſæpe, quando revertebatur, inveniebat proſpectum jam eſſe neceſſitati per media judicio ſuo prodigioſa, id promerente fiducia & fidelitate ſui Rectoris in DEUM. Vita c. 23.

III. Altera occaſio Spei & Fiduciæ exercendæ ſe offert in vocationis adimplendæ obligatione, ſeu in quotidianis functionibus ad Sacerdotem pertinentibus ritè obeundis; ubi ſalubris S. Pauli ad Philip. c. 2. adhortatio ob oculos ſtare debet Sacerdotibus: *Itaque cariſſimi mei (ſicut ſemper obediſtis) non ut in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram* (& aliorum) *ſalutem operamini, DEUS eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate;* Unde

meritò

meritò quivis Sacerdos cum S Bernardo ſ 3. de 7. pan dicere poterit : *Tria conſidero , in quibus tota ſpes mea conſiſtit , caritatem adoptionis* (& vocationis) *veritatem promiſſionis ,* (quâ Apoſtolis & omnibus eorum Poſteris promiſit Matth. 24. *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi :) poteſtatem redditionis* Id quod egregiè iterum obſervârunt ſequentes Sacerdotes

S Paulus Apoſtolus , quantam de divino auxilio fiduciam conceperit , clarè Corinthiis indicavit, dicens 2 Cor. c 1. *Non enim volumus ignorare vos , Fratres , de tribulatione noſtra , quæ facta eſt in Aſia , quoniam ſupra modum gravati ſumus , ſupra virtutem . ita ut tæderet nos etiam vivere Sed ipſi in nobis reſponſum mortis habuimus , ut non ſimus fidentes in nobis , ſed in DEO , qui ſuſcitat mortuos , qui de tantis periculis eripuit nos , in quem ſperamus , quoniam & adhuc eripiet.* Sed & ad Philip. 4. intrepidè dixit : *Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

S. Nicolaus , cùm onus Epiſcopatûs vehementer refugeret , poſtquam tamen humeris ſuis impoſitum vidit , certò credidit , DEUM ſibi ad id portandum copioſas vires daturum , adeóque cum magna alacritate & ſatisfactione ſuſtinuit. Leontius Juſtin. in vit.

S. Franciſcus Xaverius , ubicunque divinus honor agebatur , nulli cedebat difficultati , periculóve ; ita nihil moliebatur , quod non efficeret : nihil inchoabat , quod non abſolveret ; uti Turſellinus l. 4 vit c 9. teſtatur. Sed & ipſe ſuam fiduciam ſatis indicavit , dum l. 2. epiſt. ep 2. de periculo naufragij , quod aliqui metuendum dicebant , ſic ſcribit : *Noluit DEUS nos perdere , ut uſu docti intelligeremus , quàm infirmæ ſint opes noſtræ , quoties aut noſtris viribus , aut præſidiis nitimur humanis ; nam ubi ſenſeris , quàm fallaces ſint ſpes tuæ , & humanis operibus omnino diffiſus in ſolo DEO , qui unus pericula ipſius causâ ſuſcepta facilè propulſare poteſt , ſpem omnem poſueris , tum verò placidè experieris , DEI imperio ac nutu omnia gubernari , & quantumvis vitæ diſcrimen præ cæleſtibus gaudiis , quæ in tali re ac tempore divinitus impertiri ſolent , eſſe contemnendum.*

De Jacobo Merlohorſtio Sacerdote ſæculari, & Paſto B. MARIÆ Virginis in Paſculo Coloniæ ſic ſcribit Auth vitæ c. 22. Amor divinus, Deíque perſpecta ſemper præſe tia fiduciam generabat, quæ; dum ardua DEI cauſa ſuſcipien da viderentur, divino fretus auxilio fortiter aggrederetur urgeret conſtanter; nec deſiſteret antè, quàm ad exitum per duxiſſet, nec hominum offenſam, judicia, contemptum ve verebatur, aut quidquam hujuſmodi, vel ullius poten tiam pertimeſcendam eſſe judicabat; nam qui jam ipſis Dæ monibus fortior eos in certamen laceſſebat, nihil humanum vel creatum formidabat, experientiâ doctus, à providentia divina res ſuas paternè gubernari, ad virtutis augmentum, & DEI gloriam auctiorem expertus, etiam quoties vires de ficerent humanæ, præſens & divinum auxilium ſubvenire; nihílque ſpe & ſumma in DEUM conceptâ fiduciâ potentius ad quidvis in DEI cauſa feliciter perficiendum.

IV. Tertia occaſio eſt; ut firmam de prœmio æternæ beatitudinis olim conferendo ſpem concipiat: hinc enim non modicum robur accipiet, ad omnes labores & tribula tiones in munere ſuo occurrentes fortiter ſuperandos, cùm ſemper ob oculos habiturus ſit, quod S. Paulus ad Rom. 8. ſcripſit, non eſſe ſcilicet condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: *Omne au tem opus*, teſte S. Hieronymo in epiſt. *leve fieri ſoleat, cùm ejus pretium cogitatur, & ſpes prœmij ſolatium ſit laboris.* Id quod in Sacerdotibus tantò magis locum habet; quantò nobiliores, digniorésque ſunt labores; quos ſuſcipiunt; cùm enim juxta S. Dionyſium Areopagitam, omnium divinorum diviniſſimum ſit cooperari DEO in ſalutem animarum; me ritò majus quoque, perfectiúſque tali cooperationi præ mium reſpondebit; atque adeò multò magis Sacerdotibus, quàm olim Jacobo Patriarchæ omnes anni in ſuo munere conſumpti videbuntur dies pauci præ amoris; quo non in mortalem Rachelem, ſed immortalem Deitatem olim fruendam feruntur, magnitudine. Unde rectè dixit Iſaias c. 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem; current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Sed dicent potiùs cum S. Davide Pſ. 4. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu, Domine, ſingulari-*

ter

ter in ſpe conſtituiſti me. Id quod varijs iterum exemplis Sacerdotes diverſi comprobârunt.

S. Paulus ſeipſum aſſiduò ſpe prœmij & felicitatis æternæ ſolabatur; hinc ad Timotheum 2 c. 1. ſcripſit: *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Sed & ad Hebræos c. 6. *Fortiſſimum*, ait, *habemus ſolatium, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis, ubi Præcurſor pro nobis introivit, JESUS ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.* Hinc Corinthios 1. c. 15. hortatur: *Itaque Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis coram Domino.*

S. Bernardus, cùm gravi morbo afflictus jam pene extremum ſpiritum traheret, viſus eſt ſibi ante tribunal DEI ſtare, ubi cùm gravibus & improbis accuſationibus à Dæmone accuſatus fuiſſet, reſpondit: Fateor, nec mihi, nec meis actionibus deberi cœlum: tanto prœmio indigniſſimus ſum. At verò duplici jure Dominus meus id obtinuit, & Patris hæreditate; & crucis perpeſſione, altero ipſe contentus, alterum mihi donat. Ab hoc dono me quoque illius hæredem fore confido.

P. Vincentius Caraffa Generalis Societatis JESU tanti hanc ſpem faciebat, ut dicere auditus ſit, vel minimum dubitationis de ſalute; cladéve ſempiterna pluris homini eſſe debere certiſſimo, ingentíque rerum temporalium lucro; &, cùm DEUS alicui ad opes, dignitatésque currenti vitam, ſpémque ſimul omnem intercidit, tacitè illi innuit, quod Chriſtus Petro: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.*

V. Meritò ego Sacerdotes omnes illis Palæſtinæ Pſ. 61. verbis alloquor: *Sperate in eo omnis congregatio Populi* (& Sacerdotum) *& effundite coram illo corda veſtra.* DEUS *Adjutor noſter in æternum.* Et ſi omnia alia amiſeritis, *nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem;* S. Paulo teſte ad Hebr. 10 & in qua omne veſtrum robur & fortitudo conſiſtit. Dicite proin cum Propheta,

milliésque repetite: *mihi autem adhærere DEO meo bonum eſt, & ponere in Domino DEO ſpem meam*; quia per hanc & gratiam neceſſariam in præſenti vita obtinebo, & copioſam gloriam in futuro.

§. III.

Exempla Caritatis Divinæ à Sacerdotibus relicta.

I. Tertia virtus theologica Caritas vocatur, quæ nihil aliud eſt, quàm talis virtus, per quam DEUS diligitur propter ſe, & omnia alia propter DEUM, quæ proin meritò Regina virtutum appellatur eò quòd ſicut Ancillæ ſerviunt Reginæ, ita virtutes reliquæ Caritati ancillantur, id eſt, ad eandem tanquam finem ordinantur. Unde his tribus virtutibus theologicis meritò illa Canticorum c. 6. verba applicantur: *Quæ eſt, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol*; anima enim, quatenus per fidem à tenebris ignorantiæ, cæcitatis, & infidelitatis ad lucem veritatis & notitiam JESU Chriſti perducitur, poteſt dici progredi quaſi aurora conſurgens: quatenus per ſpem elevatur, & clarior redditur, pulchra ut Luna efficitur: Cum verò luci increatæ per caritatem jungitur, electa ut Sol fieri incipit.

II. Porro Sacerdotes ob tres potiſſimum cauſas huic virtuti ſpecialiter ſtudere debent 1. Quia, cùm à DEO ad Sacerdotium velut ſtatum altiſſimum elevati ſint, atque adeò plures etiam ad eum ritè ſuſtinendum gratias & dotes acceperint, rectè arguunt, ſe plus etiam à DEO dilectos eſſe, ideóque omnem conatum adhibere debent, ut tanto amori reſpondeant; *Nulla* enim *major eſt ad amorem invitatio*, teſte S. Auguſtino, *quàm amore prævenire*; *& nimis durus eſt animus, qui, ſi dilectionem nolit impendere, nolit rependere.* 2. Quia hæc virtus eſt ſummè neceſſaria ad functiones ſacerdotales fructuosè obeundas; nam, ut ſapienter S. Gregorius hom. in Evang. notat: *non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice caritatis*; &, ut S. Leo confirmat, *nihil eſt fructuoſum, quod non dilectionis partus ediderit.* Unde, teſte Richardo, non tam virtus

virtus potens, quàm potentia virtutum dicenda eſt, eò quòd ab ipſa omnes accipiant, ut veræ virtutes ſint. Hæc vita fidei, robur ſpei, & omnium intima vis, ac medulla virtutum. Accedit, quòd Sacerdotum proprium ſit officium prædicando & converſando alios virtutis amorem accendere, non poſſit autem juxta S. Bernardum capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem intelliget, qui Græcam linguam non novit? ſic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit; erit, inquam, ſicut æs ſonans, & cymbalum tinniens. Quia cùm multos labores ſuſcipere, & multas moleſtias ſuſtinere debeant Sacerdotes, meritò de medio tali proſpicere debent, quo roborentur, ut non ſuccumbant, quale præ cæteris caritas æſtimatur, nam *qui amat, non laborat*, teſte S. Auguſtino l. 13. confeſſ. *& omnis labor non amantibus gravis eſt, ſolus amor eſt, qui nomen difficultatis erubeſcit.* Unde Sponſa de Sponſo ſuo Cant. 1. dicit: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi,* non faſcem, ut notat S. Bernardus, ſed faſciculum vocans, eò quòd leve pro illius amore ducat, quidquid laboris immineat, & doloris.

III. Tribus autem præcipuè actibus hæc caritas demonſtranda eſt, quorum primus eſt perfecta voluntatis ſuæ cum divina conformatio; cùm enim amantium proprium ſit, unum velle & nolle (cùm eorum ſit quaſi cor unum & anima una) meritò ad caritatem quoque requiritur, ut unam cum amato voluntatem habeat, id eſt, omne, quod diſplicere illi novit, ſtudiosè fugiat; & omne, quod illi placere arbitratur, ſollicitè perficiat atque adeò magnam vitæ ſanctitatem & innocentiam procuret. Quâ in re præclara nobis à diverſis Sacerdotibus exempla ſunt relicta.

S. Joannes Chryſoſtomus adeò omne peccatum fugiebat, ut, dum Eudoxia Imperatrix varijs minis ac terroribus ipſum à recto propoſito avertere conaretur, à Miniſtris ſuis ei diceretur: Fruſtra hunc hominem terres, nihil enim niſi peccatum timet. Simeon Metaph. in vita.

S. Ignatius Lojola tantopere deteſtabatur peccatum, ut dicere auditus ſit, ſi DEUS eum in gehenna collocaret, nihil ſibi acerbiùs fore, quàm audire blaſphemias in DEUM. Hiſt. Soc. p. 1. l. 10. n. 26.

S. Franciſcus Xaverius l. 1. Epiſt. 7. de ſeipſo ſcribebat. Tædet me interdum vivere, ac ſatiùs eſſe arbitror pro Religione mortem expetere, quàm in tot, tantíſque divini Numinis contumelijs vivere.

Alanus de Solminihac Epiſcopus Cadurcenſis ne quidem nomen peccati ſuſtinere poterat, nec ulla re magis, quam peccato diſcruciabatur, uti ipſe quondam faſſus eſt, dum hortantibus, ne nimiùm ſe per vitæ auſteritatem affligeret, reſpondit: Nequaquam nimiæ ſunt afflictiones iſtæ. Num verò ſcire vultis, quò maximè affligar? non aliâ re magis, quàm DEI offensâ, ſiqne flagitioſos Sacerdotes offendam, nimirum hæ ſunt afflictiones & cruces Paſtoribus graviſſimæ, moleſtiſſimæque. Unde ſi publicos in Parœcijs Peccatores inveniret, qui integris annis in peccatorum cœno, inſpectantibus curionibus, & diſſimulantibus ſe volutarent, ſummopere obſtupeſcebat, ejusmodi Presbyteros ad gloriam DEI procurandam obſtrictos obmuteſcere, atque adeò dicere ſolebat: Iſtud nec capio, nec unpuam capere potero. Ipſe certè tantâ ſollicitudine nævos etiam minimos fugiebat, ut Confeſſarij etiam in annuis Confeſſionibus difficulter materiam abſolutionis invenirent; licet verò quotidie confiteri ſit ſolitus, ea tamen confitebatur, quæ apud alios in virtutum veniſſent cenſum. Vit. lib. 3. c. 19.

Petrus Forerius Canonicus Regularis S. Auguſtini & Parochus Matincurienſis nihil magis optabat, quàm ut ſemper faciendo, quæ DEO placent, eidem acceptus foret; hinc etiam Congregationem Monialium inſtituit, cujus finis erat, id omne facere, quod Cœleſti Sponſo ſuo gratius fore judicarent.

P. Jacobus Alvarez Societatis JESU quadraginta annis ne unicum quidem peccatum deliberatè admiſerat, atque, ut in hoc ſuo ſtudio firmus perſiſteret, etiam voto ſe ad talem fugam obſtrinxerat, uti Joannes Rho in ſuis hiſt. teſtatur.

IV. Secundus actus eſt, ut in omnibus ſuis actionibus Sacerdos nihil aliud, niſi DEUM, ejúſque gloriam & beneplacitum quærat; nam, ut rectè S. Auguſtinus Pſ. 38. dixit, *Purus amor mercenarius non eſt, de ſpe vires ſumit. Verus amor Sponſa eſt Verus amor ſeipſo contentus eſt, habet præmium, ſed id, quod amatur.* *Nec is* (Sponſus vi-

deli:

delicet) *aliud quærit, quàm amorem, nec illa,* (Sponſa) *aliud habet. Is per ſe placet, & propter ſe: ipſe meritum, ipſe præmium ſibi eſt amor. Præter ſe non requirit cauſam, non fructus; fructus ejus uſus ejus: amo, quia amo: amo, ut amem.* Quod quidem præmium tanti æſtimavit S. Joannes Chryſoſtomus, ut l. 2. de compunct dixerit: *Si omnino dignus fueris agere aliquid, quod DEO placeat, aliam ne require mercedem præter hoc ipſum, quod placere meruiſti. Si enim aliam requiris mercedem, verè ignoras, quantum bonum ſit placere DEO.* Unde rectè concludit S. Berardus l. de obed Patrum: *Noſtrum condimentum velut tribus quibuſdam herbis conficiatur. Opus eſt, ut juſtitia ſit in intentione, hilaritas in operatione, humilitas in reputatione; inſipida namque, & quodammodo inſulſa eſt noſtra obedientia, vel patientia, niſi omnium, quæ vel agimus, vel quæ patimur, ipſe* (ſcilicet DEUS) *ſit cauſa.* Quo in genere non deſunt quam plurima Sacerdotum exempla.

S. Thomas Aquinas poſt mortem apparuit pulcherrimâ ſtellâ in pectore conſpicuus propter puram intentionem, quam omnibus ſuis operibus præfixit; unde interrogatus à Chriſto diceente: Bene de me ſcripſiſti, Thoma, quam mercedem à me petis? reſpondit: non aliam, niſi te, Domine. Surius in vita.

S. Ignatius Lojola in ſingulis actionibus cum reflexione quâdam animi operam dedit, ut in quam maximam DEI gloriam redundarent, unde aſſiduò in calamo & ore habebat tritum illud: *Ad majorem DEI gloriam*: certè in ſolis ſuis conſtitutionibus ducenties, & quadrageſies, & bis puram intentionem obſequij divini inculcavit, ut P. Lancizius opuſc. 13. l. 3. c. 1 n. 337. teſtatur.

Jacobs Merolohorſtius Parochus tres fines operibus ſuis, manè pro toto die, & iterum, & opus inchoandum eſſet, præfixit, majorem ſcilicet DEI gloriam, propriam, & Proximorum ſalutem, quamvis hæ duæ poſtremæ non niſi mediatæ fuerint, & ad gloriam DEI velut ultimum finem ordinatæ, unde ad hanc quærendam ſe illis Apoſtoli 1 Cor 10. verbis exſtimulabat: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Sic autem ante opus quodvis intentionem renovabat: O *Chriſte*

JESU, in unione Caritatis illius, quâ opus Redemptionis in medio terræ operatus es, offero tibi hoc opus & omnia ſtudia mea ad majorem nominis tui gloriam, meam & proximorum ſalutem. Interdum verò ut magis creſceret in merito, etiam alios fines miſcebat hoc modo: *O clementiſſime Pater, ecce hoc quantulumcunque laboris* (meditationis, vel orationis, vel electionis) *Sacrificium tibi offero in unione acceptiſſimi & ſummi Sacerdotis noſtri, ſine quo omnes juſtitiæ noſtræ ſunt ut pannus menſtruatæ, obſecrans, ut id ſuſcipias in hoſtiam pro meis & totius Populi peccatis. In victimam pro cordis impuritatibus, & affectuum maculis expiandis. In decimas pro recognitione tui in me Dominii, quo tibi ad omnia me obnoxium agnoſco. In primitias pro omnibus beneficiis unquam acceptis. In pacificum pro unione mentis meæ, imò totius imaginis tuæ cum te DEO vivo & verò. In Sacrificium, quod cultu ſummæ Religionis & Latriæ tibi tanquam DEO, principio & fini debeo. In holocauſtum pro ardenti amoris dilectione debita: In incenſum pro conſummato & perfecto reſignationis amore. O dirigatur oratio & operatio mea, ſicut incenſum ſummi illius Sacerdotis in conſpectu tuo. Amen.* Vita c. 15.

S. Bernardus, cùm aliquando ad Populum confertum diceens, ob frequentiam Auditorum eloquentiam ipſius admirantium inani lætitia ſubſilire, & vana cogitatione tentari inciperet, quaſi quis ei diceret: *En quàm nobilis confluxus, quàm attenti omnes, & attoniti ad verborum tuorum eloquentiam*; mox advertens ſuggeſtionem Diaboli reſpondit: *Neque propter te, malignè Spiritus, prædicationem inchoavi, nec propter te deſinam.* Vita.

P. Vincentius Caraffa è Societate JESU amori ſuo nullum aliud præmium expetebat, quàm acceſſionem amoris, quódque alter quidam, hoc & ipſe ex animo dicebat: *Amo, quia amo; amo, ut amem.* Quocirca jucundum erat eum audire frequenter repetentem verba illa orationis à S. Ignatio compoſitæ: *Amorem tuum ſolum mihi dones, & dives ſum ſatis.* Quippe probè intelligens, nimis avarum eſſe, cui Deus non ſufficit; nimiſque fatuum, qui eo, quatenus hic licet, per amorem poſſeſſo non exultat. Vita l. 2. c. 9. Porro tunc dicebat, ſincerum, purúmque ab omni labe laborem eſſe,

quando

quando in eo, qui juvatur, nihil arridet, vel nobilitatis, vel opulentiæ, vel dignitatis, vel alterius decoris, quo poſſit alſici. Si ergo quandoque ab inopum, miſerorúmque conſuetudine te revocat ſquallor & turpitudo: ſi ad nobilium, locupletúmque congreſſum te pellicit elegantia veſtium, ſpeciésque exterior, eja, inquiebat, penetra, & pervade hæc, ſpecta intus in anima purpuream ejus, regiámque veſtem; externa iſta ad illam ſordeſcunt, ſpecta gratiæ divinæ pulchritudinem, tam exigua eſſe nequit, quin immenſum exuperet, quidquid in rerum natura, hominum voto & amore dignum eſt. Ibid. 2. c. 15.

Alanus de Solminihac Epiſcopus nihil agebat, in quo beneplacitum DEI præ oculis non haberet; ratione proprij commodi nihil aggrediebatur, qui ne infernum vel paradiſum volvebat animo. Cuidam fortè quærenti, quî hoc fieret, reſpondit, credere ſe, id fieri ex ſingulari DEI providentia, in hoc caſu miniſterio Angelorum utentis ad hæc objecta mentis oculis ſubducenda. Nihil frequentius in ore habebat, quàm iſthæc Apoſtoli verba 2. Cor. 5 *Caritas Chriſti urget nos, ut, qui vivunt, jam non ſibi vivant.* Pro ſuæ autem intentionis directione nullum emittebat actum, ſed ſimpliciſſimo oculorum conjectu eam peragebat, nam DEUS, inquiebat, optimè intelligit, quid quisque tali modo ſignificare velit, unde animæ ipſi unitæ non alio opus habent, quàm ſimplici intuitu.

V. Tertius actus eſt, ut omnem erga res creatas inordinatum amorem exuens, eundem in ſolum Creatorem transferat, ipſum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo juxta ſanctiſſimam & divinam ejus voluntatem; nam, ut rectè S. Auguſtinus l. 10 conf. c. 29 ait: *Minùs te, Domine, amat, qui aliquid amat, quod propter te non amat.* Quod aptâ alibi ſimilitudie explicans, *putate,* inquit, *amorem hominis quaſi manum animæ; ſi quod tenet, tenere aliud non poteſt, ideo, qui amat aliud, DEUM amare non poteſt, occupatam habet animam.* Unde rectè Thomas Kemp. l 2. c. 7. ait: *Dilectus tuus talis eſt natura, ut alienum non velit admittere, ſed ſolus vult cor tuum habere, & tanquam Rex in proprio throno poſſidere.* Cujus quidem actus aliquot exempla ex pluribus ſubjicio.

S. Franciſcus Seraphicus adeò diligebat DEUM, in cúmque omnem ſuum amorem tranſtulerat, ut illa verba *DEUS meus, & omnia*, aſſiduò in mente & lingua haberet, & totas ſæpe noctes in ijs meditandis inſumeret.

S. Auguſtinus Epiſcopus, quantopere omnem amorem exuerit erga res creatas, teſtatur ipſe in ſuis Confeſſionibus, dum ait: *O quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim tu eas vera & ſumma ſuavitas, ejiciebas eas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini?*

S. Ignatius Lojola adeò omnia terrena faſtidiebat, ut ſæpius cælum ſuſpiciens cum gemitu dixerit; *O quam ſordet mihi terra, cùm cælum conſidero!* Hinc ſuis Filijs ante omnia commendabat, ut purum pectus, & in amore DEI flagrans perpetuò cuſtodirent; nihil ut aliud amarent, expeteréntve, niſi DEUM, aut eſſe, aut ſermocinari cum DEO, Hiſt. Soc. p. 1. l. 7. n. 11.

Alanus de Solminihac pro fundamento dilectionis habebat effatum hoc: ita amandum eſſe bonum creatum, ut tamen illi non adhæreamus, quod ille tam accuratè obſervabat, ut omnes creaturæ illi inſtar ſtipulæ fuerint, & ipſe reſpectu rerum creatarum in ſtatu quodam inſenſibilitatis eſſe crederetur. Vita l. 3. c. 19.

P. Ludovicus de Ponte è Societate JESU pudori ducebat, dicere DEO, quòd eum plùs diligat, quàm cælum, terram, Angelos & alia omnia; id enim eſſe, ac ſi diceret homini, ſe eum plùs diligere, quàm plumam aut ſtipulam. Hinc Lucas Carillius de ejus caritate erga DEUM aſſerere auſus eſt, quidquid S. Gregorgius, S. Bernardus, S. Bonaventura, & alij Doctores de excellentiſſima caritate ſcripſerunt, hoc ſe totum in Ludovico inveniſſe, quod etiam non levi teſtimonio aliorum confirmatum habetur. Vita l. 2. c. 3.

P. Vincentius Caraffa cum S. Ignatij vitam ſuæ normam ſtatuiſſet, ſummíque faceret ſingulis ejus partes, hanc tamen heroicam illius animi conſtitutionem, quam P. Petrus Maffeius hiſce verbis deſcribit; *Nihil habebat humani, quo animam poſſet relaxare*; maximè quidem in mente, ſed frequenter tamen etiam in ore habebat; in quo ita Pater

Filium

Filium imitabatur, ut verè diceret, ſe ſtatuæ inſtar manus quidem & oculos habeoris, ſed tamen facultate ſentiendi deſtitutæ, rebus hujus ſæculi minimè tangi, minimè delectari: unde implebat ipſe, quod alijs ſuaſerat, ut ſcilicet uſque adeò omnia, quæ ſub ſenſus cadunt, & tempore definiuntur, abdicare ſtudeant, ut ſint inſtar puri ſpiritûs. Imò etiam ea, quæ corpori & vitæ neceſſaria ſunt, non in ſolatium, voluptatémque vertant, ſed ut perpetuæ ſervitutis onera, debitámque criminibus pœnam ſubeant, adeóque ſic ſe gerant, ut gereret potentiſſimus Monarcha, eò miſeriarum redactus ut equum ſtrigili defricare, purgatéque ſua ipſe manu cogeretur, qui ſanè ejuſmodi ſervitutem non niſi cum horrore & regii pectoris indignatione ſerviret, ab eáque, quàm celerrime poſſet, ſe expediret.

§. IV.
Exempla Prudentiæ à Sacerdotibus relicta.

I. Quantopere hæc Prudentia, quæ eſt virtus aptiſſima ad propoſitum ſibi finem media eligens, iiſque ſedulò utens, Sacerdotibus ſit neceſſaria, vel ex eo patet, quòd ipſi electi ſint ad animarum regimen; ſi ergo Salomon ad Populum ſibi ſubjectum in temporalibus rebus regendum à DEO electus, 3. Reg 3, quod vellet, à DEO poſtulare juſſus, ante omnia cor docile (ſeu, ut 2. Patralip. c 1. clariùs dicitur, ſapientiam & intelligentiam) petiit, ut Populum ſuum judicare poſſet, & diſcernere inter bonum & malum; quantò magis Sacerdos pro regendis animabus conſtitutus hanc Prudentiam ac Sapientiam deſiderare, & à DEO petere debet, ideóque conſilium S. Jacobi ſequi c. 1. dicentis: *Si quis veſtrûm indiget Sapientia, poſtulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei;* Sic enim dicere poterit cum Salomone Sap. 7. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus: invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ.* Certè Chriſtus ipſe, ut, quantopere hæc Prudentia Sacerdotibus neceſſaria ſit, oſtenderet, Apoſtolis regimen animarum ſuſcepturis ante omnia hoc præceptum dedit Matth 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.*

Porro ſequentibus præcipuè actibus Prudentia hæc à Sacerdototibus eſt demonſtranda.

II. Primus eſt, ut ſui curam ac ſalutem omnibus anteponat; cùm enim homo quivis ad æternam felicitatem velut ultimum finme creatus ſit, graviter ſanè contra Prudentiæ leges peccaret, qui alios ad illum finem aſſequendum juvaret per talia media, per quæ ipſe ab ejusdem finis aſſecutione arceretur: unde meritò Servator Matth. 16. dixit: *quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Et ſapienter etiam Salomon pronuntiavit Prov. 10. *Totum Spiritum ſuum profert ſtultus, ſapiens differt, & reſervat in poſterum.* Quod qua ratione fieri debeat, aptâ ſimilitudine explicavit S. Bernardus ſ. 18. ſuper Cant. dicens: *Quamobrem ſi ſapis, concham te exhibebis, & non canalem; hic ſiquidem penè ſimul recipit, & effundit; illa verò, donec impleatur, exſpectat, & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat.* Nempe *benigna prudénsque caritas affluere, conſuevit non effluere.* Id quod non pauci Sacerdotes ſuo exemplo confirmârunt.

S. Dominicus, cùm per diem tempus non haberet, orationi vacandi, ſed perpetuò in ſalute Proximi procuranda occupatus eſſet, majorem noctis partem in oratione, ac meditatione, ſuíque inſpectione inſumebat, ne, dum alios ſalvare ſtuderet, quicquam de proprio fervore amitteret.

S. Paulus de ſeipſo fatetur 1. Cor. 9. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, ne dum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.

S. Franciſcus Xaverius & ipſe curabat ſtrenuè, & aliis Operariis ante omnia ſuadebat, ut attenderent ſibi, nullámque rem ducerent, caſto, pióque DEI cultu, & animorum ſuorum ſalute, ac perfectione potiorem. His præditos bonis non ſolum tutò ac facilè aliorum ſaluti conſulturos eſſe, ſed etiam ad res quamvis humiles & abjectas, ſine quibus rei Chriſtianæ adminiſtratio utique jaceat, alacriter, libentérque deſcenſuros. Vit. l. 2. c. 20.

P. Balthaſar Alvarez è Societate Jesu, dicere ſolebat, non eſſe Operarii Evangelici munus, ſeipſum omnino tradere Proximis à dextris & ſiniſtris; ſic enim facilè cor illius ſæcu-

ſæcularizare, & amittere ſpiritum ſuum, ſed in pondere & menſura, cum ea ſcilicet moderatione, quæ ſe ita cum Operario tali compatiatur, ut media non negligat orationis & profectus proprij, quemadmodum in inſtrumentis Artificis ille uſus eorum cenſetur bonus, qui aciei eorum ſit conformis; nam ſi ſecuris acies obtundatur, etiamſi tota die percutiat, nihil boni faciet, quæ tamen acuta vel unâ horâ plus præſtitiſſet. Vita c. 8.

III. Secundus actus eſt, ut nihil præcipitanter, & inconſideratè, ſed omnia cum circumſpectione & prævia deliberatione fiant; nam ideo, teſte S. Gregorio l. 29. mor. *Animalia Prophetica & in circuitu, & intus plena oculis eſſe memorantur. Quisquis enim exteriora ſua honeſtè diſponit, ſed interiora negligit, in circuitu oculos habet, ſed intus non habet. Sancti verò homines & exteriora ſua circumſpiciunt, ut bona de ſe exempla præbeant Fratribus; & interira ſua vigilantia attendunt, quia ſe irreprobabiles interiùs Judicis obtutibus parant, ideo in circuitu oculos, intus habere dicuntur.* Inter quos Sanctos meritò non pauci Sacerdotes nominari poſſunt.

S. Ignatius Lojola certè præ reliquis in hoc genere excelluit, utpote de quo Hiſtoria Soc. p. 1. l. 15. n. 102. teſtatur, ea ratione & conſilio plurimùm fuiſſe uſum, crebróque uſurpare ſolitum; & à belluis hominem ſola ratione differre. Unde ipſe in omni actione & finem actionis, & media, modóſque perfectiſſimos ea perficiendi excogitabat. Et licet in agendo cum alijs ſuſpicioſus ac timidus non fuerit, erat tamen valdè circumſpectus ac providus, ut illi non facilè quiſquam poſſet imponere. A cœna in ſequentis diei negotia diſponebat. Cùm omnia pietatis opera ad ſalutem Proximi ſpectantia complecti non poſſet, magno delectu præferebat publica privatis: perpetua ijs, quæ ad tempus fiunt: certa incertis: ſecura periculoſis: neque tàm videbant, quantæ res ipſæ eſſent, quàm quantùm ſpei ad eas conficiendas oſtenderetur. Hinc ajebat, non res nobis, ſed nos rebus accommodari debere. Ribad. l. 5. vit. c. 11.

Alanus de Solminihac Epiſcopus ſummè circumſpectus erat dicere ſoliens, in præſenti vita decipi nos poſſe, ſedulam proin rerum agendarum curam habendam. Negotiorum ſucceſſum

ceſſum eminùs providebat; nihil leviter & ex præcipitatione faciebat dicens, quòd agere tali modo non ſit aliud, quàm ſeminare curas; & merere; cujus dein nos pœniteat. Vita l. 3. c. 8.

Petrus Forerius Canonicus Regularis & Parochus non ignarus Prudentiam olim cum triplici facie pingi ſolitam tanquam reſpicientem tempus præteritum, præſens, & futurum diligenter triplicis hujus temporis rationem habebat. Et 1. quidem fideliter ad res præteritas, & ſucceſſum actionum advertebat animum, &, ſi quidem deſiderio & conatui reſponderet eventus, ijsdem medijs etiam in alia occaſione utebatur; ſi verò ſecus accideret, perquam diligenter notabat, ubi commiſiſſet errorem, eum emendaturus, malóque proſpecturus in tempore, quod quidem ipſi plurimum attulit emolumenti, ut ſublimem prudentiæ gradum attingeret. Ut futura penetraret, præter naturalem ingenij bonitatem tantum luminis ex familiari cum DEO conſuetudine hauriebat, ut occultiora quoque detegeret. Pro re præſenti tot captabat conſilia, monitáque, támque prudenter & circumſpectè utebatur ijs, ut errare quaſi fuerit impoſſibile, eáque propter omnis generis Perſonæ in negotijs intricatiſſimis ad eum confugerent. Vita l. 2. c. 11.

P. Petrus Faber è Societate JESU mirâ prudentiâ in ſuis actionibus quatuor capita arctè obſervabat. 1. Ut unamquamque rem gerendam prudenter inſpiceret, an ea eſſet hujuſmodi, ut ſua ſponte referetur ad DEUM, & cum ſuo animo eſſet ſalutaris, tum utilis alienis Deinde quâ mente, quóque animo fieret, ut ab utraque gena commendaretur ejus animæ facies, eíque jure dici poſſet à Sponſo: *Quàm pulchra ſunt genæ tuæ* Tum quo ductus Spiritu unamquamque rem gereret, ne, quod Filiorum more amanter gerendum eſſet, ſerviliter ageretur. Denique perpenderet ipſe ſecum, quanta ſit facilitas DEI, quanta clementia in eo accipiendo, quod damus, admittendisque laboribus ac conatibus noſtris, cùm ſolus ille dolorem, laborémque conſideret. Vita l 2. c. 8.

IV. Tertius actus eſt, ut omnibus, quibuscum agit, quantùm ſalvâ conſcientiâ fieri poteſt, ſe accommodet; nam ut ſapienter S. Franciſcus Borgias vit. l. 4. c. 8. advertit, non omnes,

omnes, quorum curam ſuſcepimus, unâ regulâ metiendi ſed potiùs boni milites imitandi ſunt, qui pro fiſtulæ captu machinam bellicam ſulphureo pulvere implent, ne diſſiliat. Quod præceptum ſanè non pauci Sacerdotes ſtudioſè obſervârunt.

S. Paulus de ſeipſo fatetur 1. ad Cor. 9. Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer. Iis, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cùm ipſe non eſſem ſub lege) ut eos, qui ſub lege erant, lucri facerem: ijs, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem (cùm ſine lege DEI non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucri facerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. Unde meritò 2. ad Cor. 12. ait: *Ego vos non gravavi, ſed cùm eſſem aſtutus* (prudens) *dolo* (pio & licito) *vos cepi.*

S. Ignatius Lojola ut omnes lucrifaceret ambitioſis ſplendida, avaris utilia, voluptuoſis jucunda proponebat. Triſtem & horridam ſapientiam ſemper vitabat, quantùm potuit, ſe ad communem conſuetudinem accommodans, ita ut ejus mores primâ fronte intuentibus unus è Populo videretur eſſe. Ut Maffeius l. 3. vit. c. 11. teſtatur. In vocandis hominibus ad virtutem ſuis armis petendam Sathanam dicebat; ſicut enim ille animam juſti non continuò apertis armis, & inſidijs, ſed rectè oppugnat, nihil primò bonis actionibus obſervando, imò multa, quæ honeſti ſpeciem præbent, ſuggerendo, donec tandem incautum decipiat; ita in alliciendis ad ſalutem animis laudanda prudenter ab initio in hominibus, quæ ſunt recta, vitijs parumper intactis, ac leniter in eorum gratiam irrependum; quâ conciliatâ tum demum admovendam medicinam. Hiſt. Soc. p. 1. l. 3. n. 49.

S. Franciſcus Xaverius mirâ erat prudentia in convertendis peccatoribus; nam primò diſſimulavit eorum vitia omni affabilitate eos devinciens, tum recenſitos varios malorum caſus, eorùmque vitam divinis mandatis contrariam oſtendens eos convertebat. Si quando aliquis improba diceret, nullam indignationem oſtendebat, nec errantem tum reprehendebat, ſed in ejus familiaritatem ſe inſinuans, & ſe-

ducens

ducens hominem ſine arbitris monebat dicens, mirari ſe talia illi verba excidiſſe. Vit. l. 3. c. 15. & 16.

Petrus Foterius in intimos cordium receſſus à natura, experientia, gratiáque colluſtratus penetrans, naturalem cujusvis affectum cognoſcebat, &, quidquid vitioſum invenerat; reſcindens, unumquemque ſecundum naturam ſuam perficere nitebatur, eximiúmque præſtare, pro fundamento arripiens, quod indole tali bonum eſſet, rectúmque, cui poſtmodum virtutum omnium margaritas inædificabat convenienter primis principijs ac radicibus bonitatis ibidem repertæ: hilari nequaquam ſuam hilaritatem diſturbabat, ſolùm attendens, ne in immoderantiam tranſiret: Melancholicum in ſua animi collectione & ſolicitudine relinquebat, in id tantùm incumbens, ne hic humor in moroſiorem triſtitiam degeneraret: verbo omnibus omnia fiebat, demptâ tamen imperfectione, ita ut meritò Prudentia illius, Matrisfamilias inſtar eſſe crederetur, quæ demenſum in fruſta conciſum cuilibet domeſticorum ſecundum ætatem & corporis conſtitutionem partitur. Vita l. 2. c. 11.

P. Bernardus Colnagus è Societate JESU noverat perbellè omnibus omnia fieri, demittere ſe ad animas humi repentes, & ad eas, quarum converſatio in cœlis eſt. Ad cujusque captum formabat ſeipſum ac verba componebat: Nec plus, minúsve loquebatur, quàm ſciret Auditorem ferre poſſe. Hinc non fuit tam grandis ullus, qui eo familiariter uti non dignaretur: nemo tam abjectus, quocum ipſe ſuaviſſimè agere non poſſet, & vellet. Vita l. 2. c. 10.

§. V.

Exempla Juſtitiæ à Sacerdotibus relicta.

Juſtitia in genere definitur, à Theologis virtus jus ſuum cuique tribuens; unde quia variæ ſunt perſonæ, quibus jus tale tribui poteſt, variæ etiam juſtitiæ ſpecies exurgunt, nempe Religigio erga Deum, Chriſtum & Sanctos, Obedientia erga Superiores, Miſericordia erga Pauperes, Charitas fraterna erga æquales &c. de quibus proin omnibus ſpecialiter agendum nunc eſt.

Exempla Religionis erga DEUM.

I. Quantopere hæc virtus, cujus Officium eſt, debitum DEO cultum tribuere, Sacerdotibus conveniat, vel ex ipſo illius officio ſatis colligitur, quod aliud non eſt, quam ea, quæ ad Cultum DEI pertinent, devotè ac reverenter peragere, atque ut ab aliis etiam ſimili modo peragantur, ſtudioſè efficere; unde ab Apoſtolo *Homo DEI* vocatur, id eſt, homo, qui ſuus eſſe deſijt, & totus DEI eſt, tutúſque in hoc poſitus, ut DEI honorem, gloriam, & regnum in omnibus propugnet, & promoveat, ut ſacrum illud miniſterium, *quod DEI munere ſumpſit, DEI devotione conſumatur; atque id, quod ab eodem indignus accepit, eidem ſubjectus impendat;* id quod in ſequentibus præcipuè occaſionibus exequi debet.

II. Prima & præcipua occaſio eſt in SS. Miſſæ Sacrificio ritè offerendo, cùm enim Sacrificia ſint proteſtatio quædam ſupremæ excellentiæ & poteſtatis, quam DEUS in vitam & mortem noſtram habet, meritò hunc cultum præ alijs ſemper requiſivit ab hominibus DEUS, nunc verò in novo Teſtamento tantò æquiùs, ardentiúſque requirit, quantò præſtantius, ſibíque acceptius Sacrificium per Filium ſuum inſtituit; locóque multiplicium Sacrificiorum in veteri Teſtamento non ſine magno labore & moleſtia offerri ſolitorum ſubſtituit, id pulchrè B. Algerus l. 2 de Sacram. c. 3. inſinuavit dicens: *Multiplicitatem Sacrificiorum veterum ſingularitate ſui Sacrificii abbrevians, occupationem nobis exteriorem minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit; uno unico ſuo Sacrificio remiſſionem, redemptionémque nobis faciens peccatorum; profectúque, fidei cæterarúmque virtutum, & ad vitam æternam perducens. Cæterarum omnium hoſtiarum vim & dignitatem magnitudine ſuâ & præſtabili dignitate obruit. Hic holocauſtum, hic hoſtia pacifica, hic propitiatorium Sacrificium continetur.* Unde ſingularis ſemper Sacerdotum in hoc Sacrificio offerendo fervor extitit.

S. Laurentius Juſtinianus, ex quo die factus eſt Sacerdos, quotidie Miſſam celebravit, niſi valetudine impediretur, dicebátque, qui, cùm poſſet Domino ſuo frui, non frueretur,

facilè

facilè declarare, ſe Domini ſui curam non habere. Vit. 8. Jan.

S. Thomas Aquinas ſolebat non tantùm quotidie Miſſam offerre, ſed etiam aliam audiebat, cui ut plurimùm ipſemet miniſtrabat. Sub ipſo autem Sacrificio, tanti Sacramenti amore ebrius non rarò in DEUM rapiebatur totus lacrimis infuſus. Sur. 7. Mart.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus etiam quotidie tum ipſemet ſacrificabat, tum alteri Sacrificio devotus adſtabat. Vit. 2. Maij.

S. Benno Epiſcopus Menenſis nunquam ſiccis oculis SS. Miſſæ Sacrificium offerre viſus eſt. Vit. 16. Jun.

Leo Pontifex III hujus nominis interdum uno die ſepties, aliquando novies celebrabat, teſte Strabone de div. offic.

S. Cajetanus plerumque horas octonas in præparatione ad Sacrificium Miſſæ impendebat, & tum primùm præmiſſa confeſſione ad Altare accedebat. Rho. l. 3. virt. c. 1. n. 15.

S. Ignatius Lojola dicendo Miſſam adeò inflammabatur, ut tota facies ejus inſtar cancri cocti ruberet, tantóque ardore æſtuabat, ut quandoque à altari alienis manibus deportari in cubiculum debuerit, unde niſi validis eſſet viribus, ſacrificare non poterat Lancizius opuſc. 13. n. 51.

S. Franciſcus Borgias iter faciens, ad duo nonnunquam millliaria à via decedere, non dubitabat, & diverſorij incommodica libenter ſupportabat, dum ſacris operari poſtridie liceret. Quotidie confeſſus rem divinam faciebat, non ſine copioſis lacrymis id præſtare ſolitus. Vir, l. 4. n. 12. & 14.

Stanislaus Hoſius Cardinalis uſque ad decerptam ætatem, quotidie Miſſam dicebat, aut audiebat. Ante Miſſam nullis unquam negotiis operam dare volebat, ſed ſoli meditationi vacabat. Quamobrem in ipſo ſæpe diluculo, qualecunque tandem cælum eſſet, ad Eccleſiam accedere ſolebat, cúmque aliquando Medicus malum eſſe aërem diceret, reſpondit ipſe: at DEUS bonus eſt, qui utique juvabit. Vita c. 16. & 19.

P. Franciſcus Suarez è Societate Jesu ſacris quotidie operabatur, nec ſe aut per viarum moleſtiam, aut Hæreticorum locorum periculum abſterreri patiebatur. Dicenti verò cuipiam, laborioſum eſſe, quotidie ſacrum facere, minimè reſpondit, quæ enim alia hora in vita noſtra plenior eſt ſolatii

& voluptatis? eâ quoties carere cogor, exareſcit animus divinâ dulcedine deſtitutus. Vita to. de Angel. præfixa.

III. Secunda occaſio eſt in horis Canonicis piè & devotè recitandis; ad quod officium quia Sacerdotes ſpecialiter ſunt ordinati, meritò quoque illi præ aliis ſalubrem S. Bernardi ſ. 47. in Cant. adhortationem applicare debent. *Unde vos moneo, dilectiſſimi, purè ſemper, & ſtrenuè divinis intereſſe laudibus; ſtrenuè quidem, ut, ſicut reverenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis & remiſſis vocibus muliebre quiddam balda de nare ſonantes, ſed virili, ut dignum eſt, ſonitu & affectu voces S. Spiritûs depromentes. Purè verò; ut nihil aliud, dum pſallitis, quàm quod pſallitis, cogitetis. Spiritus ſanctus illâ horâ gratiarum non recipit, quidquid aliud, quàm debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris;* quo in genere multi iterum Sacerdotes præclara Exempla reliquerunt.

S. Auguſtinus horas Canonicas, ſepoſitis omnibus negotijs, ingenti pietate exolvere ſatagebat; ad has tempus opportunum, otiúmque deligebat, in eo reddendo velut ſub melioris vitæ initium, officium divinum audiendo, frequentiùs lacrymis perfundebatur. Ac ſemel duntaxat negotiorum mole obrutus, Completorij recitandi oblitus fuiſſe fertur, unde paulò pôſt Diabolum cum oblongiore ſcheda obvium habuit. quem cùm pro imperio rogâſſet, quidnam in illa ſcriptum ferret? & oblivionem ſuam obſervâſſet, mox dolore concepto perſolvit preces, ſícque effecit, ut erratum illud ex ſcheda evaneſceret. Vital. 3. c. 33.

S Carolus Borromæmus, licet in aliis etiam orationibus diu, noctúque frequentiſſimus fuerit, horas tamen Canonicas ſemper flexis genibus recitavit. Vita per Franciſcum Pluiam ſcripta. c. 20.

S. Vincentius Ordinis Prædicatorum, cùm non poſſet officium divinum ultima ægritudinis die perſolvere, curabat id ad lectum per ſocium recitari, cúmque ſocius Laudes perſolvens ad illa ultimi Pſalmi verba: *Omnis ſpiritus laudet Dominum:* perveniſſet, ſæpius ea Vincentius cum jubilo repetens, ſpiritum emiſit. Marchant. in hort. Paſt. tr. 3. lect. 14.

S. Francifcus Xaverius pro attentione comparanda, ante ſingulas horas officij divini hymnum *Veni Sancte Spiritus* recitabat, & quidem tanto fervore, ut ei cor in pectore exilire, animúſque deficere videretur. Libentius autem in ſacris ædibus, quàm alijs in locis orabat, eò quòd crederet, in illis DEUM benigniùs audire orantes. Vita l. 6. c. 5.

P. Petrus Faber è Societate JEsu ad continendam in Pſalmodia mentem conſequentes induſtrias adhibebat. 1. Tempus orationis ſæpe in memoriam revocabat, & paulò antè omnia negotia diſponebat. 2. In ipſa oratione poſt ſingulos Pſalmos dicebat: Pater cæleſtis, da mihi ſpiritum bonum. 3. Imaginabatur ſibi utrumque Angelum, bonum & malum; illum quidem omnia verba pronuntiantem, hunc verò evagationes obſervantem. 4. Imperabat animo, ut vel in uno pſalmo ſine evagatione perſiſteret; id ſi acquiſivit, ad alium dein ſimili cum pacto progreſſus eſt. Perfectò Pſalmodiæ munere, niſi ex ſententia, votôque ſuccederet, concipiendum eſſe dolorem ajebat, ſed quietum, qui perpetuus ſit, & ad novum uſque tempus Pſalmodiæ duret. Ex quibus induſtriis illæ ſuavitates ac dulcedines, quibus tanquam jucundo pabulo ſe recreabat, ortum habebant; negabat enim citra miraculum fieri poſſe, ut qui nullo precandi deſiderio ac fame, niſi tum, cùm conſtitutum precationi tempus advenerit, incitatur, is ſolidiorem ex ea guſtum, voluptatémque percipiat. Hiſtor. Soc. l. 3. n. 35.

Jacobus Merlohorſtius Parochus ægerrimè ferebat præcipitem, & nimia celeritate concitatum cantum Horarum Canonicarum, quem, cùm emendare non poſſet, ne præſentiâ probare videretur, abeſſe malebat; ſummam adhibebat gratiam, ut animam diu antè præpararet, & contra teporem ac evagationem præmuniret. Inſcripſerat Breviario ſubjectas ſententias: *Si cor non orat, in vanum lingua laborat. Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo tentans DEUM. Illius eſt oratio perfecta, cujus & cauſa clamat & lingua, & actus, & ſermo, & vita, & cogitatio.* Caſſiod. ſup. pſalm. Et illud Iſidori l. 2 c. 8. *Oratio cordis eſt, non labiorum; neque enim verba deprecantis DEUS attendit, ſed orantis aſpicit; melius eſt cum ſilentio orare corde ſine ſono vocis, quàm ſolis verbis ſine intuitu mentis.*

Ad

Adhæc haſce conſiderationes ſæpe conſiderabat, ut tantò majori cum devotione horas diceret. 1. Conſidera DEI majeſtatem, ejúſque præſtantiam tibi propone, & quomodo omnis ſpiritus laudet Dominum & omnia opera benedicant ei, & æmulare. 2. Te conſtitutum, ut pro Magiſtratu Eccleſiaſtico & Politico, pro Amicis & Inimicis pro Sæcularibus diſtractis, Captivis, Infantibus de Baptiſmo, & alijs de ſalute periclitantibus, pro vivis & defunctis DEUM ores, quàm ſit proinde æquum, ut devotè id facias. 3. Ad finem ſingulorum Pſalmorum ſub *Gloria Patri* ſingulariter recollige animum, SS. Trinitatem intimo corde lauda, reverenter adora, deſiderans in te ſentire affectus, quos Pſalmi varios paſſim ſuggerunt, velut amoris in DEUM, Doloris de peccatis, laudis divinæ, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis &c. Admirationis, Gratiarum actionis. 4. Quanto pietatis affectu guſtúque, & gaudio ſpiritûs horas legere poſſes, ſi curares pſallere ſapienter, id eſt, ſi intellectui Pſalmorum, quos Spiritus S. dictavit, devotè intenderes, ut eos non tanquam à Propheta compoſitos, ſed velut à te editos, quaſi orationem propriam, profunda cordis compunctione depromeres, vel certè ad tuam perſonam æſtimares eſſe directos, quos viri ſancti magno affectu & fructu recitare ſoliti ſunt. O quàm diſplicet DEO, ea, quæ ipſe inſpiravit, ut ijs poſtulare nos faceret gemitibus inenarrabilibus, recitari quandoque cum fabulis & riſu, aut ſaltem vanis cogitationibus, id eſt, ſordibus ſacratiſſima verba, quibus longè major, quàm Sanctorum Reliquijs veneratio debetur, miſceri! Quàm Sanctis diſplicet, verba, quibus ipſi DEUM tam ſeriò & ſedulò honorârunt, ea per te inhonorari, & quaſi prophanari, iíſque vanas & carnales cogitationes miſceri, ut fiat deteſtabile illud: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* 5. DEUM ad hoc tibi de ſuo Patrimonio largiri alimenta, ut ritè id officium ſibi præſtes, & quàm turpe in eo negligenter verſari! Sanè ſi audias ſervus nequam & fraudulentus, quomodo effugies iram ſupremi Patrisfamilias? 6. Orationem canalem eſſe, quo ad nos DEI gratia derivetur, & quàm turpe, illam tibi fieri per negligentiam in peccatum, & grave detrimentum! Vita c. 19.

P. Ludovicus de Ponte horas Canonicas, ſi poterat, ſem-

per coram Vener. Sacramento genibus flexis recitabat, aut certè, ſi egredi non poterat, verſus illud recitare ſolebat. Conſueverat etiam raptim interſpirare, cùm Pſalmi ſuggererent affectum. Vita l. 2. c. 8.

P. Balthaſar Alvarez è Societate JESU ſuas horas cum magna quiete & reverentia, & recollecto loco, ut cordis evagationes fugeret, recitavit: nunqnam eſt viſus in aliquo tranſitu orare, nec deambulans, ſed per multos annos in medio cubiculo genuflexus id recitabat. Ordinariè orabat ſolus, ut diutius orare, atque in ſenſis, quæ DEUS communicavit, hærere, ac frui poſſet. Vita c. 6.

P. Leonardus Leſſius è Societate JESU ad horas Canonicas non ſecùs, quàm ad laborum ſolamen, placidámque quietem ſe conferebat. Singulorum Pſalmorum literales, Anagogicos, allegoricos, & morales ſenſus intelligebat, &, quo quisque Pſalmus fine, affectu & modo fuit conceptus, quibus omnibus aſſequebatur, ut ſingulari cum facilitate & oblectatione compoſitam mentem in divino iſto officio contineret. Vita c. 10. n. 48.

IV. Tertia occaſio eſt, ut Templum Altaria, Supellex ſacra cum magna munditie & reverentia tractentur, & cuſtodiantur; ex altarium namque, ſacræque ſupellectilis immunditia, non parùm ſplendor noſtræ Religionis obſcuratur, ardórque fidei, quam de divinis myſterijs concipere debemus. Quodammodo enim vilipendi videtur divina illa, tremendáque actio, dum vilia ſunt, & ſordida iſta, in quibus tanta myſteria tractari debent. Profectò ſi menſa pauperis honeſtum Hoſpitem excipientis candido ſolet linteo tegi, ne offendatur Hoſpes, quantò major cura nitoris habenda eſt in menſa, quæ Chriſtum excipit, & cui ab initio Conſecrationis deſtinatus eſt, Angelus cooperans Sacerdotibus ibidem litantibus, ut rectè diſcurrit Marchantius in Virga Aaron tr. 3. lect. 19. Quo in genere non deſunt iterum inſignia Sacerdotum ferventium exempla.

S. Carolus Borromæus adeò decorem domûs DEI cordi habebat, ut Author compendii vitæ c. 10. dicat nullam in Mediolanenſi civitate ac Diœceſi ampliſſima Eccleſiam fuiſſe, cui ille manum non appoſuerit, aut à fundamentis integram erigendo, aut antiquam reſtituendo, & ornando pro dignitate

veſtimentis Eccleſiaſticis; adeò ut deterſo ſquallore novam faciem ac ſplendorem novum ſumma cum admiratione omnium induerat.

Petrus Aloyſius Caraffa Nuntius Apoſtolicus, quantopere hunc decorem æſtimârit, & conſervare ſtuduerit, claro argumento in Viſitatione Diœceſis Leodienſis demonſtravit, quando authoritate Apoſtolica ſancivit, ut Tabernaculum Venerabilis Eucharitiæ, in quo Chriſtus Sponſus adeſt Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, interius velo byſſino purpureo conveſtiretur, ne intra ligneos aſſeres contineri videatur Rex gloriæ in terris, qui lucem in cælis habitat inacceſſibilem, & eſt amictus lumine ſicut veſtimento. March. l. c.

Alanus de Solminihac Epiſcopus quantopere ædes ſacras veneraretur, verbis ſatis explicari non poteſt, inquit Author Vitæ, l. 3. c. 20. Si in iis exiſteret, ſuâ modeſtiâ, oríſque habitu ad devotionem adſtantes excitabat, rariſſimè loquebatur, déque rebus valde neceſſariis: nihil minùs quàm immodeſtiam & deambulationem in his locis perferre poterat, hujusmodi abuſu ſtatutâ quoque ſub excommunicationis ſibi reſervatæ pœnâ ſublato. Si penes ipſum ſtetiſſet, hæc templa materialia ex lapide Porphirite & Jaſpite exſtrui, & undequáque inſtar templi Salomonici inaurari debuiſſent. Deſiderabat, ut Altaria cum magnificentia exornarentur, pro eorum decoratione nullis ſumptibus Beneficiarij parcerent, exiſtimans, eorundem proventus meliùs impendi non poſſe. Religionis demum Spiritu ductus, quidquid potuit, fecit, ut hæc ſacra in eum reducerentur ſtatum, in quo etiamnum ſpectantur

De Jacobo Merlohorſtio Author vitæ c. 19. teſtatur, quòd ipſo Paſtore exiſtente Altaria pretioſis palliis veſtita, ſacra ſupellex Ciborio, calicibúſque aucta, veſtes Sacerdotales è tela præſtantiſſima elaboratæ fuerint. Nec minùs ornatus, quàm munditiæ fuerit ſtudioſus, lineam Altaris ſupellectilem lautam & elegantem requiſiverit indicem puritatis animi, quam in hominibus ſacra ſynaxi reficiendis Deus exigit. Ob quem inſtrumenti ſacri & Altarium nitorem & elegantiam libenter & ipſi Metropolitani Collegæ in ea Parœcia faciebant.

V. Quarta occaſio eſt, ut Exercitia Religionis puta Miſſæ celebratio & auditio, Horarum Canonicarum, ubi mos eſt,

 publica

publica cantatio, Sacramentorum ſuſceptio, peregrinationes ſacræ & ſimilia decenter & ordinatè ſuo tempore peragantur, cùm enim hæc ſint publica Religionis noſtræ Catholicæ Exercitia, meritò omni ſtudio procurandum eſt, ut tali cum devotione & reverentia obeantur, quæ majeſtatem & ſanctitatem dictæ Religionis decet, & ædificationem magis in aſpicientibus, maximè Hæreticis, quàm ſcandalum parere queat, id quod Zeloſi Sacerdotes ſtudioſè ſemper obſervârunt, & etiamnum obſervant.

Alanus de Solminihac Epiſcopus non modò ipſe ſingulari cura dies Dominicos & Feſtos obſervabat, nemini præbens aures, niſi ob graviſſimá negotia, quæ dilationem non patiebantur, ſed etiam ſuis Diœceſanis inſinuavit, rem ſibi pergratam facturos, ſi pro Viſitationibus officioſis dies alios, quàm divino cultui deſtinatos ſeligerent. Hinc etiam ſummopere laboravit, ut Nundinas hiſce diebus eliminaret, &, ſi quos Mercatores ante portam Eccleſiæ merces ſuas expoſuiſſe advertit, ſanctè indignatus exemplo Chriſti, mox eosdem loco cedere juſſit. Ipſum verò judicium divinum ut cum omni, quâ fieri poterat perfectione peragerctur, efficere conatus eſt, cúmque in finem diverſa ſtatuta fecit. Vita l. 3. c. 20.

Petrus Forerius Canonicus Regularis ita rei divinæ cultum promovit, ut diebus operarijs etiam templum hominibus eſſet frequentiſſimum, Feſtis verò & Dominicis diebus in tanta copiâ affluerer populus, ut plures, quàm quarta pars extra templum manere cogerentur. Univerſa propè Parœcia quot menſibus confeſſione piaculari peractâ, ſacræ menſæ accumbebat, quin haud pauci ſingulis octiduis id magno cum pietatis ſenſu & fructu faciebant. Si per modum ſupplicationis Sancti cujuspiam locus viſitaretur, è reliquis omnibus Parœciani ipſius ex oculorum modeſtia & devotione foras etiam prorumpente, & ordine, quem ſervabant, obſervato dignoſcebantur, & infamis reputabatur, qui cauponam fuiſſet ingreſſus. Vita l. 1. c. 11.

JacobusMerlohorſtius in ipſo mox Paſtoralis Muneris initio totus in eo fuit, ut eorum Sacramentorum induceret frequentiam, quibus animæ puritas & gratia vel acquiritur, vel conſervatur. Hinc ad ſacram tribunal quotidie ferè Sacer-

dotibus

dotibus in æde ſummæ facientibus, pridie verò Feſtorum aut Dominicæ confitentibus operam dabat. *Sic inducta in Parochiam paulatim octavo quoque die Sacræ Communionis frequentatio, pietas fidelium aucta, concurſus ad templum maximus & reverentia cultus divini major introducta.* Vit. c. 17.

Exempla Religionis erga Chriſtum.

I. Hujus virtutis ardentiſſimum ſtudium, ſi ulli alteri, Sacerdotibus certè præcipuè convenit, tum quia Chriſtus eſt primus & Supremus Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech, atque adeò meritò tanquam perfectiſſimum Exemplar aſſiduè illis ob oculos verſari debet tum; quia idem Chriſtus eſt Fundator Sacerdotij, ſi ergo Religioſi v. g. meritò ad Fundatorem ſuum, plùs quàm alij, honorandum & amandum obligati credantur, eò quòd ipſe occaſio & cauſa fuerit illorum bonorum, quæ in Religione participant; facilè patet, Sacerdotes quoque tantò magis, quam alios homines obſtrictos fore ad Chriſtum colendum & diligendum, quantò major illis dignitas, & utilitas ex Sacerdotii collati beneficio obtigit. Unde meritò P. Vincentius Carafta Societatis noſtræ Generalis cuidam familiari Sacerdoti in hæc verba ſcripſit: *Legi hoc veſpere, S. Antonium ſuis ſingulariter commendare ſolitum, ardentem in Chriſtum amorem. Idipſum Reverentia Veſtra voveo, ut ipſa primùm, tum verò ab ipſa cæteri exardeſcant amore. Et ſanè, Pater mi, ſi amorem præcedere debet conſultatio & electio ejus, quod adames, conſtat, non alium nobis, quàm Dominum Jeſum in amoribus eſſe debere, quippe cui adſint omnes neceſſitudinis noſtræ cauſa; ſummáque jura omnia. Quare deceret eum non amare duntaxat, ſed immensùm amare. Verùm huic nomini ſatisfit amando, quantùm humanitus licet, atque, ut loquitur Bernardus, ex toto. Etenim, qui dat, quidquid habet, nihil ſibi facit reliqui, quod ultra donet, atque ideò ſine fine amat, qui nullum limitem figit amore. Hoc igitur pacto acquieſcit animus, neque eſt: quod cupiat aliud. Itaque ſæpe iteremus haſce ſanctas S. P. N. Ignatii voces: Amorem tui ſolum cum gratia mibi dones: amorem, ut amemus: gratiam, ut amemur: amare & amari utique ſat eſt, & am-*

pliùs nihil. Vita l. 2. c. 12. Porro in tribus præcipuè occaſionibus hanc Religionem oſtendere debet Sacerdos.

II. Prima eſt, ut totam vitam illius altè memoriæ & pectori inſcribat, ad virtutes illius velut perfectiſſimum imitationis exemplar oculos in ſingulis actionibus ſuas reflectat, ut, ſi aliud imitari non poteſt, illam ſaltem Chriſti laudem mereatur: *Bene omnia fecit.* Marc. 7 Nam, ut ſapienter S Gregorius epiſt 1 de perf Chriſt advertit; Quisque ſuæ vitæ pictor eſt; & Artifex hujus voluntas, colores autem ſunt virtutes, exemplar Chriſtus eſſe debet. Hinc meritò Sacerdos ſaluberrimam illam S Bonaventuræ in quod. ſerm. adhortationem audire debet; *Hæc ſit ſapientia & ſtudium tuum, ſemper aliquid de ipſo* (Chriſto) *cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel ad amandum eum inciteris; quantò enim quiſque in virtutis imitatioue ſe illi hîc conformare ſtuduerit, tantò ei in prima gloria & claritate appropinquabit, & ſimilior erit.* Quam doctrinam ſanè non pauci Sacerdotes egregiè obſervârunt.

S. Paulus ita Chriſtum amare, & imitari ſtuduit, ut dicere auſus ſit ad Galat. 2. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Et iterum 1. ad Cor. 2. *Non judicavi, me ſcire aliquid inter vos, niſi JESUM Chriſtum, & hunc Crucifixum.* Unde meritò alios quoque ad hanc imitationem invitat 1. Cor. 4 dicens: *Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

S. Gregorius Nazianz quantopere Chriſtum imitari ſtuduerit, ex pulcherima illa, quâ ſe & alios ad imitationem hanc incitare ſtuduit, ratione ſatis colligere licet, dum in orat 40. in Paſch. dixt: *Simus ut Chriſtus, quoniam Chriſtus quoque ſicut nos: efficiamur Dii propter ipſum, quoniam ipſe quoque propter nos homo factus eſt.*

S. Bernardus tanti fecit hanc imitationem, ut ſ 22 in Cant. dicere auſus ſit: *Incaſſum laborat in acquiſitione virtutum, qui eas alibi, quàm in Chriſto quærit.*

S. Ignatius Lojola, cùm vitam Chriſti legiſſet, tanto eam imitandi deſiderio exarſit, ut eam, quam novimus, & miramur, vivendi rationem ſuſceperit, & Ordinem Societatis Jesu inſtituerit. Vita.

S. Franciſcus Xaverius ad imitationem Chriſti ſe & ſuos indeſinenter hoc dicto incitavit: *Demus operam, Fratres, ut, qui de Societate JEſu dicimur, nunquam tali capite, talive corpore videamur indigni.* Sacchin. in præf. hiſt, Soc. p, 1,

P. Oviedo Patriarcha Æthiopiæ vehementer lætatus eſt. [illegible] vulneribus à Latronibus affectum fuiſſe, ut hoc [illegible] ſimilior eſſet. Hiſt. Soc. p. 1. l. 4. n 76.

[illegible]era occaſio eſt in cultu & amore SS Eucharistiæ [illegible], in quo meritò iterum Sacerdotes exemplo præ[illegible] aliósque longè antecellere debent; ſi enim nemo [illegible] amandi majores & plures cauſas habuiſſe creditur, quàm B. Virgo, eò quòd illa ſola ſine Patris concurſu eundem generârit, quantò majori amore, ſi fas eſſet, Sacerdotes ipſum amare deberent, ut qui non ſolùm Carnem, ſed etiam Animam Chriſti ſuo modo in Eucharistia producunt, atque adeò Incarnationis Myſterium renovant, uti S. Auguſtinus hom. 2. in Pſal. indicavit, dicens: *Verè veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus DEI Filius velut in utero Matris incarnatur.* Accedit, quòd hoc Sacramentum, teſte Alano de Solminihac l. 3 vit c. 20. ſit theſaurus Chriſtianorum, Fons gratiarum cum abundantia in omnes effuſarum; cùm ergo hujus theſauri cura Sacerdotibus unicè ſit commiſſa rectè ſanè concluditur, etiam his præcipuè incumbere, ut debitus Chriſto in hoc Sacramento cultus ac amor exhibeatur, qui quidem in tribus præcipuè actionibus conſiſtit 1. Ut frequenter in templis viſitetur, & ad eum in omnibus neceſſitatibus fiducialis recurſus habeatur, cùm verè hîc impletum videatur, quod Levit. c. 26. dixit: *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea: ambulabo inter vos: & ero DEUS veſter, vósque eritis Populus meus.* Quidni ergo meritò quilibet Sacerdos à Chriſto Eucharistico quaſi ſibi dicta illa pij Aſcetæ l. 3 c. 30. de imit. verba applicet; *Fili ego Dominus confortans in die tribulationis, venias ad me, cùm tibi non fuerit bene.* 2. Ut Sacrificium Miſſæ frequenter devotè offeratur, vel audiatur ſicque, ut idem pius Author l. 4. c. ait, DEUS honoretur, Angeli lætificentur, Eccleſia ædificetur, vivi adjuventur, defunctis requies præſtetur, & ipſe Sacerdos omnium

bonorum particeps efficiatur. 3. Ut cum magno zelo ac promptitudine Chriſtianis communicare volentibus diſtribuatur, cum debita reverentia & pompa ad ægros deportetur, vel etiam in Proceſſionibus circumferatur; & ad frequentem communionem Fideles ferventer & efficaciter incitentur Sacerdotes namque ſunt Apoſtoli Chriſti, ideòque ſibi dictum à Chriſto credere debent Luc. 22. *Euntes parate nobis Paſcha.* Sacerdotes ſunt Miniſtri in magna Cœna à Chriſto inſtituta ſervientes, illis ergo convenit iterum illud Chriſti mandatum Luc. 14. *Exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc* Sacerdotes ſunt Medici animarum: an non ergo illis præcipuè convenit ad Medicum, de *quo virtus exibat, & ſanabat omnes*, alios adducere? Sacerdotes denique ſunt Paſtores ovium, decet proin, ut de bonis paſcuis provideant illis, ſicque illud Ezech. c. 34. uſurpare poſſint: *In paſcuis uberrimis paſcam eas.* Quæ omnia quàm ferventer a varijs Sacerdotibus præſtita ſint, ſequentia exempla docebunt.

S. Franciſcus Xaverius tanto ferebatur in Ss. Eucharistiam affectu, ut, ubicunque poterat, quæreret cubiculum templo propinquum. Obſervatum eſt Malacæ, eum ferè in ſacratio quaſi alterum Samuelem pernoctare, humíque cubare ſolitum, indéque in templum digreſſum, ante S Eucharistiam majorem noctis partem flexis genibus inter preces transegiſſe. Proprium illi erat, Euchariſtiam flexis genibus miniſtrare Populo, quomodo commodè id fieri poterat. Vita l. 6. c. 5.

De S Franciſco Borgia ſic ſcribit Sacchinus in p. 3. hiſt. Soc. l. 8. n. 49. Ultra omnem vim eloquentiæ eſt, quanta pietate ferretur, quámque ſanctis & dulcibus afficeretur motibus. Ubicunque degeret, ſecretam ſibi curabat cellam ad aræ maximæ latus: in eum velut portum, quàm licebat, creberrimè ab negotiorum æſtu recipiebat ſeſe, ibi ante DEUM effundebat cor ſuum, ibi divinitatis commercio & dulcedine fruebatur, beatæ vitæ perguſtans ſuavitatem. Septies minimum quotidie viſitare id ſolebat. Quoties pedem in templum inferebat, ſagaciſſime ſtatim ſentiebat, quo loco SS. Sacramentum aſſervaretur, nec unquam fallebatur, etiamſi

etiamſi lampades & cætera argumenta deeſſent. Eboræ graviter ægrotans & lethargo captus evigilare per vim, Medicorum juſſu cogebatur, & allatâ Eucharistiâ mox exporrectus alacer & agilis apparebat.

Alanus de Solminihac Epiſcopus ad Sacellum domeſticum, ubi *SS.* Eucharistiam conſilio alterius Epiſcopi aſſervabat, perpetuò confugiebat: hîc omnes ſuas difficultates explicabat, ſuúmque cor effundebat: hîc pro DEI gloria, ſuorúmque Diœceſanorum ſpirituali emolumento maxima conſilia agitabat: hîc vires, animúmque ſumebat ad ſuſtinendas calumnias adverſum ſe cogitatas. Viſus eſt ab Altari aliquoties recedere facie prorſus inflammata, quæve radios quosdam à ſe proijceret. In omnibus ſuis Archipresbyteratibus ſuæ Diœceſos conferentias cum ſuis Sacerdotibus habebat, quâ ratione effici poſſet, & honor debitus Eucharistiæ à Fidelibus exhiberetur. Hinc decrevit, ut in omnibus templis ruralibus aſſervaretur, & quidem in deauratis Tabernaculis holoſerico vel ſerico veſtitis, & umbellâ ſeu papilione coopertis. Statuebat item, ut coram tali Altari lampas ſemper arderet, & optimo oleo nutriretur, dicere aliquando auditus, æquiſſimum eſſe, ut lampades coram hoc ſacramento arderent impendio ſanguinis Chriſtianorum, ſanguis tamen Epiſcoporum primus adhibendus eſſet. Mandavit ſuis Miſſionarijs, ut ubique Confraternitatem *SS.* Sacramenti erigerent, vel ſtabilirent, effecítque demum, ut in omnibus Parœcijs inſtitueretur, & ipſe, quandocunque poterat, proceſſionibus menſtruis interfuit, & Vener. Sacramentum circumtulit. Verbis & exemplis Fideles ubique cohortabatur, ut ſanctiſſimum Sacramentum ad ægros deportatum cum debita reverentia comitaretur, quæ devotio Cadurci adeò dein crevit, ut aliquoties ultra duo millia perſonarum ejusmodi comitantium fuerint numerata. Vita. l. 3. c. 22.

Petrus Forerius ſuis Canonicis & Monialibus conceptis verbis commendabat, ut, quidquid ad amorem & cultum hujus *SS.* Sacramenti pertinet, ſingulariter commendatum haberent, non auro, non argento parcentes, nec alijs bonis aut laboribus. Si ſacram pyxidem tangebat, tam reverenter id egit, ut exterior homo manifeſtè mutari, & facies collectioni prorſus extraordinariâ viâ videretur alligata.

Jaco-

Jacobus Merlohorſtius, ut die Jovis ſolemne ſacrum decantaretur, oblato de ſuis bonis ſtipendio, procurabat. Dici autem non poteſt, inquit Author vitæ c. 12. quo arſerit deſiderio cultum hujus auguſtiſſimi Sacramenti in ſe & alijs promovendi; in eum finem ſæpe ad Sodales hujus Congregationis verba faciebat, eíſque aphoriſmos, quibus omnia collegit, quæ ad diviniſſimum Sacramentum piè ſumendum & alijs miniſtrandum deſiderari poſſunt, dedicavit; unde meruit tandem die Jovis ſanctiſſimè vitam finire.

P. Thomas Sanchez è Societate JESU SS Evchariſtiam quinquies de die viſitavit, die Jovis verò (quem ſingulariter ob hunc finem obſervabat) octies, quo die etiam flagellis corpus, & cilicio caſtigavit, & ferè ſemper de illo cogitavit. Annuæ Soc. 1610.

P. Antonius Cordubenſis, ſive domi, ſive in templo verba faciebat, ante SS. Sacramentum in genua abjectus perſeverabat, & ob illa oracula accipiebat, ac veluti ad fornacem incendebat, quæ ad populum diceret. Hiſt. Soc. p. 3. l. 3. n. 178.

P. Ludovicus de Ponte noctes ſæpe integras coram divina Evchariſtia inſomnes traduxit, támque frequenter quæcunque foret anni tempeſtas, etiam tenebras viſitavit, ut ſine illa eſſe non poſſe videretur, ipſique Domeſtici mirarentur, hominem, qui ob languorem virium vix ſpiritum trahebat, ad SS. Evchariſtiam adorandam tam agilem & alacrem eſſe. Si ex cubiculo prodire non poterat, coram imagine ſaltem SS. Sacramenti procumbebat. Vita l. 2. c. 9.

IV. Tertia occaſio eſt in ſpeciali devotione erga SS. Chriſti Paſſionem & vulnera oſtendenda, quæ quidem ob tres præcipuè cauſas Sacerdotibus ſpecialiter convenit. Prima eſt, quòd hæc paſſio & vulnera Chriſti plurimùm conducant ad zelum animarum excitandum; ſi enim Elephanti conſpecto ſanguine ad pugnam accenduntur, quantò magis ſanguis Chriſti, menti obverſans zelum & indignationem adverſus peccata & Sathanam excitabit. Secunda eſt, quia eadem paſſio eſt mediũ efficaciſſimum ad animas lucrandas, cùm, teſte Bloſio c. 2. Monil. ſpir. S. Gertrudis divinitus didicerit, quoties quis in Chriſti Crucifixi imaginem animo piè commoto oculos intendit, toties divinæ pietatis oraculum

ci advertit. S. Edmundus verò adjurans Diabolum, & indicare cogens, quibus potiſſimùm armis ejus vires infringerentur, publicè confeſſus fuerit, id per memoriam & cultum SS. Paſſionis & ſtigmatum fieri, ut Surius in vita teſtatur. Tertia eſt, quòd ea ipſa Paſſio perquam ſalutare ſit remedium ad omnes labores & difficultates, quæ in cura animarum paſſim occurrunt, leviores reddendos, fortitérque exantlandos, *nihil enim adeò grave eſt, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti Paſſio ad memoriam revocetur*, ut S. Gregorius in Epiſt ait. Porro hæc devotio & cultus in tribus præcipuè actibus conſiſtit, nempe in aſſidua meditatione ſeu memoria, in cordiali & firma fiducia, & amoroſa compaſſione; nam, uti Thomas de Kemp. l. 2. c. 17. rectè advertit, *nemo ita cordialiter ſentit poſſeſſionem Chriſti, ſicut is, cui contigerit ſimilia pati.* Unde is in opuſc. de Ven. Sacram. quatuor in Chriſti paſſione cogitanda eſſe monet, ſcilicet dilectionem ejus redamnando, amaritudinem illius compatiendo, fortitudinem ejus adverſa patienter ſuſtinendo, & utilitatem ejus gratias agendo, quæ quidem, quomodo à Sacerdotibus obſervata ſint, ſequentia exempla docebunt.

S. Paulus tam aſſiduus erat in meditanda, & prædicanda Chriſti Paſſione, ut dicere auſus ſit, ſe nihil ſcire, niſi JESUM Chriſtum, & hunc Crucifixum. 1. Cor. 2.

S. Auguſtinus de ſeipſo in l. de contempl. c. 21. fatetur: Quidquid mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini mei, quoniam miſericordia affluunt. Cùm me pulſat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti. In omnibus adverſitatibus non invenio tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti, in illis dormio, & requieſco intrepidus.

S. Bernardus in ſ. ſup. Cant. de ſeipſo dicebat: *Ego ab ineunte mea converſatione pro acervo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, faſciculum hunc colligare curavi collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primum ſcilicet infantilium neceſſitatum: Deinde laborum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in diſcurrendo: vigiliarum in orando: tentationum in jejunando: lacrymarum in compatiendo: inſidiarum in colloquendo: poſtremò periculorum in falſis Fratribus, convitiorum, ſput-*

ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, harúmque ſimilium.

S. Franciſcus Xaverius in Chriſti vitæ, mortíſque meditatione maximè acquieſcebat, ſatis gnarus, ibi eximia omnis exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, atque imitari licere; hoc meditationis genus præcipuè ſalubrè ac frugiferum, præcipuum utique exemplar Chriſtianæ vitæ, & ingens incitamentum divinæ caritatis impensè & complectabitur ipſe, & alijs commendabat. Vita l. 4. c. 7.

P. Balthaſar Alvarez aſſiduò hortabatur ſuos ad meditandam Chriſti paſſionem, tanquam ſpiritualis ejus profectûs fontem; & in ordinarijs ſuis exhortationibus frequenter hoc repetebat: Nec exiſtimemus, nos aliquid feciſſe, donec eò perveniamus, ut ſemper Chriſtum crucifixum in pectore habeamus. Semper Chriſti crucifixi imaginem in cubiculo habebat, in quem frequenter aſpiciebat. Præcipuo tamen ſtudio in Chriſto crucifixo tres ejus Comites, ſcilicet paupertatem, contemptum, & dolores conſiderabat, & in ſe transferre ſtudebat. Vita c. 3 §. 2.

P. Vincentius Caraffa pro primaria voluptate habebat contemplationem cruciatuum, & mortis Chriſti, nempe in quibus omnes amoris mutui illecebræ convenirent, Perſona Theandrica, caritas incomparabilis, tum Patris æterni Natum ſuum nobis donantis, tum Filij ſanguinem & vitam noſtræ ſalutis causâ prodigentis inter ingentia tormenta, denique norma, quam diſcere avebat, amare nimirum patiendo, cujus memoria ne mente unquam excideret, diu nudo ſuper pectore geſtavit paupertinum ſignum Redemptoris è Cruce pendentis habitu, at ſine cruce, ſive quòd ipſe cordi ſuo tanquam cruci clavis amoris illum affigi deſideraret; ſive quòd moleſtiam & crucem majorem ferre. Atque hinc fluebat ſingulare illius in doloribus, plagíſque gaudium: hinc perpetua deſideria vulnerum, adeò ut à capite uſque ad pedes non niſi vulnus eſſe percuperet; ſic enim generoſiſſimus amator diſſerebat, non eſſe germanum Chriſti patientis amorem, qui imitationis illius avidus non eſſet, nec ſine probro vitam nobis placidè fluere, & ne levi quidem cruciatu libatam, quando Chriſtus ob oculos noſtros verſatur in

cruce, plagis olim confectus & cruciatibus, ut nos à morte æterna aſſereret. Vita l. 2. c. 17.

Jacobus Merlohorſtius, in ſupremo morbo, cùm abeſſent, qui ſolarentur, icones Paſſionis Dominicæ libenter contemplabatur, quibus interiorem ſpondæ partem veſtiebat. Quòd ſi quis adſtantium augere dolores magnitudinem incipiebat, ei placidè reſpondebat, longè mitiùs, quàm meteatur ipſe, DEUM ſecum agere; hócque ſe beneficii loco numerare, quòd guttulam ſibi delibandam amari Calicis propinaret, quem ipſe felle & abſynthio plenum eſſet bibiturus. Vit. c. 36.

P. Petrus Colnagus è Societate Jesu ſextâ quâque Feriâ in lignea cruce procumbens brevem capiebat ſomnum, contrà Crucifixi imaginem in lectulo floribus ornato collocabat. Eâdem die & quoties concionanti de Paſſione ſermo fuit, acerbiſſimum in latere cruciatum, & letiferos in corde dolores perſentiebat, haud ſecus ac ſi lanceà vulneratus immane vulnus accepiſſet, creſcebátque dolor pro magnitudine fervoris. Quod tormentum ipſe velut inſigne DEI munus impetravit, dum ad quendam Religioſum ex D. Benedicti Familia in ſilva habitantem, qui Chriſti patientis in corde dolores immenſos experiebatur, acceſſit, &, ut eam ſibi à Chriſto lanienam pariter obtineret, rogavit, Vita l. 2 c. 4.

Exempla Religionis erga B. Virginem.

I. Ut in hac etiam Religione præcellere alios ſtudeat Sacerdos, non paucæ ſanè, nec leves ei rationes offeruntur. Inprimis quidem quia, cùm B. Virgo poſt Chriſtum ſit potiſſima cauſa & cooperatrix noſtræ Redemptionis, meritò creditur, eam nihil magis deſiderare, quàm ut opus hoc pretioſiſſimum ſuo effectu & fine non fruſtretur, atque adeò præ alijs diligere eos, qui ſuo conatu & labore efficere conantur, ut animæ talis fructus fiant participes, id quod Sacerdotes animarum curam gerentes potiſſimùm faciunt. Deinde verò cùm præ reliquis arduum ſit opus cooperari DEO in ſalute animarum, atque adeò magna ad id fructuosè, ritéque obeundum gratia requiratur meritò hujus Sanctiſſimæ Virginis favor & interceſſio ambitur, utpote quæ eſt myſtici

ſtici corporis collum, per quod omnes gratiæ à Capite Chriſto in reliqua Eccleſiæ membra derivari debent, ut adeò meritò S. Bernardus in ſ. de aquæductu ex hoc ipſo capite ad cultum illius ferventem hortetur, dicens; *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.* Quia verò hoc ipſo, quòd Sacerdotes præ aliis Dœmonis animas perdere volentis conatibus ſe opponant, & in cultu Mariano ferventes ſe oſtendant, etiam Dœmon fortiùs eos oppugnaturus eſt (uti S. Joannes in Apocalypſi c. 12. prævidit, dicens: *Et poſtquam vidit Draco quòd dejectus eſſet in terram, iratus eſt in mulierem, & abiit facere prœlium cum reliquis de ſemine ejus*) facilè apparet, quòd novum iterum titulum, causámque habeant ſub hujus potentiſſimæ Patronæ præſidium confugiendi, utpote quam præ omnibus Sanctis timet memoratus Dœmon, uti S. Bernardus iterum in quod ſerm. apertè indicavit, dicens: *Non ſic timent hoſtes viſibiles quaſi caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aerea poteſtates MARIÆ vocabulum, patrocinium, exemplum. Fluunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt hujus nominis recordationem, devotam invocationem, ſollicitam imitationem.* Unde juſtè ſibi Sacerdotes applicare deberent præclaram Claudij Aquavivæ Societatis JESU Generalis adhortationem, quâ ſuos ad Cultum Marianum ſequentibus verbis eſt adhortatus: *Altera res, quâ ſi minima noſtra Societas uti* (& Congregatio Sacerdotum) *nitatur, fore confido, ut (quæ DEI eſt beneficentia) etiam atque etiam in dies effloreſcat, eſt præcipua quædam Religio ac pietas erga Sanctiſſimam Virginem MARIAM. Ea namque cùm Parens fuerit ejus, qui omne cælum, omnémque naturam molitus eſt, verè ac propriè, ut ait Damaſcenus, in res univerſas Hera ac Regina nomen & jus adepta eſt. Itaque velim in omnibus rebus ac temporibus, ſive publicis Societatis, ſive propriis Singulorum, præſtanti quâdam veneratione, ac ſingulari fiducia, quæ nullam vereatur repulſam, ad hoc laborum omnium ac ſollicitudinum refugium ſupplices accurramus. Equidem dum mecum reputo, quanto devotionis affectu hanc cæli Reginam complexi ſint, quantúmque ex ejus pio & aſſiduo cultu*

tu ad omnem profecerint ſanctimoniam multi Sancti Viri ; ac privatim S.. Ignatius ; quantam rerum noſtrarum ſpem ac tutelam in hac velut arce collocârint , magno teneor ſtudio , ut & nos eam propenſiſſimis animis atque obſequiis proſequamur ; depoſcentes , ut ipsâmet deprecante hac pietas velut ſuaviſſima nardus noſtris mentibus innaſcatur. Certè ſive ſpectamus Deiparæ Virginis dignitatem ; authore DEO , in tam illuſtri , excelsóque loco ſitam , ut per ſeipſam & Religionem, & admirationem moveat ; ſive beneficiorum illius in nos magnitudinem , quibus gratiam , quam poſſumus , referre fas eſt ; ſive inopiam ac mendicitatem noſtram , quam oportet tam ſalutari patrocinio ſuſtentemus , potiora ſemper ſperantes in poſterum , hæc , inquam , omnia ſi ſpectemus , ea ſanè , quàm maximas à nobis & honoris , & amoris ſignificationes erga cæleſtem hanc Præſidem & cuſtodem noſtræ ſalutis expoſcunt. Quatuor proin vel quinque actibus hæc Religio erga SS. Virginem demonſtranda eſt.

II. Primus actus eſt , ut magnam de illius dignitate & poteſtate æſtimationem concipiat Sacerdos , quò major enim hæc æſtimatio fuerit , eò major quoque exurget amor ac fiducia ad illam. Hæc porro æſtimatio in duobus præcipuè objectis concipienda eſt , nempe ut eam in gratia & meritis omnes ſanctos longiſſimè ſuperare credamus , ſic enim clarè S. Hieronymus in ſ. de Aſſumpt. indicavit , dicens : *Cæteris Virginibus per partes præſtatur gratia , MARIÆ verò ſe totam infudit gratiæ plenitudo , quæ fuit in Chriſto , quanquam aliter & aliter , quia in Chriſto fuit plenitudo gratiæ tanquam in homine perſonaliter definito , in MARIA verò ut in templo ſingulariter conſecrato ; in Chriſto ſicut in capite influente , in MARIA verò ſicut in collo transfundente. Unde ſi diligenter attendas , nihil eſt virtutis , nihil ſplendoris , nihil gratiæ & candoris , quod non reſplendeat in Virgine glorioſa.* Dein verò eadem æſtimatio exigit , ut firmiſſimè credat Sacerdos , hanc potentiſſimam Patronam & poſſe , & velle juvare , uti præclarè advertit S. Bernardus , dicens : *Nihil enim ſic poteſt poteſtatis ejus , vel pietatis commendare magnitudinem , niſi fortè aut non creditur DEI Filius honorare Matrem , aut dubitare quis poſſit in affectum caritatis transiſſe MARIÆ viſcera , in quibus novem menſibus*

ipſa, quæ ex DEO eſt, caritas corporaliter requievit. Cuj geminæ æſtimationis præclara exempla varij Sacerdotes no bis reliquerunt.

S. Hieronymus tantam de dignitate hujus Virginis æſti mationem concepit, ut in ſ. de Aſſumpt. in hæc verba erup rit: *Quid nos tantilli; quid actione puſilli, quid in ejus la dibus rreferamus, cui etiamſi omnium noſtrûm membra ver rentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus; altior eni cælo eſt, de qua loquitur: abyſſo profundior, cui laudes dice conamur. Si cælum te vocem, altior es: ſi Matrem Gentium præcedis: ſi formam DEI appellem, digna exiſtis: ſi Dominal Angelorum, prima eſſe probaris. Quid ergo de te dign dicam?*

S. Bonaventura in Speculo B. V. ut ſuam de hac Ss Vi gine opinionem aperiret, *Ipſa eſt*, inquit, *quâ majorem fac re DEus non poteſt; majorem facere mundum poſſet DEus majorem Matrem, quàm Matrem DEI facere non poſſ DEus.*

S. Anſelmus in ſerm de Concept. V. *Nihil* inquit, *tibi Domina, æquale eſt, nihil comparabile; omne enim, quod eſ aut ſupra te eſt, aut infra te; quod ſupra te eſt, ſolus DEus eſt; quod inſra te eſt, omne, quod DEus non eſt.*

Laudandus hoc in genere præ alijs eſt P. Franciſcus Sua rez inſignis Societatis JEſu Theologus, qui in publica Aca demia fusè probavit, B. Virginem in dignitate ac merit ſuperare omnes Sanctos Homines & Angelos, qui ſunt, erun vel fuerunt. Et verò etiam quàm grata fuerit ſanctiſſim Matri hæc oratio, ipſamet oſtendit, dum P. Martino Gutti rez itidem Societatis JEſu Religioſo gratias egit, quòd me morato Patri Suarez author fuerit ſuo conſilio & hortatu ut hanc quæſtionem eatenus non auditam eventilaret.

III. Alter Actus eſt, filialis fiducia nullam timens repul ſam; ad quam S. Bernardus ſ de aquæ ductu his verbis horta tur: *Modicum illud, quod offerre deſideras, graviſſimis i lis, & omni acceptione digniſſimis MARIÆ manibus off rendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam.* Imò ut S. Anſelmus c. 6. de excell Virg. loquitur, *Velocior inte dum eſt ſalus memorato nomine Virginis, quàm invocato no mine Filii; non quòd ipſa major & potentior ſit (nec eni*

ipſe magnus & potens eſt per eam, ſed illa per ipſum) *Verùm quia etſi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.* Unde meritò quam plurimi Sacerdotes ingentem erga hanc Auxiliatricem fiduciam conceperunt.

S. Auguſtinus fiduciam hanc ſuam in ſ. 35. de Sanctis per hæc verba declaravit: *Toto mentis affectu beatiſſimæ Virginis nos interceſſionibus committamus omnes, ejus patrocinia omni niſu imploremus, ut, dum eam obſequio frequentamus in terris, ipſa nos ſedula prece commendare dignetur in cœlis; neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe plùs omnibus, liberatis impendere ſuffragium.* Quam proinde cum Filio in cruce fixo ardentibus ſæpe precibus compellans, tantâ mentis implebatur dulcedine, vix ut avelli ab alterutro poſſet, ideóque in hæc interdum verba erumperet: *Poſitus in medio, quo me vertam, neſcio: hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab ubere.* Vit. l. 3. c. 32.

S. Bernardus in ſerm. quod, pariter ſuam fiduciam exprimens, *Filioli*, inquit, *hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ.* Unde & alios ad ſimilem fiduciam exhortans, *Si criminum immanitate turbatus, ſi conſcientiæ fæditate confuſus, ſi judicij horrore perterritus, ſi barathro deſperationis abſorptus es, MARIAM cogita, MARIAM invoca, non recedat à corde, non recdat ab ore.* Et ne dubitaret quis de exauditione precum, alibi ſic loquitur: *Ille ſolus, O Virgo beata, ſileat laudes tuas, qui te fideliter invocatam ſenſerit unquam in ſuis neceſſitatibus ſibi defuiſſe. Et quid mirum, ſi invocata adeſt, quæ etiam non vocata præſto eſt?*

S. Franciſcus Xaverius quàm magnam haberet fiduciam ad hanc Patronam, triplici in occaſione oſtendit. 1. Quando Meliaporæ inter verbera Dæmonum aſſiduò clamavit: *Domina, opitulare, Domina non opitulaberis?* 2. Quando in hora mortis illud aſſiduò ingeminavit: *O Mater DEI, memento mei.* 3. Quando in Catecheſi tradenda B. V. opem potiſſimum implorare conſuevit. Bourgheſius c. 6.

Alanus de Solminihac Epiſcopus B. Virginis hujus tutelæ ſe totum commiſit, omnéſque ad id faciendum inſtiga-

vit, aſſerens, hanc devotionem eſſe plenam conſolatione, viámque cuivis ſalutem ſuam conſequendi ſecuriſſimam. Si quâ neceſſitate premebatur, ad eam tanquam ad Aſylum quoddam ſecuriſſimum confugiebat, quia, ajebat, poteſtas ejus eſt incredibilis, nec minor eſt ejus nobis ſuccurrendi voluntas. Vit. l. 3. c. 20. Ubi etiam additur, quòd, cùm Religioſum quendam ad pœnitentiam ob delicta agendam incluſum, in rabiem propè verſum comperiſſet, miſeratione commotus, ad eum properè ſe contulerit, & in genua ſe demittens, brachiáque expandens dixerit: Mi Frater, confugiamus ad pijſſimam Matrem noſtram, dicamus unum Salve Regina brachijs expanſis, quod cùm alter licet difficulter feciſſet, adeò immutatus eſt, ut in terram corruens, & uberrimè lacrymans dixit: Sufficit, Pater, ſufficit, totâ vitâ meâ in pœnitentia perſeverabo.

P. Franciſcus Suarez in ſuis neceſſitatibus & dubijs ſemper ad B. Virginem recurrebat, eíque nodos difficiliores velut conſultandos & explicandos, facta prece, proponebat. Bourgh. c. 20.

P. Thomas Sanchez inter cætera ſua notata pia ſcribebat: Omnis mea cura & ſollicitudo erit SS. Sacramentum, JESUS Crucifixus, & Virgo MARIA, ad quam Matrem in omnibus neceſſitatibus, difficultatibus, ſtudiíſque recurram, per eam DEO gratias agam pro quovis opere facto, in oſequio DEI; per eam veniam precabor pro quovis defectu admiſſo; per eam illos DEO commendabo, qui mihi moleſtiam aliquam exhibuerint. Bourgh. c. 20.

P. Alphonſus Vera è Societate JESU, ſi quid cum illis, quorum confeſſiones audiebat, efficere volebat, tantùm B. Virginem rogabat, & mox, quod voluit, confitentibus impetravit. Annuæ Caſtell. 1497.

P. Bernardus Colnagus tenebat Romæ in cubiculo imaginem Deiparæ, antiqui operis lapideam, & ſubfuſcam, hanc ſuam ajebat nigellam, neque ad illam velut unicum cordis ſui aſylum perfugit unquam, quin, quod impetratum volebat, auferret. Sed & frequenter literas ad B. Virginem ſcribebat, eáſque aræ alicui ejuſdem Matris imponebat, & plerumque ab ea reſponſum obtinebat. Vita. l. 2. c. 5.

IV. Te

IV. Tertius actus eſt imitatio SS Deiparæ, nam, quod olim de Sanctis in communi S Auguſtinus dixit. *Tunc veraciter pro nobis Sancti intercedunt, quando aliquid in nobis de ſuis virtutibus recognoſcunt*, hoc etiam B. Virgini jure applicari poteſt; unde S. Bernardus, cùm ad fiduciam erga ipſam concipiendam fuiſſet hortatus, mox addit: *Ut impetres orationis ejus ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum*, id quod non pauci iterum ſacerdotes ſuo exemplo docuerunt.

S. Hieronymus, quanti faceret hanc imitationem, ſequentibus verbis in ſ. de Aſſump. oſtendit. *Igitur dilectiſſimi, amate MARIAM, quam colitis: colite, quam amatis: quia tunc verè colitis, & amatis, ſi imitari velitis ex corde, quam amatis.*

S. Ambroſius ſimili ratione ſuam de hac imitatione æſtimationem aperiens, *Sit nobis*, inquit l. 2. de Virgin. *tanquam in imagine deſcripta Virginitas, vitáque B. MARIÆ, in qua velut in ſpeculo refulget ſpecies Caſtitatis, & forma Virtutis. Hinc ſumatis exempla vivendi, ubi tanquam in Exemplari Magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, oſtendunt*

Petrus Forerius non ignorans ut Author vitæ l. 2. c. 20. fol. 516. ſcribit, ſimilitudinem eſſe potentiſſimum illicium ad amorem ſui procurandum, omni ſtudio efficere conabatur, ut, quam ipſe in imitanda Deipara rationem tenuiſſet, etiam commiſſis curæ ſuæ Monialibus perſuaderet, hinc ſic eas aliquando alloquebatur: Hiſtoriæ nobis referunt, glorioſam Virginem ad miraculum uſque pulchram fuiſſe, conniti oportet, ut tales, qualis illa fuit, vos quoque ſitis, non quidem ut tranſitoriam venuſtatem, quæ mundo ingens detrimentum affert, poſſideatis, ſed in animæ pulchritudine ſimiles illi evadatis. Quærenti verò, in quo conſiſtat hæc pulchritudo? reſpondebit S. Auguſtinus, eam in amore JESU conſiſtere, hanc grandium animarum eſſe pulchritudinem, amare JESUM, DEUM Hominem, de eo libenter verba facere, nunquam defatigari in auſcultandis ijs, qui de eo loquuntur: amare, quod ipſe amat: & odiſſe, quod odit. Nunquam vos magis Mater diliget, quàm ſi multum ejus Filium diligatis.

V Quartus actus eſt purus & conſtans cultus per obſequia varia in honorem hujus ſanctiſſimæ Virginis peracta; *amor enim otioſus non eſt*, teſte S. Gregorio, *ſed operatur magna* (in honorem ſcilicet, & beneplacitum amati) *ſi eſt: aut ſi operari renuit, amor non eſt.* Hinc tam præclara nobis à Sacerdotibus Deiparam ſincerè amantibus exempla ſunt relicta.

S. Gerardus Epiſcopus, ſi quis reus ab ipſo veniam petebat per nomen Matris Chriſti, mox lacrymis perfundebatur, & eundem in gratiam humaniſſimè recipiebat. Surius 24. Sept.

Alexander Alenſis Doctor inſignis Ordinis Seraphici, cùm voviſſet, ſe nihil, quod amore Virginis peteretur, negaturum, rogatus à quodam Fratre, ut Ordinem FF. Minorum ingrederetur, mox ingreſſus eſt, & ibidem ſanctiſſimè vixit. S. Antoninus p. 3. hiſt. tit. 24. c. 8. §. 1.

Alanus de Solminihac quotidie Coronam hujus ſanctiſſimæ Virginis devotè recitabat: Sabbatis omnibus ad ejus honorem Miſſam dicebat: parvum illius Officium legere nunquam intermittebat: ſingulis diebus veſperi Familiam ad dicendas Litanias convocabat: eam nunquam aliter, quàm piam Matrem appellabat: Hoſpitale pauperum infirmomorum ſub ejusdem nomine & patrocinio fundabat. Vita l. 5. 10.

P. Petrus de Anaſco è Societate JESU ſingulis Sabbatis ad honorem ſanctiſſimæ Virginis jejunavit, fasſúsque eſt, ſe, quoties id fecit, præcipuum aliquod beneficium impetrâſſe. Bourgh. c. 10.

P. Sebaſtianus Barradius è Societate JESU, non patiebatur ullam ejus imaginem eſſe neglectam, aut loco minùs honeſto aſſervari; unde ſi fragmenta in ambulacro inveniſſet, reverenter ſublata in Breviario ſuo ponebat. Vita operi præfixa.

P. Balthaſar Alvarez, cùm aliquando in oratione exiſteret, Dœmon ei apertè dixit: Remitte tu, & ego remittam (à tentationibus ſcilicet, quibus ipſum vexaverat) præcipuè ut iſtam devotionem dimittas, quem habes in Mulierem, quæ MARIA appellatur. Vita c. 26.

P. Deſiderius Colinus, cùm in phreneſi conſtituto aliquid valde moleſtum imperatum fuiſſet, poſtquam, ut amore Virginis id faceret, rogabatur, mox paruit dicens: Abſit: abſit, ut ego Matris meæ cauſa nolim obtemperare. Annuæ Soc. 1609. fol. 615.

VI. Quintus actus eſt Mariani honoris & devotionis procuratio, tum in Concionibus & Catechiſmis, tum in privatis congreſſibus & alloquijs alios ad hanc devotionem incitando; cùm enim Sacerdotes, teſte Chriſto, ſint lux mundi, meritò lux eorum & adhortatio ſic lucere debet, ut Auditores glorificent non Patrem duntaxat, ſed Matrem etiam, quæ in cælis eſt, ſic enim ſperare poterunt, in ſe verificatum iri, quod Eccl. 24. dicitur: *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt.* Quo in genere non deſunt iterum variorum Sacerdotum inſignia exempla.

S. Vincentius Ordinis Prædicatorum tanto amore & devotitione ferebatur in hanc Virginem, ut nunquam concionaretur, quin aliquid in ejus laudem diceret. Ferd. Caſtigl. in vita.

S. Franciſcus Borgias, ut ejusdem Virginis honorem dilataret, imaginis à S. Luca depictæ quàmplurima exempla à præſtanti Pictore depingi curavit, & per varias Provincias diſtribui juſſit. Bourgh. c. 23

P. Jacobus Laynez ſecundus Societatis Jesu Generalis, etiamſi quartanâ febri laboraret, tribus tamen horis in Concilio Tridentino pro aſſerenda Virginis immaculata Conceptione peroravit. Bourgh. c. 8.

2. Alphonſus Salmeron unus ex primis decem Socijs S. Ignatio adjunctis, ſingulis Quadrageſimæ Sabbatis de laudibus & cultu ſanctiſſimæ Virginis concionabatur, magnâ cum admiratione Populi, & honoris Mariani incremento. Ribad. in vita.

P. Franciſcus Coſterus è Societate Jesu ad honorem Deiparæ promovendum primus in Provinciis, quibus præfuit, Sodalitates inſtituit, iiſque Leges condidit. Bibl. Soc. in c. 19. Ind. §. 9.

P. Benedictus Ferdinandus itidem è Societate Jesu omnia ſua Scripta B. Virginis honori dedicavit, nec ullam præterivit lectionem, quam ejus encomijs non ornârit. Ibid.

P. Franciſcus Turrianus Feſtum Præſentationis à Pio V. expunctum, eruditiſſimis ſuis ſcriptis reſtitui curavit, unde, ut gratum ſibi fuiſſe hoc obſequium oſtenderet, eidem impetravit, ut eodem die vitam ſuam feliciter finiret. Ibid.

Exempla Religionis erga Sanctos.

I. Ad hanc Religionem erga Sanctos Sacerdotibus ingenerandam non parum conducet diſcurſus à P. Petro Fabro ſuper hac materia factus, qui, ut, l. 2 vit c 6. legitur, monebat pietatis eſſe Chriſtianæ; quoſdam ſibi è Sanctorum choro deligere, quos præ cæteris venereris, & colas, & quò in tuis votis, optatíſque confugias; nec enim Majeſtatis eſſe divinæ, quamquam poſſit, omnia, quæ petimus, æquè per ſe, ac per Beatum quemlibet largiri. Quocirca in rogandis, appellandíſque Cæleſtibus, & eorum Natalibus celebrandis habendam eſſe cujusque rationem, & ad cujusque merita & dona divina, quibus & hîc à DEO auctus, nobilitatúſque eſt, & illic DEO potitur ac fruitur, petitionem noſtram eſſe accommodandam; nec enim hunc à Sanctis DEUM tollere, ut ſuum quisque Creatorem cum univerſis Hominibus communicatum velit; quippe alios alium, dum hanc vitam viverent tenuiſſe curſum: alios alijs decoratos fuiſſe muneribus, & velle ea maximè vigere, per quæ ipſi DEUM & ſalutem invenerit. Nec ſine DEI cecidiſſe conſilio, ut non iiſdem omnes benefactis ac rebus geſtis, nec eâdem virtute, & ſanctitatis gloria florerent, quamvis nec ipſi exigant, ut, quo hîc ipſi DEUM honoris cultu, laudíſque coluerint, eodem is à nobis ſine varietate colatur Quinam autem ex toto Sanctorum numero à Sacerdotibus colendi ſint, relinquendum proprio potiùs cujusque arbitrio videtur, quàm certa aſſignatione definiendum, cùm varias in diverſis ad Sanctos inclinationes advertamus, & alios quidem ad S. Carolum Borromæum, vel S. Franciſcum Saleſium, aut S. Philippum Nerium, ut qui in id toti incubuerunt, ut ſpiritum Paſtoralem penè emortuum, verbis exemplis, conſtitutionibus, & precibus reſuſcitarent, alios ad Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum, alios ad alios Sanctos Sacerdotes magis inclinari experiamur. Satis ergo erit varia exempla attuliſſe, quibus

quibus demonſtretur, quanto ſtudio Sacerdotes quidam Patronos à ſe electos venerati ſint.

S. Auguſtinus præcipuo in honore ſemper S. Stephanum habuit, in cujus honorem templum exſtruxit, ejúsque Corporis reliquiis illud exornavit, eò quòd plurima tribuerentur beneficia illum invocantibus, ut in vita illius [illegible] c. 31 refertur.

S. Silvanus Archiepiſcopus in Nazareth, S. Hieronymo tam devotus erat, ut, quidquid faceret, DEI nomen, & S. Hieronymi præmiſſum invocaret. Spec. Exempl. V. diffamare, ex. 7. ubi etiam, quàm potenter ab hoc *Sancto* defenſus ſit, narratur.

S. Ignatius Lojola peculiari ſemper affectu & honore *S.* Petrum Apoſtolum proſequebatur; hinc ab eodem apparente morbi depulſi, ſimúlque converſionis Religioſæ beneficium accepit. *S*ed & alios *S*anctos ſtudioſè venerari, & invocare conſueverat; hinc non ſemel illi eidem apparuerunt, maximè quando Conſtitutiones ſcribebat, quo tempore ſic eos aſpexit, ut ipſe modum, quo eos viderat, explicare ſe poſſe negaret. Gloria *S.* Ign. c. 4

S. Franciſcus Borgias, ut Divorum cultum excitaret, augerétque, Romæ in æs inciſas, & affabrè ſculptas imagines in omnes Provincias miſit. Ipſe verò *S*anctorum reliquias & imagines religiosè venerabatur, ſplendidéque ornari curaverat, aſſerens, nuſquam gemmas, aurum, argentúmque digniùs impendi, quàm in Authoris DEI, Divorúmque cultum. Vita l. 4. c. 4.

S. Carolus Borromæus maximè æſtimabat venerationem ſacrarum Reliquiarum, quarum varias translationes ſolemniſſimè celebravit, elevando eas ex locis indecentibus ad monumenta magis conſpicua & novis modis, ritibúsque ſimiles celebritates exornando, quo in fidelibus Populis magnus reverentiæ affectus erga tam pretioſa pignora accenderetur. Atque hâc ratione revixit in animis Populi memoria diverſorum *S*anctorum, qui antè in profundæ oblivionis tenebris ſepulti jacuerant. Compend. vit. c 19.

Alanus de *S*oiminihac Epiſcopus ſacra Divorum Lipſana velut theſaurum præſtantiſſimum ſingulari ſtudio venerabatur, nec ad ea accedebat propiùs, quàm ſumma cum reve-

rentia. Primùm ſuam Diœceſim luſtrans, omnes in ea reliquias viſitavit, &, ſi de earum veritate certus eſſet, jubebat, ut cum decentia & veneratione ſuper menſas bellè ornatas cultui Fidelium proponerentur, nec ab alio, quàm Sacerdote ſuperpelliceum induto in locis commodis cuſtodiendæ reponerentur. Epiſcopis inter Sanctos relatis mire devotus erat, imitationi virtutum eorundem Epiſcopalium intentus, qui cultus, ut non nemo è Patribus ait, eſt præſtantiſſimus, ſuper omnes autem maximam gerebat devotionem erga S. Carolum Borromæum, veriſſimum Paſtorum ſpeculum, cujus vitam fideliſſimè in ſe exprimere, ſuáſque ad actionum illius normam exigere ſtuduit Vita l. 3. c. 20.

P. Petrus Faber in adeundis Oppidis vel Urbibus Angelos, Sanctóſque Tutelares eorundem familiari quâdam obſervantia, & fiducia alloquebatur, ſuáſque cum ijs cauſas, & civium agebat, eò quòd interiore quodam, cóque perilluſtri admonitu ſenſerit, cæleſtium omnium tanti eſſe ſuffragia, ut vel unius præſidium plùs efficacitatis habeat ad corrigendos hominum mores, quàm cunctorum edicta Regum, induſtriíque conatus. Vita l. 2. c. 5. & 6.

Petrus Forerius Canonicus Regularis & Parochus Cælites tanquam ſummi Monarchæ Aulicos aſpiciebat, & venerabatur: ad hos tanquam aſylum ſecuriſſimum confugiebat: eos veluti ſui Domini ſervos diligebat: reverebatur tanquam Judices: colebat ut totidem Dominos támq; frequenter amoris adactus ſtimulis ad eoſdem inviſebat, ut abſque hyperbole dici queat, ejus converſionem crebriùs cum Beatis, quàm cum mortalibus in terra fuiſſe: quam familiaritatem ut alijs etiam perſuaderet, dicere ſolebat, mortalium utendo familiaritate timendum eſſe, ne eorum vitia per oculos ad animum penetrent, & induantur, at in converſatione cum Beatis omnem hunc timorem exulare, cùm omnia in eis imitanda ſint, utpote ſancta & perfecta. Peculiari tamen ſtudio ac devotione venerabatur Divos Baſilium, Joannem Chryſoſtomum, Nicolaum, Bernardum, Epurium Parœciæ ſuæ Patronum, Norbertum, & Ignatium Lojolam, quibus tam fidenter ſe, ſuáque negotia communicabat, ut ea fidentia verè in familiaritatem tranſiverit. Divus tamen Auguſtinus ei erat electus ex millibus, ejus magni conſilij Angelus, ejus Oraculum, quod

in omni caſu tam ingenuè conſulebat, quàm infans ad Parentem ſe conferat, ſique verum eſt dicere: Devotio eſt imitari, quem colimus, videbatur nihil ampliùs addi poſſe devotioni, quam in incomparabilem Doctorem gerebat, poſteaquam vix poſſibile eſt majorem inter utrumque ſimilitudinem reperiri, uti fuſius author vitæ l. 2 c. 20. oſtendit.

P. Bernardus Colnagus è Societate JESU Cuſtodem ſuum Angelum frequenter adſpectabili forma præſentem habuit, atque ad illius Angelicam oris, corporiſque ſiderei compoſitionem ſuos ipſe greſſus, motum, vultúſque habitum ex modeſtiæ legibus conformare didicit: hunc in rebus arduis conſulere, negotiorum, conſiliorúmque participem facere: ab hoc divini amoris flammas mutuare, conſtitutis horis ad ſurgendum è lecto excitari, ad orandum, dandámque literis operam, legéſque ex amuſſi ſervandas incitari ſolebat: quidquid denique ageret, dicerétve, ad majorem DEI gloriam referre doctus, raro admodum beneficio, quoties vel in leviſſimo levis etiam culpæ periculo verſabatur, non perfunctoriè moneri conſueverat. Inter Cælites verò reliquos præcipuè D. Petrum, D. Thomam Aquin, D. Bernardum, D. Vincentium Ferrerium, D. Ignatium Lojolam, D. Antonium de Padua, D. Franciſcum de Paula, & D. Agatham colebat, & amabat, corúmque non magis amator Religioſus, quam imitator ſtrenuus, virtutes ſibi vitâ, moribúſque exprimendas à primis etiam annis ſumpſerat, nihílque in eorum rogatus gratiam non faciebat, ſuaviſſima cum illis colloquia miſcere ſolitus, & vel in ipſa menſa ijſdem panis fruſtula cruce ſignata dicare. Amicis quoque aut quibuscunque demum alijs, ubi ſe ferebat opportunitas, verbis diſertiſſimis tantorum Cælitum amorem, religionémque copioſè ac graviter ſuadebat. Vit. l. 2. c. 7. §. 7.

P. Petrus Caniſius, quemadmodum qui vulgo ad cujuspiam gratiam tendunt, per ejus propinquos ac neceſſarios facilè aditum ſibi aperiunt, ita ſibi agendum ſtatuebat cum DEO, ſanctáque Deipara, ut cum illarum parentibus: deinde cum Sanctis, apud quos præcipua ſingularum earum tutela eſſet, tanquam cum Fratribus & Sororibus: denique cum Angelis cujúsque Cuſtodibus, velut cum Pœdagogis ac Magiſtris. Multum autem in Cuſtodibus Hominum exorandis

Ange-

Angelis reponebat, quod multifariam ij præparare, quibuſcum agendum eſt, animos, vímque inimicorum & oppugnationes arcere poſſint ac vincere; unde ubi primùm ad oppidum aliquod aut Regnum perveniebat, mox Præſides eorum locorum Archangelos & clariores apud eas Gentes venerabatur Sanctos, & invocabat, ut & Incolis, & ſibi adeſſe boni propitiíque vellent, dum inibi legatione pro DEO fungeretur. Ex quo inſtituto facilè conſequebatur, ut aſſiduè inter ſuperos magis, quàm inter mortales habitaret, intérq; agendas res non modò ſuavitas, & quidam quaſi floridus pietatis ſuccus non elangueſceret, ſed etiam vireret pulchrius, & effloreſceret pabulo ex ipſa actione petito, quæ eſt perfectiſſima beatarum mentium, quæ ſimul in miniſterium humanæ ſalutis miſſæ ſemper vident faciem patris, quoad humana tarditas patitur, imitatio. Vita. l. 3. fol. 346.

P. Coſmas Alamannius ſupputato Sanctorum numero, quotquot invenire poterat, ſemel ſaltem ad cujusque honorem Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabat. Bibliotheca ſcript. Soc.

Exempla Obedientiæ.

I. Quantopere hæc virtus, quæ nihil aliud eſt, quàm habitus inclinans ad omnia ſuperiorum juſſa celeriter & hilariter exequenda, neceſſaria ſit Sacerdotibus, clarè patet ex ipſius Chriſti teſtimonio Jo 15. dicentis: *Manete in me, & ego in vobis: ſicut palmes non poteſt fructum ferre à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Quid vero ſit manere in illo, paulò poſt indicavit, dicens: *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* Cùm autem idem Chriſtus Luc. 10. de ſuperioribus dicat: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit:* facilè colligitur, per Obedientiam præcipuè Sacerdotem manere in Chriſto, atque adeò fructum ex ſuis functionibus ſperare non poſſe, niſi perfectam ſuis ſuperioribus obedientiam præſtare didicerit; id quod ſuo damno expertus eſt P. Melchior Nunnius Indiæ

Pro-

Provincialis, qui in Indiam primùm, poſtea ad Sinas Evangelij cauſa profectus, nullum ferè aut exiguum fructum fecit, cujus cauſam Hiſtoria Socitatis Jesu l, 13. n. 134. & l. 16. n. 87. non alium fuiſſe indicat, quàm quòd iter illud non Superiorum nutu, ſed ſuæ pietatis, Sociorum & Proregia impulſu ſuſceperit. Ut adeò meritò quivis Sacerdos applicare ſibi poſſit veriſſimam illam pii Authoris ſententiam in Chriſti Perſona prolatam l. 3. c. 13 *Fili, qui ſe ſubtrahere nititnr ab obedientia. ipſe ſe ſubtrahit à gratia; & qui quærit* (per proprium judicium) *habere privata, amittit communia*, communem ſcilicet benedictionem, & fructum, qui a DEO obedientibus dari conſuevit juxta promiſſionem in primo Pſalmo factam, dum dixit: *Bonus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, ſed in lege Domini voluntas ejus. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur.* Porro tres præcipuè actus ſunt, qui à Sacerdote quoad hanc virtutem requiruntur.

II. Primus eſt, ut Superiores ſuos non ut Homines, ſed ut DEI vicarios ejus Perſonam ſuſtinentes aſpiciat, ideóque omnem illis honorem & reverentiam exhibeat; quemadmodum S. Paulus ad Eph c. 6 monuit, dicens: *Servi, obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes, quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino;* id quod non pauci Sacerdotes egregiè obſervârunt

S. Franciſcus Xaverius S. Ignatium velut Superiorem ſuum adeò venerabatur, ut nomen illius à literis præciſum in reliquiaria theca incluſum collo circumferret, literáſque ad ipſum datas flexis interdum genibus exararet. Sed & Epiſcopos, corúmque Vicarios adeò venerabatur, & tam perfectè iis obediebat, ut nihil ſine eorum authoritate tentare præſumeret. Vita l. 6. c. 8.

S. Franciſcus Borgias non tantùm S. Ignatii juſſa ad unguem expediebat, ſed etiam Fratri Coadjutori Michaëli Marco

co, qui ei Comes à S. Ignatio additus fuerat in iis, quæ valetudinem concernebant, exactiſſimè obediebat. In Ognatenſi ſeceſſu lapides, calcem, & ligna ad ædes conſtruendas portare juſſus tam libenter & expeditè paruit, ac ſi Angeli vocem audiviſſet. Vita l. 4. c. 3.

Alanus de Solminihac quamdiu Abbas fuit, regimini ſui Directoris perfectè ſe ſubjecit, cujus etiam vocem acceptavit velut a DEO miſſam, nihil niſi priùs ab ipſo præceptum agens, quin & ipſam inediam, aliáſque mortificationes præſcribi ſibi curans, nec, quod præſcriptum erat, ullo modo transgrediens. Quamdiu morbis conflictabatur, Medicis obſequentiſſimum ſe præbebat, ſumeas, quidquid præſcripſiſſent. Præterea illi Principis Apoſtolorum monito. 1. Petri c. 2. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter DEUM ſive Regi quaſi præcellenti &c* fideliter obſecutus, obedientiam erga Reges etiam, & Provinciarum Gubernatores exercuit, eorum mandata non minùs promptè arripiens, quàm fideliter exequens. Vit. l. 3. c. 17.

P. Petrus Faber ad nutum obediebat cuicunque ſuperiori, volens ſubditos non conſiderare mala in ſuperioribus, ſed ſola bona, ut ſic eos ex animo poſſent honorare. Imò ſi viderent ſuperiores longè à virtute abeſſe, eò acriùs enitendum eſſe, ut ipſi ſe divini amoris, timoriſque reſpectu in ſtatu ſuo perficerent, diligentiâ, fidelitate, alacritate obſequij, nam ita demum, ubi gratos ſe ipſi DEO effecerint, dignos per obedientiam fore, quibus etiam boni Præſides concederentur. Vita l. 2. c. 27.

Petrus Forerius, ut perfectiùs obedientiam exercere poſſet, etiam pueros, quos inſtruebat, ſuos Dominos, eximios, venerabiles appellabat, dicere ante lectionis initium ſolitus: Jubete Domini, ut me legam: jubete, obſecto, ut me legam.

III. Alter actus eſt, ut Sacerdos cum magna celeritate & integritate exequatur omnia, quæ à Superioribus fuerunt imperata: nam, ut rectè S Bonaventura c. 4. Spec. notavit, *Bonus Obediens Verbum non exſpectat, ubi de voluntate Superioris conſtiterit; illum, inquit, ego optimum Obedientiæ gradum dixerim, cùm eo animo opus recipitur, quo injungitur, adeóque ex voluntate jubentis intentio pendet, exequutio*

quentis : quem gradum Sacerdotes ſat multos aſſecutos fuiſſe, ſequentia exempla demonſtrant.

Chriſtus, ut exemplo ſuo ad obedientiam nos excitaret, humiliavit ſemetipſum, obediens factus uſque ad mortem crucis; unde meritò S. Bernardus hom. 1. ſuper Miſſus, hoc exemplum conſiderans exclamat: Erubeſce ſuperbe cinis: Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præpónis Authori.

Mirabilis quoque jam à principio ortæ Eccleſiæ Apoſtolorum fuit obedientia. Nondum enim Chriſtum miracula facientem conſpexerant, nondum cæleſtis regni retributionem per illum futuram audierant, & tamen ſtatim, ut eos vocavit, relictis omnibus eum ſecuti ſunt.

S. Thomas Aquinas, cùm ſemel Bononiæ in cœnobio ambularet contemplationi intentus, Frater quidam alterius Cœnobij, qui ſanctum virum non noverat, à Priore petijt, ut liceret ipſi cum Fratre, qui primus ei veniſſet obviam, ad quædam expedienda negotia egredi in urbem. Priore annuente, ante omnes incidit in S. Thomam, dixítque ei: Frater Prior juſſit te mecum ire. Mox præeuntem Fratrem Vir ſanctus ſequitur. Sed cùm ille iret feſtinantiùs, non potuit eum aſſequi. Itaque non rarò ab illo arguebatur, ſed Vir ſanctus humiliter ſe excuſabat. Ut autem Cives viderunt tantum virum parvi momenti Fratrem ſequi, exiſtimabant id errore fieri. Accedunt igitur ad illum Fratrem, indicántque, quem virum poſt ſe ducat. Tum ille ad S. Thomam converſus obnixè rogavit, ut veniam daret ſuæ ignorantiæ. Cives autem cum multa reverentia virum DEI compellantes ſciſcitabantur, cur adeò ſe abjicere voluiſſet? at ille, Monaſtica, inquit, Religio ſanctæ obedientiæ ſtudio perficitur, quâ homo homini ſe ſubjicit propter DEUM, quemadmodum Deus ipſe ſe hominibus cauſa ſalutis humanæ ſubmiſit. Haræus 7. Mart.

S. Bernardus, ut ſuam in obedientia præſtanda promptitudinem oſtenderet, etiam poſt mortem, cùm Abbas ei præciperet, ut à miraculis patrandis ceſſaret, ne per concurſum hominum divina officia impedirentur, paruit, nullúmque

ampliùs

amplius miraculum patravit. Lyræus l. 1. apopht. S. Ignat. apoph. 12.

c. Franciſcus Xaverius tam erat Obedientiæ ſtudioſus, ut vix indicata S. Ignatij voluntate, quâ volebat, ut Indiam peteret: mox omnes difficultates & diſcrimina contemnens ad iter ſe parârit, nec minori alacritate ſuſceperit. Sed & ipſe S. Ignatius adeò ejus obedientiæ confidebat, ut literis quibus eum ex India Romam revocabat, ſolam literam I. in calce adſcripſerit; non dubitans, quin ea ſufficeret ad iter illud pari volocitate & alacritate, quâ Indiam ingreſſus fuerat, ſuſcipiendum. Vita l. 1. c. 8.

P. Petrus Faber ad nutum parebat S. Ignatio, licet ſciret ex ſuo ad locum imperatum diſceſſu ſpem fructûs ſuccifum, & valetudinem primùm recuperatam læſum iri; neque enim, ajebat, voto nos obſtringit, ut ſalutem multos arbitratu noſtro vocemus; ſed ut Filii ſimus obedientes. Vit. l. 2. c. 17.

Alanus de Solminihac de ſeipſo fatebatur, ſe ne minimam quidem in obediendo difficultatem ſenſiſſe, neque imaginari ſibi poſſe, quî ſubdito difficilis eſſe queat; quin ſe prius moriturum, quàm id animo aſſecuturus eſſet, tametſi non neſciret, quod plerumque opponitur; nunc verò tanto ejus amore ſe captum, ut etiam Epiſcopalem dignitatem deſereret, ſi ea impedimento foret, quò minùs obtemperare poſſet. Vita l. 3. c. 17.

Petrus Caniſius jam grandis natu ſenex, cujus (ut Baronius ait) laus in Evangelio erat: cujus vel conſpectum ponebant in beneficio plerique Catholicorum, & tanquam ex oraculo edita reſponſa accipiebant, intra ſepta domeſtica velut unus è numero ſuas obibat viliſſimorum officiorum vices, dormire, ſurgere, veſci, omnia demum ad alienum nutum, hoc eſt, legum ac Præſidum facere; intelligebat nempe per eam, quâ plenus erat, Sanctorum ſapientiam, hanc virtutem humilitate junctam, eſſe maximè capacem cæleſtium donorum materiam, familiaritatis DEI conciliatricem, beatæ pacis, tranquillitatiſque parentem atque cuſtodem, rerum denique bene & feliciter agendarum firmiſſimum fundamentum. Vita l. 3. fol. 241.

De

De P. Julio Mancinello è Socitatē JESU ſcribit vitæ Author l. 2. c. 4. talem in eo obediendi promptitudinem & proclivitatem fuiſſe viſam, qualem non meminerit ſe in aliis vel legiſſe, vel audiviſſe. Dicebat, ad obedientiam Superiori parvo vel magno, quisquis eſſet, non ſolùm ſe relicturum fuiſſe hunc vel illum locum meliorem, hoc vel illud officium; quod arrideret genio ſuo; ſed etiam ſi in luſtralibus flammis jam ſalutis ſecutus, imò ſi in cælo jam beatus, exiturum fuiſſe cum beatitudinis incertitudine, iterùmque illuc, quò obedientia illum deſtinâſſet. Hinc ſe promptiſſimum exhibeat in relinquendis pietatis officiis, & in operibus caritatis, quæ alioqui interpolare, aut interrumpere videri peccatum poſſet. Ita Neapoli ex obedientia deſeruit munus excipiendi confeſſiones, & litandi in privato ſaccello, quod propter privatam conſolationem magis ei arridebat, quàm publicum templum: ſed & Conſtantinopoli in Italiam profectus eſt longiſſimo, difficili, & periculorum pleno itinere, tametſi illic res magnas pro gloria DEI efficeret, ac crederet operam ſuam ſummè neceſſariam eſſe. Vita l. 2. c. 4.

P. Balthaſar Alvarez etiam difficillima, & vires ſuos propè ſuperantia opera, in quibus obendientia eum collocabat, promptiſſimè acceptabat, dicere ſolitus, ex quo Deus poſuit Religioſum in aliquo ſtatu vel munere, etiam cum profectu eundem deducturum, quòd ſi illum plùs oneret, quàm ferre poſſit, ſeipſum onerare, quia in ſe ſuſcepit, quòd velit ſupplere. Vita c. 5.

P. Bernardus Colnagus pari promptitudine excurrebat quaquaverſum, ſive Romam, Venetias, Mediolanum, mitteretur, ſive ad quemvis ignobilem pagum vocatus eſſet. Neque plus temporis morabatur poſt imperia Majorum, quàm quo ſchediaſmata colligeret. Panormo Sortinum miſſus, intra mediæ horæ ſpatium itineri ſe accinxit. Uunum verbum, hucus unus addebat currenti allas, quod ſemper DEUM in Moderatoribns agnoſceret, In medio rerum curſu, fortunatisque ſucceſſibus ad unicum Superioris ſignum vela aliò flectebat, è ſcholis ad conciones: ab his ad ſcholas: modò ad abjecta miniſteria, modò ad ſublimiores functiones promptus & alacer, maximo Superiorum ſolatio, quia in

quacunque neceſſitate ad omnia munia pro dignitate ferenda ex æquo idoneus & paratus. Vita l. 2 c. 6. §. 2.

IV. Tertius actus eſt, ut cœcam obedientiam exercere ſtudeat, & non ſolùm idem velit, ſed etiam idem ſentiat, quod ſuperior, ejúsque judicio ſubjiciat ſuum; quoad poteſt voluntas intelligentiam inflectere; etenim cùm obedientia, us rectè diſcurrit S. Ignatius in aurea ſua epiſtola de obed. n. 9. ſit quoddam holocauſtum; quo totus homo ſine ulla prorſus imminutione Conditori ſuo ac Domino per manus Miniſtrorum in caritatis igne immolatur, cúmque ſit eadem renuntiatio quædam integra, per quam omni ſuo jure ſponte decedit Religioſus, ut divinæ Providentiæ Superioris ductu gubernandum ac poſſidendum ultro ſe addicat, ac mancipet, negari non poteſt, quin obedientia comprehendat non ſolùm executionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter faciat; ſed etiam juducium, ut, quæcunque Superior mandat, ac ſentit, eadem inferiori & recta, & vera eſſe videantur; quatenus vi ſua poteſt voluntas intelligentiam flectere, uti fieri poſſe ax ſequentibus variorum Sacerdotum exemplis patet.

SS. Petrus & Andreas vocati à Christo, non hæſitantes, non ſoliciti; unde viverent, non conſiderantes, quomodo rudes homines Prædicatores fieri poſſent, ſine mora ſecuti ſunt Chriſtum. Marci c. 1.

S. Ignatius Lojola quanti faceret cœcam hanc obedientiam, ex eo facilè intelligi poteſt, quòd dicere ſolitus ſit, eum, qui in obediendo voluntatem tantùm, & non judicium pariter cum Superioris judicio conformaret, altero duntaxat pede in Religione exiſtere, & plerumque in magna incommoda incidere, & graviſſimis perturbatæ conſcientiæ ſtimulis ac moleſtijs implicari, cùm, ut Caſſianus in Collat. 2. c. 11. rectè advertit, Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus Subditum pertrahat, ac perducat ad mortem, quàm cùm neglectis conſilijs Seniorum, ſuo judicio perſuaſerit, definitioníque confidet. Unde ipſe S. Ignatius non tarò dicere ſolebat, ſi Pontifex imperaret, ut in Oſtienſi portu non procul Româ ſito in proximam, quam inveniret, navem ſine remis, & gubernaculo, velóque, imò & omnibus rebus ad vitam conſervandam neceſſariis ſe conferret, maríque ſe com-

committeret, ſe id non ſolùm prompto, ſed etiam hilari animo facturum; cúmque primarius Dominus, qui id aſſerentem audierat, admirans diceret, quæ hæc prudentia foret? reſpondit ipſe, prudentiam non in Subdito, qui imperium exequi, quam in Superiore, qui imperium dare debet, requiri. Vita l. 5. c. 4.

S. Lambertus Trajectenſis Epiſcopus cùm invidorum malignitate Epiſcopatu motus ad Monaſterium Scabolanenſe confugiſſet, Monachalem ſervans vitæ modum, & nocte quadam ad orandum è lecto deſiliens, ſtrepitum percuſſo pedibus pavimento feciſſet, & Abbas indignè id ferens juſſiſſet, ut, quisquis hujus culpæ reus eſſet, continuò ad Crucem extra Monaſterij ſepta ſub dio ſtantem exiret, nec ante diei crepuſculum reverteretur, mox nudis, ut erat, pedibus, & cilicio tantùm indutus abijt, &, licet ob brumæ tempus ferè fuerit extinctus, ibidem manſit, donec à Monachis ſemivivus repertus, & in Monaſterium reductus eſt. Beyrlinck V. Obedientia. fol. 5.

Alanus de Solminihac Epiſcopus quidquid à ſumo Pontifice proveniret, cæcâ quâdam obedientiâ excipiebat: *Si Papa*, ajebat, *aliquid loquitur, haud opus eſt alio, quàm ſubmiſſione & obedientia, excluſo omni penitus examine, & rationum inveſtigatione*. Vita l. 3. c. 17.

P. Petrus Caniſius hortabatur, ut omnes quantumcunque docti, & in rebus agendis exercitati pro exemplo ſibi proponant Puerum JESum, & obedientiam promptiſſimam, & ſapientiſſimam ſimplicitatem, quoniam in tenera illa ætate ille præſtitit, imitari omni ope ſtudeant. In quo cùm jam inde à primo Matris conceptu theſauri fuiſſent omnes ſcientiæ ac ſapientiæ DEI, tamen ad decorum ſe ætatis accomodans, nec emanare ſinens immenſam illam lucem, ſubditus, & obſequentiſſimus Joſepho & MARIÆ erat; & quamvis haud dubiè meliores ipſe rerum efficiendarum vias, quàm quo interdum modo imperabantur, nôſſet, nihilo tamen minùs aliena placita obedienter, ac ſimpliciter ſequebatur. Quam obedientiæ formam, inquit Author vitæ l. 3. fol. 341. Caniſius haud magnificentiùs verbo proponebat, quàm ipſe tenebat.

P. Ignatius Martinius è Societate JESU dicebat; id ſibi ſolatij ac ſpei ad immortalitatem conſequendam præſertim eſſe, quòd nunquam meminiſſet, egiſſe ſe, ut ad ſuam voluntatem flecteret judicium Superioris. Unde obtemperavit illis ſumma ſemper fide, & nunquam de ſtatione deceſſit, in qua eum obedientia collocavit. Annuæ lit. Soc. 1598. fol 158.

V. Meritò ergo omnes Sacerdotes præclaram ſibi S. Pauli ad Hebræos c. 13. ſententiam applicant: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Nam cùm Providentia divina omnia ſuaviter diſponat, infima per media; media per ſumma; ſuos ad fines cuncta perducens; uti tum ex Angelicarum Hierarchiarum ſubordinata ſerie; tum ex cœleſtium corporum, quorum motus ab uno movente ſupremo gradatim uſq; ad infimos ritè proveniunt, connexione ordinatiſſima: tum in Eccleſiaſtica Hierarchia, cujus omnia membra & functiones ab uno generali Chriſti Domini noſtri Vicario derivantur, patet; rectè colligitur; eò rectiorem & meliorem fore Eccleſiæ gubernationem, quò accuratiùs hæc ſubordinatio per obedientiam cuſtoditur.

§. V.

De Exemplis Fortitudinis à Sacerdotibus relictis.

Fortitudo juxta Theologos eſt virtus, quâ labores & pericula, etiam mortis conſtanter perferuntur, &c, cùm opus eſt, etiam ultro ſuſcipiuntur. Unde ſicut varij labores & pericula exiſtunt, ita variæ quoque ſpecies Fortitudinis aſſignantur, inter quas tamen duæ ſunt potiores, quæ à Sacerdotibus exerceri præcipuè debent, Patientia ſcilicet & Conſtantia, de quibus proin per diverſos titulos agetur.

De Exemplis Patientiæ.

I. Patientia, quæ eſt virtus, quâ mala hujus ſæculi æquo animo ſuſtinemus; ita ut propter illa nec interiùs immoderatè turbemur aut triſtemur: nec exteriùs aliquid minùs hone

honeſtum aut indecorum admittamus, tribus modis exerceri ſolet, teſte S. Gregorio hom. 5. ſuper Evang. *Alia namque ſunt, quæ à DEO: alia, quæ ab antiquo Adverſario: alia, quæ à Proximo ſuſtinemus. A Proximo namque damna, perſecutiones, & contumelias ſuſtinemus, ab antiquo Adverſario tentamenta; à DEO flagella toleramus. Sed in his omnibus vigilanti oculo ſemetipſam debet mens circumſpicere, ne contra mala Proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta Adverſarij ſeducatur ad delectationem: ne contra flagella Opificis prorupat ad exceſſum murmurationis.* Porro circa hanc Patientiam triplicem aſſignat gradum S. Bernardus ſ. 1. de S. Andrea, incipientium ſcilicet, proficientium, & perfectorum. *Qui initiatur à timore, Crucem Chriſti ſuſtinet patienter: qui proficit in ſpe, portat libenter: qui verò conſummatur in caritate, amplectitur jam ardenter; ſolus enim iſte eſt, qui dicere poſſit: Amator tuus ſemper fui, & deſideravi amplecti te; felix, qui ad hunc pervenerit gradum.* Quantopere autem hæc virtus neceſſaria ſit Sacerdotibus, vel ex eo ſatis patet, quòd, cùm vocati ſint cum S. Paulo, ut tanquam vaſa electionis portent nomen DEI coram Gentibus, & Regibus, & Filijs Iſraël, hoc ipſo etiam de illis verificandum ſit, quod DEUS Act. c. 9. dixit de illo: *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Si enim juxta eundem Apoſtolum 2. ad Tim. 3. *omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur*, quantò magis illi, qui etiam alios ad piè vivendum inducere volunt, ſimiles perſecutiones ſuſtinere debebunt. Unde meritò Chriſtus Apoſtolis ſuis Joan. 15. dixit: *Si de Mundo fuiſſetis; Mundus, quod ſuum erat, diligeret: quia verò de Mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixit vobis: Non eſt Servus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* Ut tamen clariùs appareat, quàm perfectè Sacerdotes hanc Patientiam exercuerint, è re erit varias, in quibus ea exerceri debet, occaſiones diſtinguere.

II. Prima ergo occaſio eſt in damno & jactura rerum temporalium ad vitæ ſuſtentationem pertinentium, ſeu bonis Fortunæ, ut aliqui vocant; quale damnum, cùm jam olim

primi Chriſtiani, teſte S. Paulo ad Hebr. 10. cum gaudio ſuſtinuerint, cognoſcentes ſe habere meliorem & manentem ſubſtantiam; facilè patet, multò magis ſimilem patientiam a Sacerdotibus requiri poſſe, atque adeò illos meritò præclaram S. Chryſoſtomi ſ. 10. adhortationem ob oculos habere debere ſic loquentis: *Faciamus de neceſſitate virtutem ſeu voluntatem: Exempli gratiâ proprium quis amiſit Filium, ſubſtantiam alius omnem & Fortunæ bona; ſi noveris, quod pactum eſt, nec deleri ampliùs, nec ſolvi poſſe, licebit inſanabili calamitate utilitatis aliquid comparare, ſi magno ac virili animo adverſos tolerâris fortunæ caſus, próque maledictis Domino laudem referas; hoc pacto, quæ præter ſpem evenerint mala, in voluntatis officium commutabis*, id quod ſequentes Sacerdotes ſtudiosè obſervârunt.

S Joannes Eleemoſynarius, cùm tredecim naves mille & trecentas auri libras continentes naufragio perijſſent, nihil aliud dixit, niſi aliud Jobi: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum*, causámque infortunij ſuis peccatis adſcripſit Surius in vita 28. Jan.

S. Stephanus Abbas, cùm quidam ex odio omnem meſſem in area pro ſeſe & Fratribus collectam igne ſubjecto deſtruxiſſet, nuntianti ſibi tam triſtem caſum placidè reſpondit, ſibi nihil mali accidiſſe, ſed ei, qui id feciſſet, ſe condolere, veniámque & gratiam à DEO ex animo peccari. S. Gregorius l. 4 Dial. c. 19.

S. Remigius, cùm ſecuturam annonæ caritatem prævidens, ingentem frumenti copiam in pauperum ſubſidium collegiſſet, eámque malevoli aliquot igne abſumpſiſſent, audito nuntio equum conſcendit, &, ut Inimicorum inſaniam compeſceret, accurrit. Sed cùm omnia jam ardere videret, de equo deſcendit, &, quia tùm ob ætatem, tum ob frigus veſpertinum frigebat nonnihil, ad ignem ſe calefaciens tranquillo corde & ore dixit; Semper bonus eſt focus. Sur. to. 10.

S. Bernardus Claravallenſis Abbas, cùm ducenta argenti pondo ſibi ad Monaſterium conſtruendum miſſa à Graſſatoribus intercepta fuiſſent, gratias DEO egit, quòd magno onere liberârit. Marulus l. 5.

S. Igna-

S. Ignatius Lojola, cùm impenſas in domo ædificanda factas ſolvere non poſſet, ideóque Magiſtratus Stallites, qui domum invaderent, omnémque ſupellectilem in pignus arriperent miſiſſet, cum aliquot fortè nobilibus extra domum colloquens, ubi à Nuntio à Domeſticis miſſo, quid ageretur, intellexit, nihil commotus colloquium continavit, & tum demum diſcurſu, quem inceperat, finito ad colloquentes dixit: Scire velutis, quem Nuntium priùs acceperim? cúmque illi annuerent, totam facti ſeriem non aliter, acſi ad ſe non pertineret, enarravit, non ſine eorum, qui audiverant, admiratione, l. 5. c. 9.

III. Secunda occaſio eſt in infirmitatibus corporalibus, plagíſque ac vulneribus ſuſtinendis: in qua patientia tantò magis exercitatum eſſe Sacerdotem oportet, quantò crebrior ei ſe offert neceſſitas, etiam alios ſuos Parochianos ad ſimilem Patientiam excitandi: unde ſemper in memoria habere debet præclaram S. Auguſtini l. 3. de viſit infirm. c. 3. ſententiam: *Tuſſi laboras, pulmone deficis, cibum ſtomachus reſpuit, phtiſi decoqueris, vinum faſtidis, dyſenteriâ ſauciaris, multimodo morborum genere afficeris? ſed & hæc, ſi oculum habes, ſi cordatus es, DEI dona ſunt, diſciplinam ne abjicias, Fili.* Quod conſilium non pauci Sacerdotes egregiè ſunt ſecuti

S. Paulus de ſeipſo 2. Cor. 12. ſcribit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Et iterum: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis: cùm enim infirmor, tunc potens ſum.*

S. Dominicus, cùm graviter ægrotans à Socio moneretur, ut ſolatium à DEO poſceret, primò ipſum increpuit, dicens: Niſi de tua ſimplicitate mihi conſtaret, te protinus hinc expellerem, quòd hæc dicere non ſis veritus dein in humum ſe abjiciens, gratias inquit, tibi ago, mi amantiſſime Deus, pro his, quæ mihi dediſti perferenda. Auge dolores, multiplica cruciatus, da centum morbos, dabis etiam, ſat ſcio, ſimul patientiam. Chron. S. Domini c. 2. § 45.

S. Franciſcus Borgias dolores morborum non tantùm conſtanter ferebat, ſed etiam augere ſtudebat, quò menti uberior ſeges colligeretur. Hinc ægrotans pharmaca, quamvis amara, ſorbendo hauriebat, ut amaritie diutius cruciaretur. Ca

tapotia quoque eâdem de cauſa mandere ſolitus, ut, qui miniſtri voluptatis olim fuerant, iidem pœnâ torquerentur.

Abbas Beniamin, & ſi ſolo tactu alios curabat, ſe tamen nunquam à graviſſimo morbo hybdropis curare voluit, id unum accedentibus dicere ſolitus: Orate DEUM pro anima mea, de corpore nihil ſolliciti, quando illud & ſano mihi in re nulla commodavit. Rodriq. p. 1, tr. 8. c. 18.

Alanus de Salminihac, Epiſcopus; licet præter alias graviſſimas infirmitates, tam gravem febrim pateretur, ut acceſſiones triginta horis durârint, nec ſpatium illi ſalutationis Angelicæ recitandæ conceſſerint, plus nihilominus gaudij præſeferebat, quàm ſi mediis in delicijs thoro floribus inſtrato incumberet, quod videntes duo Medici dixerunt, ſimilem ſe huic patientiam nunquam vidiſſe; quin imò dicere auditus eſt, ſe ſuam infirmitatem ne quidem cum integro regno commutaturum. Vita l. 3. c. 5. & 7.

Jacobus Merlohoriſtus Parochus, morbos dentium, colicæ: calculi graviſſimos quaſi donum & amoris pignus à Patre amantiſſimo miſſum cum grati animi ſignificatione recipiebat, & velut particulam Crucis Dominicæ oblatam exoſculabatur, id unum dicere ſolitus: *Auge, Domine, dolores, auge patientiam.* Vita c. 27.

P. Ludovicus de Ponte, cùm die Veneris ſancto vehementius exarſiſſet in cupiditate experiendi dolores Chriſti, articulari morbo, qui per totam vitam eum non amplius deſeruit, correptus eſt, quo ita obſeſſus eſt, ut ipſemet faſſus ſit, præter caput, nullum membrum expers eſſe mali proprij, quæ tamen omnia tanta cum patientia toleravit, ut votum etiam fecerit, nemini dolores ſuos manifeſtandi, niſi quem celare fas non eſſet; neque unquam aliquid amiſit, quod dolores & moleſtias levaret ne Domeſticorum quidem alloquia, aut Amicis ſubmiſſa ſubſidia; imò nec oleum è lampade S. Ignatij oblatum aliter accepit, niſi cum aperta proteſtatione, quòd nolit ſanari, niſi majoris id gloriæ fuerit Domino noſtro Vita l. 2. c. 4.

P. Leonardus Leſſius totos quadraginta quinque annos nunquam ſine dolore fuit, & ita quidem, ut ſemper poſterior priore fuerit deterior. Ex lüe, quam ex diverſorio contraxerat, maculoſa ſcabies uſque adeò afficit certas partes, ut

inde

inde moleſtiſſima impetigo utramque tibiã aſſiduo pruritu ceu edaci morſu corroſerit. Unde etiam natus ſtomachi languor, frigus, pituita, inteſtinorum tormina, ventorum ex ore flatus, prædura alvus, colicæ aculeus, hepatis, vicinarúmque partium affectio; adhæc hernia utrinque, hinc pugni, inde pilæ magnitudine extuberans. Proximo ante mortem quadriennio duo calculi ovo gallinaceo pares, nullo indicio antè cogniti, quaſi cælo lapſi, veſicam cruentârunt, & exulcerârunt uſque adeò, ut mala omnia præterita huic compoſita luſus viderentur. Et tamen eadem mala ſimul cum hoc plerumque ſæviebant, ita ut bonus Pater ſubinde quiritans exclamaret: Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt, Domine. Solemne illi erat ſexagies quotidie à binis illis lapidibus, interdum etiam centies cruciari. Quibus tamen in cruciatibus omnibus laudabat DEUM, gratias agebat, amplius petebat. Vita c. 18.

IV. Tertia occaſio eſt in contemptibus & perſecutionibus ferendis; contra quos jam pridem Chriſtus ſuos Apoſtolos, & cum his etiam Sacerdotes ſecuturos armavit, dicens Matth. 5. *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Unde meritò S. Chryſoſtomus hom. 8. in epiſt. Epheſ. ſic loquitur: *Nihil eſt æquè præclarum, atque vincula* (ac contemptus) *propter DEUM pati. Vinctum eſſe propter Chriſtum præclarius eſt, quàm eſſe Apoſtolum, quàm eſſe Doctorem, quàm eſſe Evangeliſtam. Si quis amat Chriſtum, novit, quod dicitur. Si quis exardeſcit in DEUM, & ejus amore uritur, novit vim vinculorum. Maluerit eſſe vinctus propter Chriſtum, quàm cælos habitare.* Unde meritò Joannes Crucius, primus Carmelitarum Diſcalceatorum Fundator, dum poſt multos exhauſtos labores à DEO interrogari ſe perſentiſceret, quod præmium pro his peteret? reſpondit: Domine, pati & contemni propter te. Lyræus in apopht. 3. l. 1. id, quod bene plurimi etiam alij Sacerdotes agnoverunt.

S. Cyrillus Alexandrinus à Synodo quadraginta trium Epiſcoporum, publico decreto tanquam inſignis iniquitatis

Author, & Eccleſiaſticarum Sanctionum contemptor, Hæreticúmque ſe pleniſſimè profeſſus, & ideo Epiſcopatu privatus, æquiſſio animo ſententiam accepit. Lanciz. opuſc. 9, n. 97.

S. Athanaſius uſque adeò contumeliis & perſecutionibus fuit obnoxius, ut de eo ſcribat Ruffinus, in ejus perſecutiones univerſum propè orbem conſpirâſſe, & commotos Principes terræ, Gentes, Regna, Exercitus adverſus ipſum coiviſſe. Sed & Metaphraſtes ait, omnem ei locum fugam factum eſſe, quia uſque adeo quærebatur, ut prœmia proponerentur ijs, qui ubicunque terrarum inventum prodidiſſent; accuſabatur autem de hæreſi, Magia, ſeditione concitata, adulterio, ob quæ tandem omnino damnatus, & in exilium pulſus eſt. Ibid.

S. Baſilius, ubi Epiſcopus factus eſt, à multis tanquam Hæreticus, & Hæreticorum conſortio pollutus vitabatur, ideóque coactus fuit, nemini propemodum ſe credere, omnéſque pariter vereri. Imò & apud Damaſum papam ob ejuſmodi accuſationes parùm gratioſus effectus eſt, ita ut ne reſpondere quidem ad ejuſmodi Epiſtolam dignaretur. Ibid.

S. Hieronymus de ſeipſo teſtatur, & ſcribit: Me ſceleſtum putant, & omnibus flagitijs obrutum. Ego probroſus & verſipellis, & lubricus. Alius inceſſum meum calumniabat & riſum. Imò, teſte Baronio ad annum 395. adeò frequens fuit turba in Hieronymum calumniantium & obtrectantium, ut vix ediderit ſcriptum aliquod, in quo non opus fuerit prætexere Apologiam. Ibid.

S. Ignatius Lojola tanti æſtimabat perſecutiones & vincula, quibus pro Chriſto fuit vexatus atque conſtrictus, eóque numero ponebat, ut apertè diceret, ſi quæ à DEO creata ſunt, omnia in altera parte ſtateræ collocarentur, in altera carcer, catenæ, probra, vix illa omnia præ iſtis momentum ullum habitura apud ſe; neque verò creatam ullam naturam poſſe talem in animo lætitiam creare, quæ æquare poſſit gaudium illud Spiritûs & puriſſimam alacritatem, quam eorum mentibus infundit Dominus, qui multa pro illius amore, magnáque pertulerunt.

Alanus de Solminihac Epiſcopus dicere ſolebat: Cruces ſunt hominis inæſtimabiles theſauri, divitiæque, quarum

pretium

pretium mundo prorſus eſt incognitum. Longo jam tempore præſtantiam earundem per DEI gratiam agnovi, ſed & ijs tam ſtupenda ineſſe experior, ut verba deſint, quibus eadem explicem. Miror ſummopere, quòd calumniæ perferri nequeant: me quod attinet, etiam graviſſimæ mihi ſummè amabiles & deſiderabiles videntur, & exiſtimo maximos Calumniatores, qui famam noſtram proſcindunt, amicos eſſe omnium, quos habemus, maximos. Et aliàs avidam ſcripſit: Audeo ceu veriſſimum affirmare, quòd, quidquid iſti de me dicunt, déque mea agendi ratione, & demum de omni eo, quod meam Perſonam, meúmque honorem ſpectat, id ceu gratiam prorſus ſingularem à DEO recipiam, & idcirco grates illi ex toto corde, referam ne aliud magis rogabo, quàm ut illis condonet. Alio quoque tempore rationem afferens ſuæ hujus æſtimationis ſic loquebatur: Licet SS. Sacrificium ſit tantæ efficacitatis, ut ex opere operato imperet, at pluris æſtimo criminationes à N. N. contra me vulgatas, quàm ſi auguſtiſſimum hoc ſacrificium pro me offerret. O quàm excellentes ſunt calumniæ! ſi rationem hujus deſideraris, ea alia non eſt, quàm quòd admodum tergeamur vanitate, ſuperbiâ, & amore proprio, nec unquam hiſcè plenè nos evacuabimur ſine calumnijs & perſecutionibus, quibus ſummopere purificamur; cæ ſunt ignis quidam expiatorius, hæc autem expiatio quoddam eſt præambulum ad unionem cum DEO ſive in hac, ſive in altera vita conſequendam. Vita l. 3. c. 7.

P. Balthaſar Alvarez cùm in Hiſpania & Romæ graviter fuiſſet accuſatus, & quidam hoc ei retuliſſet, ſubriſit editis ſingularis lætitiæ ſignis, cujus rei cauſam rogatus reſpondit: Quia nunc video DEUM mihi bene velle, quoniam per Amicorum ſuorum viam me deducit, nam diu ſollicitus fui, quòd videtur mei Dominus oblitus. Vit. c. 40. §. 2.

V. Quarta occaſio eſt in deſolationibus & ariditatibus animæ perferendis; in quibus vel maximè elucet perfectio Virtutis Patientiæ; nam, ut rectè advertit pius Author l. 2. de imit. c. 9 *Non eſt grave, humanum contemnere ſolatium, quando adeſt divinum. Magnum eſt, & valde magnum, tam humano, quàm divino poſſe carere ſolatio. & pro*

& pro honore DEI libenter exilium cordis velle ſuſtinere, & in nullo ſeipſum quærere, nec ad proprium meritum reſpicere. Unde meritò S. Laurentius Juſtin. de caſto connub. c. 5. ait: *Hæc viciſſitudo amantibus eſt quidem laborioſa, ſed exercitatis perutilis; parit enim humilitatem, cuſtodit innocentiam, offenſam mundat, accendit Spiritum, dolorem inducit, prudentiam perficit, commendat perſeverantiam cuſtodia adhibet diligentiam, torporem excutit, concupiſcentiarum flammas extinguit, ad inquiſitionem provocat, qualitérque reperiri valeat, ſufficienter edocet.* Ob quam cauſam multi Sacerdotes tale exilium cum magna alacritate toleràrunt.

Chriſtus, ut omnibus Sacerdotibus exemplum præberet, quâ ratione etiam internas animi derelictiones ſupportare deberent, etiam ipſe eas priùs in cruce ſuſtinere voluit, atque ideo ad eas indicandas clamavit: DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquiſti me? Marc. 15.

Quidam non minus egregius DEI amator dicebat de ſeipſo: Quadraginta jam annis ſervio DEO in multa oratione, ſine ullo guſtu & conſolatione, eo tamen die, quo eam facio, ſuavè mihi experior, & expeditum virtutum exercitium; at quando mihi in hoc deſum, ſentio meipſum totum flaccidum ac penè exareſcentem. Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 29.

Exempla Conſtantiæ.

I. Conſtantia eſt Virtus, quâ quæcunque impedimenta bonarum actionum, vel ex ipſa humani cordis inſtabilitate, vel ex alijs cauſis extrinſecis provenientia ſuperamus, & in ijsdem actionibus ſtabiliter perſeveramus. Quæ quidem virtus Sacerdotibus tantò magis neceſſaria eſt, quantò nobiliores ſunt labores, quos pro DEI Gloria, ſuáque & proximi ſalute ſuſcipere ſolent; *incaſſum enim bonum agitur, ſi ante terminum deſeratur; quia fruſtra velociter currit, qui priùs, quàm ad metam venerit, deficit,* ut ſapienter S. Gregorius l. 1. moral. advertit; alioqui ſanè illam S. Pauli à Galat. 5. reprehenſionem audiet Sacerdos: *Currebatis bene, quis vos impedivit non obedire veritati?*

ritati! perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Meritò ergo quivis ſalubrem S. Joannis 2. ep. adhortationem audire debet: *Videte voſmetipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam accipiatis*, quemadmodum multi Sacerdotes per ſuam conſtantiam obtinuerunt, in duabus præcipuè occaſionibus.

II. Prima eſt in propoſitis & benè cœptis fortiter & conſtanter exequendis; *non* enim *eſt magnum*, teſte S. Auguſtino, *inchoare, quod bonum eſt; ſed conſummare hoc ſolum perfectum eſt. Vigor* namque *virium virtutum*, ut S. Bernardus in epiſt. 129. ſapienter advertit, *conſummatio eſt. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet; nec beneficium gratiam; nec fortitudo laudem. Denique non qui inceperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Unde *non quæruntur* juxta S. Hieronymum li 1. contra Jovin. *in Chriſtianis* (quantò magis Sacerdotibus) *Initia ſed finis. Paulus malè cœpit, ſed bene finivit. Inde laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.* Quàm generosè verò hanc conſtantiam tenuerint multi Sacerdotes, ex ſequentibus exemplis conſtabit.

Chriſtus de ſeipſo dixit ad Patrem: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam.* Jo. 17. Et in cruce: *Conſummatum eſt.* Jo. 19. Unde S. Bernardus in die Paraſceves, ſuper verba illa: *Deſcendat, ſi Rex Iſraël eſt. Imò verò*, ait: *quia Rex Iſraël eſt, titulum Regni deſerere non debet, cùm enim ſalvus eſſe non poſſit, niſi qui perſeveraverit uſque in finem quantò minùs poterit eſſe Salvator?*

S. Paulus de ſua conſtantia ipſe etiam teſtimonium ſat clarum protulit, dum ad Timotheum 2. E 4. dixit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi; fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ; quam reddet milli Dominus juſtus Judex.*

S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, cùm Henricus Rex Angliæ, coacta Synodo Provincialium Epiſcoporum, leges tuliſſet utilitati ac dignitati Eccleſiaſticæ repugnantes, adeò conſtanter obſtitit regiæ cupiditati, ut neque pollicitationibus, neque terroribus à ſententia decedens in exilium pulſus ſit, ejectis cùm illo omnibus propinquis & amicis, ac juramento adſtrictis, quòd Thomam adire velint, ut ſaltem

miſera-

miſerabili ſuorum caſu moveretur, qui à ſancto propoſito privatis incommodis deterreri non potuit. Sed non reſpexit ille carnem vel ſanguinem, neque ullus in eo humanitatis ſenſus Paſtoralis officij conſtantiam labefactavit, Vita 29. Dec. apud Surium & alios.

S. Ignatius Lojola in rebus arduis urgendis conſtantiſſimus erat. Cauſæ hujus conſtantiæ erant, quòd antè quàm quidquam aggrederetur, omnia benè circumſpiciebat, & examinabat. Deinde quia multùm orabat, cum lacrymis gratiam à DEO petens, unde ſæpe voluntatem divinam divinitus intelligebat, non ſinens ſe ab ea avelli. Denique quia viros peritiſſimos, quorum curæ res commiſſæ fuerant, conſulebat. Hinc Julius III. feſtivè Principes monebat, ne cum Ignatio contenderent; nî victi vellent diſcedere, videlicet ob ejus in rebus agendis conſtantiam & fortitudinem. Meff. l. 3. c. 9. & Ribad. l. 6. c. 9.

S. Franciſcus Xaverius, licet Meliaporæ in templo ita à Dœmonibus cæſus ſit, ut triduo illi decumbendum fuerit, perſiſtebat tamen in oratione invocans B. Virginem, & ſtatim, ubi convaluit, in templum rediit, quâ conſtantiâ fracti Dœmones nihil auſi fuerunt, niſi quòd Monachorum more in choro quaſi matutinum recitarent. Vit. l. 2. c. 15. Ejusdem miram in itinere ad Mauricenſes & in Japoniam ſuſcipiendo conſtantiam, quisquis apud Turſellinum in Vita l. 3. c. 3. & 17. legerit, admirabitur profectò, potuiſſe reperiri hominem, qui contra tot difficultates, ex omni parte occurrentes, tótque virorum ſapientiſſimorum dehortationes in eo conſilio immotus perſiſtere, & tam feliciter ad exitum perducere potuerit.

Alanus de Solminihac Epiſcopus cuidam Epiſcopo ſcribens, duos ſe pedes habere indicavit, bonitatem, & animi firmitatem, & cum his ſe ſemper ambulare. Difficultates occurrentes tam parùm horruit, ut potiùs animoſior inde ſit factus; hinc aliquando loquens de contradictionibus, quas ab Eccleſiaſticis ſuis patiebatur, *ipſemet*, ajebat *planè neſcio, quid hoc ſibi velit, quantò plùs exagitor, tantò animoſior, fortiórque evado.* Leges à ſe ſemel in Diœceſi latas inviolabiliter obſervari fecerat, nec unquam de ijs remiſit, utcunque Regni Magnates apud eum ſuis precibus

inſiſtent

inſtiterint, & ſe ob repulſum eorum odium incurſurum præviderit; quam conſtantiam in oratione præcipuè DEUS ipſi contulit, è qua ſæpe tam heroico digreſſus eſt animo, ut imperterritus Regibus etiam in faciem reſtitiſſet, quia ipſam necem pro Jesu Christi gloria lubens ſuſtinuiſſet. Vita l. 3. c. 6.

III. Altera occaſio eſt in morte pro DEI gloria & ovium ſalute ſubeunda; quæ quàm propria ſit ſacerdotibus curam animarum gerentibus, ex ipſo Chriſti ſummi Paſtoris teſtimonio liquet. Jo. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & fugit?* cujus Conſtantiæ exempla præclara ſequentes Sacerdotes reliquerunt.

S. Thomas Cantuarienſis Epiſcopus, cùm nefarij Satellites Regis clàm Cantuariam convenientes, Epiſcopum in templo Veſpertinis horis operam dantem aggreſſi fuiſſent Clericis templi aditus præcludere conantibus accurrens, oſtium aperuit, illis uſus verbis ad ſuos: Non eſt DEI Eccleſia cuſtodienda more caſtrorum, & ego pro Eccleſia DEI libenter mortem ſubibo. Tum ad Milites converſus, vos, ait, DEI juſſu cavete, ne cuipiam meorum noceatis. Dein flexis genibus, DEO, B. MARIÆ, & S Dionyſio, reliquiſque Sanctis ejus Eccleſiæ Patronis, Eccleſiam, & ſeipſum commendans, ſacrum caput eâdem conſtantiâ, quâ iniquiſſimi Regis legibus reſtiterat, impio ferro præcidendum obtulit. Vita 2. 9 Dec.

S. Emmeramus Epiſcopus Ratisbonenſis, ut Theodonis Ducis Filiam à crimine cum Sigibaldo commiſſo liberaret, in ſe culpam ſuſcepit: unde in itinere à Lamberto Theodonis Genero deprehenſus, inprimis ſpoliatus chlamyde & ſtola, dein funibus ad ſcalam alligatus, digitos articulatim præciſos, oculos, nares & aures amputatas, cum utroque pede & palmis linguâ, ipsíſque verendis impudenter abſtractis amiſit, & tamen in his omnibus cruciatibus negemitum quidem emiſit, ſed hilari vultu indeſinenter DEO gratias egit: unde meritò in animæ exitu lux immenſa ex ore illius procedere, & cælos inſtar fulminis penetrare viſa eſt. Vita, 22. Sept. apud Surium & alios.

P. An-

P. Antonius Pintus Japon è Socitate Jesu, ratæ virtutis humilitatis, ac caritatis, quadraginta tribus annis, quibus in Societate vixit, multa millia Gentium convertit. Tandem captus Nangaſachij, poſt triennalem carcerem arctiſſimum, per triginta dies bullientes aquas ſulphureas ſuſtinuit, vivúsque aſſatus eſt 3. Sept. 1632. Vita Maſtrill. c. 28. n. 3.

P. Marcellus Maſtrillus à S. Franciſco Xaverio mirabiliter curatus, & in Japoniam miſſus, ibidem primò diductis cruribus per contortum funem ſuſpenſus, capite in aquam demerſo, retexente ſe fune violenter rotatus eſt. Dein ſcalis ſupina facie alligatus, infuſa in faciem magna vi aquæ penè ſuffocatus eſt. Tum candente ferro virilia uſtulatus cùm inverecundam barbariem deteſtatus eſſet, aquæ cruciamento rurſum admotus eſt. Demum prælatâ mortis causâ, quia fidem exteram veniſſet prædicatum, jumento eductus, catenatus, os dentato conſtrictus lupato, capitis parte dextrâ raſus, in leva verò minio probros infectus, capite in ſcrobem genaum tenus immerſo pedibibus ſuſpenſus in quartum uſque diem, poſt illam depoſitus, tertio acinacis ictu obtruncatus eſt, rurſúmque terra validè contremuit. Vita.

§. VI.

De Exemplis Temperantiæ relictis à Sacerdotibus.

Temperantia eſt virtus, quâ coercemus appetitum ab iis rebus, quæ inordinatè vel turpiter appetuntur. Q ia verò variæ ſunt ejuſmodi res, erga quas inordinatus appetitus vel uſus cohiberi debet, videlicet divitiæ, voluptas venere, cibus & potus, honor, membrorum libertas, occupationes; hinc variæ quoque Temperantiæ ſpecies aſſignantur à Theologis, de quibus proin ſeorſum nunc agendum erit.

Exempla Paupertatis Spiritualis.

I. Latius hic ſumitur Paupertas Spiritualis, pro tali videlicet contemptu opum; quo non excludimus quidem

Do-

Dominium & poſſeſſionem divitiarum, ſed ita iisdem utimur, ut Davidicum illud conſilium pſ. 61 obſervetur: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*; ut adeò Paupertas Spiritualis hoc loco idem ſit ac legitimus titulus, & uſus divitiarum. Quæ quidem Paupertas quantopere conveniat Sacerdotibus, ex ipſo *Clerici* nomine patet, cùm enim Clerus idem ſignificet ac Sors, atque adeò Clericus ideo appellatur, quia vel eſt Sors Domini, id eſt, miniſterio divino conſecratus, vel quia ipſe Dominus eſt Sors & hæreditas illius, facilè patet, ipſum non in interno divitiarum, ſed in DEO vivo ſperare, atque adeò veras virtutum ac meritorum cæleſtium divitias ſectari debere, cùm ipſo Chriſto teſte Luc. 16. nemo poſſit DEO & Mammonæ ſervire. Unde meritò S. Paulus Timotheum ep. 1. c. 6. & in eo alios quoque Sacerdotes tam ſollicitè ad avaritiam vitandam hortatur dicens: *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia; nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quòd nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus: nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem; radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Porro in tribus potiſſimùm occaſionibus coërcere debet Sacerdos inordinatum amorem & appetitum divitiarum.

II. Prima occaſio eſt in acquiſitione divitiarum: ubi ſedulò cavendum eſt, ne vel Beneficiorum pluralitate, vel negotiatione illicita, vel ſimoniaco contractu divitias accumulare ſtudeat Sacerdos, ſed ordinario Beneficij ſui proventu contentus, ſpem ſuam in divina providentia conſtituat; memor ſemper promiſſi Matt. 6 à Chriſto facti: *Quærite primùm regnum DEI, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis.* Quis autem magis regnum DEI quærit, quàm Sacerdos, cujus omnis cura eò potiſſimùm tendit, ut Deus in ipſo, & alijs hominibus per gratiæ infuſionem regnet? unde meritò ſperare poteſt, ſe idem experturum, quod Apoſtoli olim ſunt experti, qui Chriſto Luc. 22. quærenti: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* reſponderunt:

runt: *nihil.* Rectè ergo pronuntiavit S. Leo ſ. 4. de quadrag. *Semper dives eſt Chriſtiana paupertas; nec pavet in iſto mundo indigentiâ laborare, cui donatum eſt in omnium rerum Domino omnia poſſidere.* Quam doctrinam & veritatem quàm plurimi Sacerdotes egregiè obſervârunt.

S. Arſenius cùm mortui Fratris teſtamentum, quo hæres declaratur, ei oblatum fuiſſet, lacerato illo dixit: ergo priùs, quàm Frater meus mortuus fui: nihil ergo de relictis ab ipſo bonis ad me pertinet. Petrus Sanch. in regno DEI p. 5 c. 9. fol. 5. 40.

S. Baſilius in exilium pulſus nihil aliud habebat præter libellos pauculos, & pannoſam veſtem, quâ indutus erat; hæc erat tota ejus ſupellex, quam cùm præfecto Imperatoris Valentis exilij ſententiam pronuntianti obtuliſſet, dixit: Exilium nihil ad me ſpectat, cùm domus, quam inhabito, aliena ſit. Nihil poſſidens ab exilij metu liber ſum: unam cognoſco omnium patriam Paradiſum: terra commune exilium eſt, incola ego ſum in terra, ſicut omnes Patres mei. Surius in vit.

S. Gregorius Thaumaturgus moriens obteſtatus eſt ſuos ne peculiarem & proprium ſibi locum ſepulturæ compararent, rationem hanc addens: Si vivus non ſuſtinui vocari alicujus loci Dominus, ſed inquilinus vixi in alienis, neque poſt mortem pudebit eſſe inquilinum, ſed hoc narretur poſteris, quòd Gregorius neque vivus loci alicujus poſſeſſor eſt nominatus, & poſt mortem fuit inquilinus aliorum ſepulchrorum, ſeipſum ſejungens ab omni in terra poſſeſſione, adeò ut ne in proprio quidem loco voluerit ſepeliri. Solam enim poſſeſſionem illam judicavit pretioſam, quæ in ſe avaritiæ veſtigium non admittit. Niſſenus in vita.

Cùm S. Amato Abbati Epiſcopus quidam liberalem eleemoſynam dediſſet, reſpondit ille, cur das, quo non indigeo? da potiùs pauperibus, nam ego quidem nudus egreſſus ſum de utero Matris meæ, & nudus in terram revertar. Cùm verò Epiſcopus coëgiſſet illam accipere, abjecit illam, & dixit: DEUS pars mea eſt, vobis autem non indigeo. Surius in vita.

S. Carolus Borromæus cùm Eccleſiaſticis proventibus ab Avunculo copioſè fuiſſet ditatus, omnes dimiſit præter paucos,

eos, quibus ad proprios uſus, & egenorum neceſſitates utebatur. Breviarium, 4. Nov.

Robertus Bellarminus Cardinalis à pluribus Beneficiorum titulis ſeveriſſimè abſtinuit. Quare duas Abbatas, S Benedicti nimirum in ipſa civitate Capuæ, & S. MARIÆ ad Procidam reſignavit, nec primæ propinquitate ac præſentia; cùm ejusdem civitatis eſſet Archiepiſcopus, ſe rueri voluit. Imò non ſolùm beneficia à ſe abdicare contentus, ipſarum penſionum reditibus ſe ſpoliavit, & ex decem ac quatuor millibus annui proventus, quæ Pontificis liberalitate ei collata fuerant, quatuor circiter millibus tantùm ſibi reſervatis, demum penè ad indigentiam ſe redegerat. Vita c. 16.

Jacobus Merlohorſtius Parochus, ut viam ſibi ad plura beneficia non comparabilia præcluderet, ſequens votum fecit: Ego Jacobus Merlohorſtius B. V. MARIÆ in Paſculo Paſtor, bene deliberata mente promitto, & voveo DEO Omnipotenti, coram beatiſſima DEI Matre, Patrona mea, S. Angelo Cuſtode, cæteríſque Patronis meis & Cælitibus omnibus velut teſtibus, quòd non velim, aut cupiam unquam ad ſtatum, gradum, dignitatem ullam altiorem, pinguiorem aſpirare, neque verbo ullo, ſcripto aut obſequio, per me vel per alios, cujusquam gratiam, favorem, aut opem captare, quòd altiùs promoveri queam, ſed velim & optem multò magis ſorte mea, (cui utinam dignè reſpondeam,) contentus vivere, donec DEUS & Superiores, quibus obedientiam debeo, aliud de me ſtatuant. Ita factum Coloniæ 1631. ipſo die S. Franciſci, cujus exemplo utinam mihi detur terrena deſpicere, & amare ac quærere cœleſtia. Amen. Dominus regit me, & nihil midi deerit, in loco Paſcuæ ibi me collocabit. Sed ut opum contemptâ affluentiá ſpem in DEI Providentia fixam teneret, nihil DEO ſtrenuè militanti rerum neceſſarium defuturum, ob oculos quotidie ponebat has Breviario inſertas ſententias: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, & non dabit in æternam fluctuationem juſto.* Pſ 94. *Exſpecta Dominum, & cuſtodi viam ejus, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram.* Pſ. 26. *Melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas. Spera in Domino & fac bonitatem,*

& inhabita terram, & paſcêris in divitiis ejus. Pſ. 36. His ſe precibus & expreſis animo ſententijs ad contemptum divitiarum excirabat in dies ferè, dùm Breviarij librum volveret. Vita c. 10.

III. Secunda occaſio eſt in uſu quotidiano divitiarum; nam ut bene notavit S. Bernardus ſ. 4 *Aurum & argentum, & cetera hujusmodi, quantùm ad animi bonum ſpectat, nec bona ſunt; nec malâ, uſus tamen horum bonus; abuſio mala, ſollicitudo pejor, quæſtus turpior.* Unde teſte S Baſilio apud March. in Virg. Aaron tr. 2 lect. 1. *ad ſubſidium vita, non ad malorum incitamentum opes datæ ſunt pecunia animæ redemptio eſt, non exitij occaſiò*; undè meritò Sacerdotes ſalutis & perfectionis ſuæ magis ſtudioſi ſingularem ſemper in divitijs ritè uſurpandis diligentiam & moderationem adhibuerunt.

S. Auguſtinus, cùm probè noſſet, ſordes apud vulgum contemptum parere, ſplendorem verò non carere vituperio, ſectatus eſt in victu & veſtitu, uti & alijs omnibus, auream mediocritatem, non nimis nitida vel abjecta conſectando. Veſtem ſericam aut byſſinam, aut vulgò pretioſam induere prorſus erubuit, &, ſi quæ ſimilis offerebatur, mox vendebat. Eandem virtutem obſervavit in ædibus, ſuppellectili, & Epiſcopalibus ornamentis, ut docuit Pedum Paſtorale, quod non fuit ex auro vel argento, ſed his longè inferiore materia. Vita l. 3. c. 46.

S. Franciſcus Xaverius Româ in Indiam proficiſcens, nihil ſecum præter communes veſtes & Breviarium tulit, & è Luſitania nihil niſi vulgarem lacernam & paucos libellos: obtrudente D. Caſtancrio ſervum, mihi, inquit, Xaverius, harum manuum uſus dum erit, alio miniſtro opus non erit. Vita l. 1. c. 9.

S Thomas de Villanova unicum birretum proprio uſui domi aſſervabat, ſola veſte & pallio laceris contentus, quæ ſuis manibus ex veteri Scapulari in fruſta diſciſſo reſarciebat; ac ita non ſemel, ſed perpetuò, dum vixit, ſuis omnibus ſpretis, poſt hæc labore manuum, unde eleemoſynam ſatiùs dare poſſet, & pauperibus, quorum ſe Parentem & Tutorem agebat, largiùs ſubveniret, operabatur. Proprium cubiculum ſtoreis tantùm obductum, & perornatum ha-

habens, ibi ſuper vili lectulo, aut ſarmentis ſtratis quieſcebat, & frequenter pauperes Sodales adhibens ex eâdem ollâ cibum ſumere conſueverat, adeò tamen parcè ut ſenio confectus, nunquam annuiſſet integrum pullum, ſed quartam pulli partem, vel medietatem perdicis tantùm pro ſua menſa parari. Triumphus honoris. fol. 50 & 41.

S. Franciſcus Borgias ſimul ac ſe Societati JESU addixit, nullam unquam pecuniam contrectavit. Itinera ingreſſus adduci non potuit, ut vel ſyndonem mundam valetudinis causâ circumferre Comitem pateretur; ſago aut chlamyde non aliâ uſus, quàm pallio quotidiano, quod invertere, duplicaréque ſolebat, ne luto inquinatum deterius fieret. Petaſum unum ajebat ſatis eſſe arcendis cœli injurijs ocreas pedibus ut induceret, impetrari ab eo non poterat. Vita l. 4. c. 2.

Alanus de Solminihac Epiſcopus, quamdiu Cancellatæ Abbas fuit, de bonis Abbatiæ non plùs, quàm Religioſorum omnium minimus frui voluit Ad menſam accedens, quidquid apponebatur, ceu eleemoſynam accipiebat, atque idcirco conqueſtus nunquam fuit, appoſitum nimis calidum vel frigidum eſſe, aut male conditum, eò quòd eleemoſyna Pauperi non ſit debita, íſque contentus eſſe debeat omni eo, quod ipſi porrigitur. Idem quoad veſtimenta reducebat in praxim, ſique ei lacerata vel uſu detrita miniſtraretur, ſummopere gaudebat Pecuniam non dignoſcebat, nec unquam illam attrectabat, niſi pro ſecreta aliqua eleemoſyna facienda. In ſuis infirmitatibus per rarò Medicos advocabat, dicens, Pauperibus ejusmodi commoditates non convenire, & plerumque neceſſe fuit, ut Officiales ſub aliquo prætextu illos vocarent. Frequenter in ore habebat, pauperem ſe moriturum, & non neminem rogaturum, ut pro ſepeliendo corpore ſuo ſibi linteum ex eleemoſyna, largiretur, quod etiam reipſa contigit, ſiquidem nihil in Mundo poſſidens ſuperiorem puellarum Orphanatum linteamen pro ſepultura ex caritate ſibi largienda ſupplex rogavit. Vita l. 3. c. 4.

Petrus Forerius ex tribus Beneficijs ſibi oblatis pauperrimum arripiebat. Pileo utebatur, quamdiu aliquid primæ tincturæ ſupererat, neque habitum, niſi ultimo etiam filo

diſrupto deponebat. Quidquid ejus uſui deſtinabatur, ſemper vilius ſeligebat, eum, cui nihil deficit, reverà pauperem non eſſe judicans. Ipſius conclave non alieno ab illo Vatis Eliæ vel Bethlemitico, ſplendebat ornatu, nudi erant parietes, menſa nullo inſtrata tapete, non aderat corjacea ſella, imò ne quidem imago pretioſior, quàm papyracea. Vit. l. 2. c. 8.

P. Petrus Faber cùm ei aliquando repentina quædam in animo cogitatio futuræ ſuis in ædibus egeſtatis occurreret, ſtatim decrevit, quot annis ſe omnibus rebus, quæ præſentem ad victum & cultum pertinerent, penitus exuere, nihil ut ſe ſpoliatius eſſet, nihilque egentius. Hiſtor. Soc. p. 1. l. 3. n. 34.

Jacobus Merlohorſtius in veſtibus & ſupellectile munditiem quidem diligenter obſervabat, nihil tamen curioſum, nihil exquiſitum eidem immiſceri patiebatur: picturæ per domum diſtributæ nullo oleagino colore pictæ, ſed in charta rudi opere elaboratæ, quæ pietatem projicerent, non oculos paſcerent, paſſim in domo occurrebant, & pias cogitationes ingerebant. Beneficium habuit pertenue, quo tamen contentiſſimus vixit. Cibus ejus parciſſimus, ovibus & patabilis Vit. c. 25.

IV. Tertia occaſio eſt in diſpenſatione ſuorum bonorum vel divitiarum, circa quam bene obſervandum eſt, quod Concilium Tridentinum Seſſ. 25 c. 1. de reform. ſequentibus verbis notat: *Interdicit S. Synodus Epiſcopis, ne ex redditibus Eccleſiæ Conſanguineos, Familiarésque ſuos augere ſtudeant, cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ DEI ſunt, Conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, eis ut pauperibus diſtribuant. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolùm in quibuscunque Eccleſiaſtica beneficia tam ſæcularia, quàm regularia, obtinentibus pro gradu ſuæ conditionis obſervari, ſed etiam ad S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit.* Nec immeritò, quia, ſicut Urbanus Papa in decret. loquitur, *ipſæ res Fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, non ergo debeat in alijs uſibus, quàm Eccleſiaſticis, & Chriſtianorum Fratrum indigentium converti, quia vota ſunt Fidelium, & pretia peccatorum,*

torum, & patrimonia Pauperum, atque ad prædictum opus explendum à Domino tradita, ſi quis autem, quod abſit, ſecus egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Sapphiræ percipiat, & reus Sacrilegii efficiatur, ſicut qui pretia prædiorum fraudaverunt. Hinc tam ſolliciti fuerunt varij Epiſcopi & Sacerdotes, ne quidquam huic decreto contrarium agerent.

S. Baſilius in Epiſt. ad Julianum Apoſtatam depoſcentem à ſe aliquot auri talenta ſic ſcripſit: Redditus mei Epiſcopatus ſunt unus ager, decem oleæ, decem alvei, una moſtella, domus una, oves quadraginta; octo palmæ, tres fici, parvus hortus, quorum ego me Dominum non cenſeo, ſed diſpenſatorem, cùm mihi eorum incumbat cura, ut inde pauperes alantur.

S. Joannes Eleemoſynarius, quamprimum factus erat Epiſcopus, mox advocans Diſpenſatores & Secretarios ſuos, ſic eos alloquebatur: Non eſt juſtum, ô Fratres, & in miniſterio ſocij, ullius alterius curam gerere priùs, quàm Chriſti. Euntes itaque per totam civitatem ſingulatim deſcribite meos Dominos; cúmque illi quærerent, qui eſſent Domini iſti, reſpondit: Quos vos pauperes & mendicos appellatis, ego Dominos meos & adjutores nomino, illi ſoli mihi opem ferre poſſunt, ut à Chriſti regno non excidam. Unde denique tale teſtamentum fecit: Joannes humilis quidem ſervus ſervorumq́; DEI, propter autem impoſitam mihi Pontificatûs dignitatem gratiá Chriſti liber: Ago tibi gratias, Domine Deus meus, quòd me dignum cenſueris, qui tua tibi offerrem, & quòd ex Mundi bonis nihil mihi ſit reliquum, niſi tertia pars nummi, quam ipſam etiam jubeo dari pauperibus, qui ſunt Fratres mei in Chriſto. Quando enim DEI permiſſione creatus ſui Epiſcopus Alexandriæ, inveni in meo Epiſcopatu circiter octo millia librarum auri, ex oblatione autem priorum collegi denis millibus plures his pecuniis; quas cùm cognoſcerem eſſe Chriſti, Chriſto etiam dare volui, cui nunc quoque trado animam. Quod teſtamentum cùm feciſſet, Spiritum quoque ſuum in manu viventis depoſuit. Metaphraſtes in vita.

Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis ita redditus ſui E-piſcopatus diſpenſavit, ut impij Satellites arculas illius per-quirentes. nullum nummum, ſed cilicium duntaxat & fla-gellum invenerint Marchant. in virga Aaronis. 4. lect. 10,

Gregorius XIII. Viginti Collegia excitavit, & dotavit, & totidem millia pauperum intra & extra urbem aluit, ita ut Baronius teſtetur ei a Romanis ſtatuam in Capitolio e-rectam eſſe, in qua teſtentur, & prædicent, vicies cente-na aureorum millia ab eo in pauperes diſtributa fuiſſe. Ibid.

Alexander V. Pontifex adeò liberalis & profuſus fuit in pauperes, ut ipſemet faſſus ſit, ſe divitem Epiſcopum, pau-perem Cardinalem, mendicum Pontificem fuiſſe. Ibid.

Clemens IV. Cùm priùs conjugatus duas Filias generâſ-ſet, nunquam adduci potuit, ut poſt Pontificatum ſuſceptum majorem ipſis, quàm priùs privatus conſtituerat, dotem offerret, dicere ſolitus: Ego DEO, non autem carni & ſanguini acquieſcam. DEUS ita vult, ut ſua in pias cau-ſas erogentur. Dignus Petri ſucceſſor non eſt, qui plùs cognationi, quàm pietati & Chriſto defert. Ibid. fol. 1108.

S. Adalbertus redditus ſuos in quatuor partes diviſit, quarum primum Clero, alterum pauperibus, tertiam Eccle-ſiæ pro captivorum redemptione obtulit, quartum ſibi, ſuíſque ad uſus neceſſarios ſervavit. Vit. 23. April.

S. Udalricus extremum diem imminere ſibi advertens, totam ſuam ſupellectilem, præter paraturam unius domûs & menſarum, quæ ad ſervitium Succeſſoris reliquit, coram ſe importari præcepit, quibus viſis cum gemitu dixit: ad quid mihi hæc omnia? fuerunt autem pauca camiſilia, & ſeptem vel octo menſalia, duo ſarcilia, & de argento de-cem ſolidi, quos ſtatim per manus Præpoſiti voluit inter Pauperes dividi, reliqua verò Clericis erogari. Vita 4. Jul.

S. Ambroſius à tempore, quo Epiſcopus ordinatus eſt, omne aurum & argentum Eccleſiæ vel Pauperibus diſtri-buit; prædia etiam, quæ habebat, reſervatu uſu fructu Ger-manæ ſuæ, Eccleſiæ donavit, nihil ſibi, quòd hîc ſuum di-ceret, derelinquens. Vita 7. Dec.

Jacobus

Jacobus Merlohorſtius quâ ratione bona ſua & divitias diſtribuere ſolitus ſit, ipſe in computo à ſe facto teſtatur, dum ſic ſcripſit: Anno 1631. exeunte ego Jacobus Merlohorſtius pro more meo jam ab annis aliquot obſervato computavi, perſolvi, & liquidavi omnia debita mea cum omnibus & ſingulis, ita ut jam nulli debitor ſim, niſi Deo & Benefactoribus. Et quamvis annis præterlapſis multa impenderim in ornatum & reparationem Eccleſiæ, non pauca in pauperes, peregrinos, ſtudioſos, aliósque afflictos & inopes pro modulo facultatum mearum erogaverim, inveni tamen ſupereſſe mihi in parato (quæ benigniſſima DEI liberalitas & beneficentia eſt,) quingentos triginta quatuor florenos, Hoc igitur quantumcunque eſt, ad DEI honorem & Proximi ſubſidium, & ſalutem animæ impendere cupiens decrevi tres ex reſidua iſta pecunia facere portiones, & unam quidem Eccleſiæ pro neceſſariis uſibus, & ornamentis; alteram pauperibus Studioſis, Religioſis, Mendicantibus, Peregrinis; tertium verò meis ſeu domûs, ſeu Familiæ neceſſitatibus attribuere, ídque ſingulis deinceps annis, quos mihi DEUS pro ſua clementiſſima providentia conceſſurus eſt, certa & ſtabili lege obſervabo. Ita ſtatuo & decerno ego Jacobus Merlohorſtius anno 1632. initio Januar. Vita c. 25.

V. Meritò ergo Sacerdotes ejusdem Merlohorſtij ſalubrem adhortationem audiant, & obſervent, dum poſt reprehenſam divitum avaritiam ſic loquitur: Verum magis prodigioſum eſt, ſi opes avidè congerant, qui electi in ſortem Domini ſtatum profitentur, cujus decor & integritas opum contemptu & cæleſtium præcipuè bonorum deſiderio conſtat. Ut quid ergo pauperes Chriſti patrimonium tam violenter invaditis? tam infideliter tractatis, tam indignè conſumitis? ignominia Ordinis veſtri eſt, propriis ſtudere divitiis, nec bene conveniunt militare DEO, & dignis ſæculo curis implicari? quando pejus habuit Eccleſia, quàm cùm illius Miniſtri cœperunt contemptis aut malè contortis tot Canonum & conciliorum decretis, Beneficia Beneficijs, curas curis ſuperaddere, & multorum alimenta ad luxus & vanitatis ſuæ fomenta convertere, DEO ingrati, Eccleſiæ injurij, Proximis inutiles, pauperibus & miſeris

 immi-

immites, ſibimetipſis pernicioſi. **Si ullos Hominum**, vos certè hæc verba ſpectant: *Habentes victum, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Supereſt aliquid? en pauperes vos velut Patres & Oeconomos inclamant. Quid ergo attinet aut noxias, aut alienas condere divitias? quorſum multa poſſidere Beneficia, quæ viam ſternunt ad multa ſupplicia? Vereor, hoc multos tunc primùm ſapere, cùm fruſtra eſt pœnitere. ita ille ut vitæ c. 10. refertur.

Exempla Abſtinentiæ.

I. Abſtinentia virtus eſt, quâ voluptatem in uſu ciborum ſitam refrænamus, & debitam rationem in eorum ſumptione, tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem, modum ac tempus ſervamus; & hæc virtus Sacerdotibus ob tres ſpecialiter cauſas ſummopere neceſſaria eſt. 1. Quia cùm ipſe ſæpe unicus integram Parochiam aut Urbem curæ ſuæ ſpirituali commiſſam habeat, valde expedit, ut ſano ſit corpore, & viribus robuſtis, ut ſemper ad obſequia caritatis paratus & promptus ſit; ad hunc autem finem vel maximè abſtinentia eſt neceſſaria, utpote quæ, teſte S. Hieronymo in epiſt. eſt Mater ſanitatis, ſicut voluptas Mater eſt ægritudinis; unde meritò jam olim Siracides c. 37. hortatus eſt: *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit uſque ad choleram; qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* 2. Quia ſine ea difficulter functionibus ſuis ſpiritualibus fructuosè invigilare poterit; cùm enim ipſæ præ aliis contra vitia pugnare, alióſque ad pugnam ejuſmodi excitare, cúmque in finem ſolidis virtutibus, caſtis cogitationibus, & ſalubribus conſiliis abundare debeat, meritò abſtinentiæ ſpecialiter ſtudere oportet, utpote *de qua*, teſte S. Leone in ſ. de jejun. dec. menſ. *prodeunt caſta cogitationes, rationabiles virtutes, & ſalubria conſilia*; certè ſicut juxta commune proverbium plenus venter non ſtudet & laborat libenter, ita nihil ſalutem, nihil ſit ſenſuum acumen operatur, ut moderata refectio, ut rectè S. Chryſoſtomus ſ. ſ. 29. ſuper Epiſt. ad Heb. advertit, 3. Quia nihil magis ſcandalizat ſubjectos Populos, quàm intemperantia Paſtorum; cùm fixum ſciant S. Hieronymi effatum: *Semper ſatu.*

ſaturitati juncta laſcivia. Unde idem **Sanctus** c. 2. in Mich. rectè ſic loquitur: *Eccleſiæ Principes, qui deliciis affluunt, & inter epulas atque laſcivias pudicitiam ſervare ſe credunt, propheticus ſermo deſcribit, quòd ejiciendi ſint de domibus ſpatioſis, lautiſque conviviis & multo labore epulis conquiſitis, & ejiciendi propter malas cogitationes & opera ſua. Et ſi vis ſcire, quò ejiciendi ſint, Evangelium lege: In tenebras ſcilicet exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium. An non confuſio & ignominia eſt, JESUM Crucifixum, Magiſtrum Pauperum atque eſurientem fratris prædicare corporibus, jejuniorúmque doctrinam rubentes buccas, tumentiáque ora proferre?* Porro in tribus præcipuè capitibus hæc abſtinentia demonſtranda eſt à *Sacerdotibus.*

II. Primum eſt in qualitate ciborum, ut ſcilicet non nimis pretioſos aut exquiſito modo paratos cibos habere deſideret; ita enim Concilium Carthaginenſe quartum monuit, dicens: *Vilem ſupellectilem, & victum pauperem habeat Sacerdos, dignitatiſque largiorem meritis vitæ fideliter quærat*; ne dum delicias ſectamur, à regno cœlorum retrahamur, ut S. Hieronymus epiſt. 2. loquitur. Hinc & S. Bernardus ad FF. de monte DEI ait: *De condimentis ſufficiat obſecro, ut comeſtibiles fiant cibi noſtri, non etiam concupiſcibiles, vel delectabiles.* Quam doctrinam multi Sacerdotes egregiè obſervârunt.

S. Auguſtinus etiam ut Epiſcopus menſa uſus eſt tenui ac frugali, ea non opiparis ferculis vel argentea ſupellectile renidebat; ſed vaſis ligneis præter cochlearia erat inſtructa. Veſcebatur autem, ut ſemper, oleribus aut leguminibus, interdum autem hoſpitibus adventantibus, pauxillum carnis adhibebat. Nihil in cibo & potu præter neceſſitatem exquirens, voluptati nihil indulgendum ratus. Vita l. 5. c. 47.

S. Laurentius Juſtinianus menſam habuit non ſordidam, ſed communem, cibo ſemper uſus vulgari; nihil appetere, aut damnare ſolitus ex iis, quæ apponebantur. Vita 8. Jan.

S. Carolus Borromæus viliſſimis plerumque cibis utebatur, ita ut extremis temporibus carnes omnino negligeret. Vitæ Compend. c. 25.

S. Igna-

S. Ignatius Lojola nullum edulij, vel condimenti genus cuiquam indixit; nihil inter edendum queſtus, licet cibus male paratus foret. Placuit tamen illi ad alliciendos præſertim homines non incommoda frugalitas. Maff l. 3. c. 11. & Gloria S. Ign. c. 10.

S. Franciſcus Xaverius, dum in Commorino verſabatur, licet ſummè laboraret, & perpetuo ſudore diffluere, oriza tamen exiguâ duntaxat, & a ſe coctâ vivebat; rarò pane aut lacte licet acido adhibito. Vita l. 2. c. 6.

Jacobus Merlohorſtius uno ferè cibo ordinariè contentus erat, ciborum varietatem ut valetudini noxiam deteſtans; neque enim ciborum indulgebat ſuavitati, ſed naturæ ſerviebat neceſſitati. Vita c. 23

Petrus Forerius dulces cibos, quorum guſtum non poterat acerbiore liquore corrumpere, penitus vitabat; hinc nunquam butyrum recens, ova rariſſimè, piſces ſemper invitus, poma cocta ſolum valetudine ſiniſtra coactus comedebat. Quadraginta propemodum annis ſemel tantùm de die leguminibus & radicibus, adjunctis frequenter piſis in aqua, modico ſale aſperſo coctis veſcebatur. Vita c. 14.

III. Secundum caput, in quo abſtinentiam exercere debet Sacerdos, eſt quantitas cibi; pro qua ſervanda hanc regulam præſcribit Caſſianus collat 23 ut ſecundùm capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis, tantum ſibimet cibi unusquisque concedat, quantùm ſuſtentatio carnis, non quantùm deſiderium ſaturitatis expoſcit; nam ut rectè advertit S. Hieronymus l. 2. in Jov. nihil ita obruit animum, ut venter plenus & exæſtuans. Hinc ſtudioſè illam ſemper zeloſi Sacerdotes vitârunt.

S. Vincentius Ferrerius etſi concionibus, aliiſque occupationibus ad ſalutem Proximi tendentibus graviſſimè occuparetur, per quadraginta tamen annos quotidie, exceptis diebus Dominicis, jejunabat. Vita 5. April.

S. Urſmarus Epiſcopus tam tenui ac modico utebatur cibo, ut per eum nemo, niſi per miraculum ſuſtentari poſſet; ſed & talis erat, quem abſque officio dentium ſumere poterat; unde ab ipſo etiam pane novendecim annis abſtinebat.

S. Nicolaus Epiſcopus ſemel duntaxat edebat quotidie, & veſperi quidem, ut publicis negotijs, quæ magna erant, multáque

táque

táque, diem licentiùs commodaret. Nec plus uno ferculo cœnavit unquam, niſi Hoſpitum gratia, quorum dignitas affluentiorem eſcam expeteret. Vita 7. Dec.

P. Franciſcus Suarez, diebus illis, quibus non jejunabat, ſumpto ad meridiem cibo aut nullo, aut modico prandium in noctem differebat, quod ipſum tamen libræ pondus non exceſſit. Vita.

P. Conſalvus Silveria, cùm eſſet Conimbriæ, domum ſe è pulpito recipiens, cibarij panis fruſtum à Promorondo petebat, eóque ſe ad locum ſolitarium culinæ proximum conferens, majori voluptate illum commedebat; quam alij exquiſitiſſimos cibos, reliquo tamen die prandij loco nihil attingebat. Vita c. 6.

IV. Tertium caput abſtinentiæ Sacerdotalis eſt modus ſumendi cibum; ut ſcilicet hîc ſibi maximè dictum exiſtimet Sacerdos illud Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; nam, ut ſapienter S. Gregorius l. 10. moral. advertit, non tam cibus, quàm appetitus in vitio eſt, & plerumque culpa committitur, etiam cùm abjecta & vilia ſumuntur. Certè quàm difficilis ſit hæc appetitûs frenatio, teſtatus eſt S. Auguſtinus, qui in lib. Conf de ſeipſo ſic loquutus eſt: *In his tentationibus* (gulæ) *poſitus certo quotidie adverſus concupiſcentiam manducandi & bibendi; non enim eſt, quod ſemel præcidere, & ulteriùs non attingere decernam, ſicut de concubitu potui. Itaque freni gutturis temperata relaxatione & conſtrictione temperandi ſunt. Et quis eſt, Domine, qui non rapiatur aliquando extra metas neceſſitatis! quisquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum; ego autem non ſum, quia homo peccator ſum.* Unde meritò multi Sacerdotes in hoc appetitu expugnando omnem diligentiam adhibuerunt.

S. Auguſtins de ſeipſo fatetur, quòd non aliter ad cibos ſumendos, quàm ad pharmaca haurienda acceſſerit, quæ plerumque cum magno horrore appetitûs ſumuntur. Hinc l. 10. Conf. c. 31. dicit: *Docuiſti me, ut, quemadmodum medicamenta, ſic alimenta accedam ſumpturus.* Hinc ut faciliùs appetitum à cibis averteret, menſam piò colloquio, ſacrâ lectione, vel diſputatione de rebus ſacris condiebat. Vitu l. 3. 47.

P. Ber-

P. Bernardus Colnagus è Societate JESU, ad menſam iturus altè ſuſpirabat, non ſecus ac ſi in malam crucem raperetur; ut verò appetitum magis domaret, amatorem ſibi antè abſynthio, aceto, ſale nimio, pulvere, vel acerbis fructibus conciliabat: vel prædcalidis cibis palatum adurebat, Vit. l. 2. c. 13.

S. Thomas Sanchez, quando advertit, in menſa aliquod ferculum ſibi arridere, ſtatim id depoſuit; nullum verò acetum, ſalem, aut aliud condimentum adhibebat. Annuæ Gran. 16. 10.

P. Julius Mancinellus è Societate JESU, perpetuò ab illis ferculis, quæ ipſi magis arridebant, abſtinuit; è contrario verò, ut magis appetitum domaret, ad illos ſe cibos aſſuefecit, à quibus à puero abhorrebat, & nauſeabat inſtar veneni, &, quorum odorem, ubi percepit, in deliquium cadere ſolitus eſt. Vita l. 2. c. 5.

P. Sebaſtianus Barradius itidem è Societate JESU viliſſima tantùm & palato ingratiſſima edebat. Sæpe mortificandi ſui gratiâ calidiſſimos ſumebat cibos, ſæpe frigidos, ut omnis ſapor periret. Vita Itiner. præfixa.

Exempla Sobrietatis.

I. Sobrietas eſt virtus, quâ inordinatum potûs appetitum frenamus; quæ, quantopere neceſſaria ſit Sacerdotibus, vel ex ipſo eorum officio ſatis patet; cùm enim ipſi ſint quaſi Navarchi & Speculatores, ac Vigiles, rectè infertur tantò magis ab ijs, quàm Navarchis & Vigilibus corporalibus ſobrietatem requiri, quantò majora animæ damna ex eorum ebrietate timeri non immeritò queunt. Hinc rectè S. Paulus 2. Tim. 4. ſic alloquitur: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto.* Adde, quòd ipſe, quem toties bibunt, calix ſpiritualis ſacratiſſimi Sanguinis Chriſti meritò eos incitare debeat ad calicem Dœmoniorum ſeu ebrietatem ſingulari ſtudio vitandam; *non enim poteſtis calicem Domini bibere & calicem Dœmoniorum*, inquit S. Paulus 1. ad Cor. 10. Hinc tam ſtudiosè ſemper ſobrietatem coluerunt plurimi Sacerdotes, cúmque in finem Convivia, in quibus maxima eſt occaſio ſobrietatis violandæ, tanta contentione devitârunt.

S. Augu-

S. Auguſtinus tria ſemper ſollicitè cavebat. 1. Ut nunquam cuicunque uxorem ſuaderet, 2. Ne militare volentem cuiquam ad hunc finem commendaret. 3. Ut ad convivium invitatus, perſuaderi ſe non fineret. Vita l. 3. c. 47.

S. Hieronymus non modò ipſe convivia ſtudioſè devitabat, ſed etiam alios Sacerdotes ad idem faciendum ſtimulabat; hinc ad Nepotianum ſic ſcripſit: *Convivia vitanda ſunt ſæcularium, maximè eorum, qui honoribus tument. Conſolatores nos potiùs in mœroribus ſuis, quàm Convivas in proſperis noverint. Facilè contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium ire non recuſat. Neſcio enim, quomodo etiam ipſe, qui deprecatur, ut tribuat, cùm acceperis, viliorem te judicat, & mirum in modum, ſi eum rogantem contempſeris, plùs te poſteà veneratur.*

S. Gregorius Nazianzenus, cùm ſemel, iterúmque à Theodoſio Imperatore ad convivium invitatus recuſare non potuiſſet, quanto cum dolore interfuerit, ipſe de vit. differ. teſtatur, dicens: *Non jam Imperatori ut priùs contubernalis erit Gregorius, atque inter medios epulones non erit, triſtis & tacitus accumbens, ægrè anhelitum ducens, & ſervilem in modum edens.*

Jacobus Merlohorſtius convivia, cùm honeſtè poterat, declinabat, imitatus S. Chryſoſtomum, qui, cùm abſtinentiæ & ſobrietatis leges difficulter ſe in conviviis ſervare poſſe adverteret, omnino ab ijs abſtinebat. At ſi ſubterfugere non liceret, tantùm ad veſperarum tempus (quod clepſydrâ ſecum portatâ explorabat) accumbebat, facetus, jucundus, ſimúlque pius inter epulas, utilitatis ſemper ſpiritualis captandæ memor; tum miſſionem poſtulabat, nam intempeſtiva convivia in multas horas vel noctem prorſus abhorrebat, temporis enim illius inæſtimabilem jacturam rebatur.

II. Ne tamen omnino convivia, quæ ipſe etiam Chriſtus, & ſancti interdum Viri frequentârunt, interdicta ſibi exiſtiment Sacerdotes, ſalubrem S. Gregorij regulam Natali Epiſcopo l. 2. epiſt. ep. 37. datum ob oculos habere debent: *Convivia, quæ ex intentione impedendæ caritatis fiunt, rectè veſtra Fraternitas in ſuis Epiſtolis laudat. Sed tamen ſciendum eſt, quia tunc ex caritate veraciter prodeunt, cùm in eis nulla abſentium vita mordetur, nullus ex irriſione reprehen-*

prehenditur ; nec in eis inanes ſæcularium negotiorum fabulæ, ſed verba ſacræ lectionis audiuntur : cùm non plus, quàm neceſſe eſt ; ſervitur corpori ; ſed ſola ejus infirmitas reficitur, ut ad uſum exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque ſi vos in conviviis veſtris agatis ; abſtinentium ; fateor ; Magiſtri eſtis.

Exempla Caſtitatis.

I. Quantopere hæc Caſtitas, quæ eſt virtus ab illicito uſu venereæ voluptatis coërcens, Sacerdotibus neceſſaria ſit, vel ex hoc patet ; quòd jam olim DEUS in veteri Teſtamento Sacerdotes in tabernaculo miniſtraturos à mulieribus ſe continere debuerint, unde ut rectè argumentatur Innocentius I. diſt. 31. c. 4. multò magis Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel Sacerdotium, vel Miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, quâ vel à Sacrificiis divinis, vel à Baptiſmatis officio vacent. Et ſi Apoſtolus 1. Cor. 7. ſuaſit abſtinentiam ad tempus Laicis, ut vacent orationi ; multò magis Sacerdotes, quibus orandi & ſacrificandi juge Sacrificium eſt, debebunt ſemper ab hujusmodi conſortio abſtinere, uti idem Innocentius diſt. c. c. 5. diſcurrit. Unde & ipſe Chriſtus, ut oſtenderet, quantopere cupiat hâc virtute inſtructos eſſe Sacerdotes, permiſit quidem Apoſtolos ſuos in varia peccata cadere, nullâ tamen illos unquam luxuriæ notâ vel ſuſpicione maculari voluit. Duobus autem præcipuè actibus caſtitatem ſuam demonſtrare debet Sacerdos.

II. Primus eſt, ut nihil unquam caſtitati contrarium cogitatione, verbo, aut opere committat, ſed illud potiùs Apoſtoli monitum ad Eph. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, ne nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos* : altè pectori inſculptum habeat, ſtudioſiſſiméque obſervet, ſicut plurimi Sacerdotes exemplo ſuo docuerunt.

S. Gregorius Nazianzenus, cùm quondam lectioni vacans duas mulieres decoras juxta ſe ſedentes vidiſſet ; & torviori eas vultu aſpiciens, quænam eſſent, & quid ſibi vellent, interrogâſſet, illæ familiariter eum complectentes, ne moleſtè feras, inquiunt, præſentiam noſtram, ambæ namque

tibi

tibi familiares ſumus, altera quippe ex nobis ſapientia, altera Caſtitas vocatur, & juſſæ ſumus a DEO tecum habitare, quia mundum & jucundum in corde tuo habitaculum præparaſti Ruffinus prolog. lib. S. Gregor.

Cùm Nobilis quædam Matrona, eâque pulcherima S. Wolſtanum Wigornienſem in Anglia Epiſcopum ad turpitudinem provocaret, ipſe auditâ funeſtâ fœminæ voce, facto crucis in fronte ſignaculo dixit: Fuge fomes laſciviæ, mortis filia, vas Satanæ; & ſimul alapam mulierculæ tanto niſu impegit, ut crepitus illiſæ palmæ in toto domo audiretur, verbiſque ſeveriſſimis, & Epiſcopo dignis eam abegit. Surius 19 Jan.

S. Ignatius Lojola, ex quo die in B. Virginis Patrocinium ſe dedit, tantam conſecutus eſt caſtitatem, ut nullam deinceps carnis tyrannidem, quamvis præfervidus naturâ, ſenſerit Maffeus l. 3. vit. c. 8.

S. Franciſcus Xaverius tantopere caſtitatem coluit, ut etiam ipſum libidinis nomen ſummopere horreret; unde cùm turpe ipſi dormienti ſomnium quondam eveniſſet, adeò illi reſtitit, ut copioſus per nares ſanguis effluxerit Vita.

De S. Epiphanij Epiſcopi Ticinenſis caſtitate ſic ſcripſit S. Evodius ejus Succeſſor: Conſtituebat in eo domum ſuam caſtitas, & continentia radices fixerat in profundis. Virum ſe eſſe, niſi per patientiam laboris ignorabat, carnem ſe habere, niſi cùm moriturum ſe meminerat, neſciebat.

P. Angelus Moritola tam inſigni caſtitate à DEO donatus fuit, ut in miſſionibus ſolus inter homines Ethnicos & nudos non aliter ac beata mens à cælo delapſa viveret, aſpectûque eorum non aliter, quàm ligneum quoddam aut ſaxeum ſimulacrum moveretur. Syllabus Prov. Peruan. 7. Oct. 1626.

Petrus Forerius etiam minimam inquinationem caſtitati contrariam ſic averſabatur, ut famem potiùs ad mortem toleraturus fuiſſet, quàm panem à ſuſpecta manu ſubactum comederet: ad hæc neque digitum hominis pro re quacunque totius Mundi attrectâſſet: unde ſi Epiſtola, liber, clavis, vel res alia ipſi tradi debebat, jubere conſueverat, ut menſæ vel feneſtræ imponeretur, ne dantis manum attrectaret. L. 2. vit. c. 9.

III. Alter actus eſt, ut omnes occaſiones lædendæ caſti-tatis, præcipuè Mulierum aſpectus & conſortium, ſingulari ſtudio devitentur, ne, qui amat periculum, pereat in illo; hinc meritò S. Hieronymus Nepotianum hortatur; *Hoſpitiolum tuum aut rarò, aut nunquam Mulierum pedes terant; quòd ſi verò propter officium Clericatûs aut Vidua viſitetur, aut Virgo, nunquam domum ſolus introëas. Solus cum ſola ſecretò, & abſque arbitro vel teſte, non ſedeas;* ſicut enim non poteſt homo, teſte Salomone prov. 4. *abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant; aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus; ſic qui ingreditur ad Mulierem proximi ſui* (abſque debita cauſa & cautela) *non erit Mundus, cùm tetigerit eam;* quam doctrinam accuratiſſimè ſanè quamplurimi Sacerdotes ob-ſervârunt.

S. Auguſtinus Epiſcopus nullam mulierem intra domum ſuam converſari eſt paſſus, ne quidem germanam ſororem, quæ Vidua DEO ſerviens multo tempore uſque ad diem obitus ſui Præpoſita Ancillarum DEI vixit. Nunquam quoque ad fæminas rogatus ſine teſtibus Clericis intrabat, vel ſolus cum ſolis eſt collocutus, aſſerens, nunquam fœminas cum Servis DEI etiam caſtiſſimis, quamquam prætextu amoris ſpiritualis, converſari debere; nam amor ſpiritualis generat affectuoſſum, affectuoſus obſequioſum, obſequioſus familiarem, familiaris ſæpe generat carnalem; & ita fit quod *S.* Paulus ad Gal. 5. prædixit, ut, qui ſpiritu cœpit, carne conſummet.

S. Urſinus Presbyter adeò Mulierum conſuetudinem deteſtatus eſt; ut etiam in agone appropinquanti fæminæ dixerit: Recede à me Mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle Daurolt. in flor. ex c. 3. tit. 49. ex 2. ex *S.* Gregor. Dial. l. 4. c. 11.

S. Carolus Borromæus nunquam induci potuit, ut cum fœminis, conſanguineis licèt, niſi coram Perſonis valde gravibus loqueretur; in loquendo autem nemo illo circumſpectior, nullum verbum edere auditus eſt, quod virtutem non oleret. Vit. compend. c. 26.

S. Petrus de Alcantara non ſolùm converſationem cum Mulieribus, ſed etiam aſpectum earundem ſtudioſiſſimè vitabat

tabat; unde per 40. annos nullam Mulierem, quantumcunque propinqua fuerit, aſpexit Comp. vit c. 3.

Alanus de Solminihac Lutetiæ propter Epiſcopatûs ſui negotia verſatus, noluit in ulla domo divertere, niſi cum hac conditione, ne ulla fœmina ſub ſuum & ſuorum aſpectum veniret, alioqui ſe receſſurum è diverſorio, quòd & quindecim poſtea diebus fecit, cùm Puella neceſſitate compulſa culinam intrâſſet. Inter agens nunquam permiſit, ut fœmina ulla ſub quocunque prætextu cubiculum intraret, ſibi ipſi potiùs ſervire malens, quàm ab illa accipere obſequium. Studioſiſſimus ſemper fuit, ne lumina in illarum vultum defigeret, ne qua remaneret in ſe imago, quæ puritatis ſuæ candorem poſſet offuſcare. Si porro cum ijs loqueretur, faciebat id ſevera fronte, nec aliter ſe habebat, quàm ſi in confeſſionali eſſet, ne videlicet ullo modo earum faciem intueretur. Vita l. 3. c. 3.

Petrus Forerius Canonicus Curionem agens noluit in ædem ſuam recipere ullam Conſanguineam, ac ne ipſam quidem Matrem, non neſcius, ſi nonnulla Concilia Parochis id concedant, hoc nonniſi per convenientiam fieri. Moniales, quarum curam ſuſceperat, nunquam niſi duobus paſſibus diſtantes, & aliâ præſente, alloquebatur. Nec tantùm ipſas non aſpiciebat, ſed etiam illis præceperat, ut ab ejus aſpectu ſtudioſè abſtinerent. Vit. l. 2. c. 9.

P Balthaſar Alvarez ne in publico Inquiſitionis actu Mulieres aſpicere cogeretur, ſeptem integris horis oculos in B. Virginis iconem defixos habebat. Vit. c. 5. § 1.

Jacobus Merlohorſtius Parochus multis annis coctos cibos è vicina domo accepit, ne Mulierem admittere cogeretur. Ac licet poſtremis annis ſororem in domum recepetit, nunquam tamen ipſam, vel aliam Mulierem intra limen cubiculi pedem inferre paſſus eſt. Et licet importunæ quædam Matronæ idipſum flagitarent, conſtanter id negavit, & illico oſtio hanc Epigraphen appendi juſſit: Mulierum pedes foras ſunto. Vit. c. 13.

IV. Meritò ergo quivis Sacerdos ſalubrem S. Leandri Epiſcopi ad Virgines adhortationem c. 2. ſibi applicat: *Quisquis vir, ſi ſanctus eſt, nullam tecum quærat familiaritatem, ne videndi jugitate aut infametur utriusque ſancti-*

tas, aut pereat. Decidet enim à caritate DEI, quâ perpetrandi operis mali occaſionem præbuerit:. Decidet à caritate proximi, qua, etſi malè non agit, opinione tamen peſſimam famam nutrit, diſpar enim ſexus in unum locatus eo titillatur instinctu, quo naſcitur; & nauralis movetur flamma, ſi incompoſita attigerit. Quis colligabit ignem in ſinu, & non comburetur? ignis & ſtuppa utrumque ſibi contraria in unum redacta flammas nutriunt: Viri ſexus & fœmina diverſus ſi conjungitur, quo lex natura provocat, commovetur. Quæ ſane doctrina à Sacerdotibus tantò diligentiùs obſervari debet, quantò vehementiùs ipſis, quàm alijs inſidiatur malignus hoſtis, ut enim rectè S. Hieronymus ep. 22. advertit, *Non quærit Diabolus homines Infideles, & eos, qui foris ſunt, & quorum carnes Rex Aſſyrius in olla ſuccendit; de Eccleſia Chriſti rapere feſtinat, eſca ejus ſecundùm Abacuc ſelecta ſunt, Job ſubvertere cupit, & dvorato Juda ad cribrandos Apoſtolos expetit poteſtatem.* Cùm verò, ut rectè monet Caſſianus l. 6. Inſtit. impoſſibile ſit hominem ſuis, ut ita dicam pennis ad præcelſæ hujus virtutis præmium evolare, niſi eum gratia Domini de terræ cœno evexerit, ideo cum Salomone & S Paulo adeundus èſt Dominus, & ex totis præcordijs deprecandus, ut ſtimulum carnis auferat, ita tamen ut propria cooperatio non negligatur, ſine qua DEUS hanc gratiam non dabit. Certè ex hujus cooperationis defectu plurimos caſtitatem non obtinere, ſapienter advertit S. Auguſtinus l. 2. de merit. c. 77. dum ait: *Caſti non ſumus, non; quia non poſſumus, ſed quia non volumus, nam qui te hortatur, ut voveas, ipſe adjuvabit te, ut reddas, alioqui culpa illius eſſet, ſi, quod imperaret, efficere nequires. Neque igitur culpandus eſt DEUS, qui præcepit, vel qui non adjuvat, quia non præcepiſſet, niſi adjuvare vellet. Culpa igitur tota in te eſt, qui dicis, te nolle, neque tamen te promoves: dicis te non poſſe, neque tamen, ut poſſis, conaris.*

Exempla Humilitatis.

I. Humilitas eſt virtus, quâ inordinatus excellentiæ appetitus reprimitur; quæ, quantopere neceſſaria ſit Sacerdotibus, ſat clarè Chriſtus oſtendit, dum Apoſtolis ſuis præ

ali

alijs virtutibus hanc commendavit, dicens Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; & meritò, duæ namque ſunt cauſæ, ob quas Sacerdotibus præcipuè eſt neceſſaria. Prima eſt, quòd ad majorem perfectionem & ſanctitatem ipſi ſint obligati; unde profundiùs etiam Humilitatis fundamentum jacere debent, ut ſapienter S. Auguſtinus ſ. 10. de Verb. Dom. advertit, dicens: *Qui cogitat magnam fabricam conſtruere celſitudinis, prius de fundamento cogitet humilitatis; & quantumquisque vult imponere molem ædificij, quantò erit majus ædificium, tantò altius fodit fundamentum.* Altera eſt, quòd hoc ipſo, quòd copioſiorem habeat occaſionem, præclara opera patrandi, & multiplices meritorum theſauros congregandi, humilitati etiam, quæ, teſte S. Hieronymo in epiſt. ad Celantiam, & præcipua conſervatrix, cuſtóſque virtutum aliarum, ſtudere debeat; nam, ut rectè S. Gregorius l. moral. pronuntiavit, *perit omne, quod agitur, ſi non in humilitate cuſtoditur.* In tribus autem præcipuè actibus virtutis exercere ſe debet Sacerdos.

II. Primus eſt, ut ſe ipſum ex corde deſpiciat, viliſſimúmque reputet, nihílque ſibi gloriæ aut honoris de ullo opere adſcribat; ſic enim Servator ipſe monuit Luc. 17. dicens: *Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Et verò quis præclarum, laudéque dignum opus ſe feciſſe arbitretur, ſi centum milliones talentorum debeat alteri, & ſemel unicum de tam grandi debito obolum ſolverit? atqui tam grandi ære ob accepta beneficia DEO obligati ſumus, ut, licèt omnes virtutum actus poſſibiles ſoli exercuiſſemus, & infinitos homines ad meliorem frugem convertiſſimus, necdum obolum ſolviſſe cenſeremur; quantò minùs ergo, ſi unum duntaxat aut alterum virtuoſum opus patraverimus, aut homines paucos converterimus, cauſam ſuperbiendi habebimus? Unde meritò Sanctiſſimi quique Sacerdotes viliſſimam de ſe ipſis opinionem conceperunt.

S. Paulus, quàm vilem ſe æſtimârit, ipſemet 1. ad Cor. 4. ſignificavit, dicens: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.*

S. Ignatius Lojola adeò omnem excellentiæ appetitum ſuppreſſerat, ut ipſemet faſſus ſit, ſe per viginti annos nunquam vel minimam ſuperbiæ tentationem fuiſſe paſſum; imò miraretur, quomodo homo ſeipſum cognoſcens ſuperbire poſſet.

S. Franciſcus Seraphicus non modò vilem & abjectum ſe reputavit, ſed etiam peccatorum maximum æſtimavit, & apertè confeſſus eſt; ob quam cauſam Frater quidam vidit præſtantiſſimam illi in cœlo ſedem paratam eſſe. Vit. c. 6.

S. Franciſcus Xaverius ſe nequiſſimum omnium mortalium pronuntiabat; laudem & honorem non minus, quàm alij vituperationem & dedecus horrebat. Dicebat, revelatum ſibi eſſe, DEUM Sociorum precibus & meritis dare ſibi tantam gratiam. Ne ob miracula à ſe parata magus fieret, partim ex ijs locis aufugit; partim, ut miraculum reticerent, rogavit; partim ipſorum ægrorum, puerorúmque, quos mittebat, fidei adſcribebat. Vita.

Alanus de Solminihac mox in principio ſuæ converſionis hoc propoſitum concepit: *Humilitas & manſuetudo caræ mihi virtutes erunt; quare ut eas mihi comparem, magnam habebo curam omnis generis medijs hunc in finem accommodatis utendi*; hinc dicere ſolebat, pro hac virtute conſequenda incomparabiliter majore animo opus eſſe, quàm pro aliarum virtutum conſecutione, eò quòd aliorum virtutum pulchritudo ex ſeipſa quoddam quaſi illicium eſſet, naturæque pergrata, humilitatis verò pulchritudo omnino incognita & occulta ſit, & ut deformis valdè oculis repræſentetur. Ipſe certè in oculis ſuis ſemper minimus ſibi viſus eſt, nec aliud ſe, quàm vilem terræ vermiculum eſſe dixit. Neque dignitas Epiſcopalis oculis illius caliginem obduxit, ſed potiùs majus ſtudium hujus virtutis ingeneravit, utpote ſine qua putabat Epiſcopum cum veritate nominari non poſſe, cùm Eccl. 3. dictum ſit: *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Sed &, ſi quid in laudem ipſius diceretur, non aliter, quàm ſi tormentum ſubiret, accepit.

P. Petrus Faber ob humilitatem ſuam, ſummis, medijs, infimis amabilis, admirabiliſque extitit. Rogabat DEUM aſſiduò, ne ob ſuas imperfectiones DEI gloria vel proximi

ſalus

ſilus impedietur. Cum pueris & hominibus tenuibus libentiſſimè agebat, quia intellexit, DEO gratiſſimoś eſſe labores pro his ſuſceptos. Vita l. 2. c. 12.

P. Franciſcus Suarez cùm ad ſummum literarum, famæque veſtigium perveniſſet, candidè fatebatur, nulla ſe animi elatione moveri, quòd ſciret, quamplurimos alios etiam Ruſticos, ſi iiſdem, quibus ipſe; à DEO juvarentur auxilijs, doctiores, ſanctioréſque evadere potuiſſe. Indignum ſe alebat, qui infimi coqui munus obiret. Vita to. de Aug. præfixa.

P. Paſchaſius Broœtus unus è primis S. Ignatij ſocijs dicere ſolebat, ſe quindecim annis humilitatem à DEO petiiſſe, & tamen parùm adhuc habere, ſæpéque Dœmonem ſibi ante faciem ſtercora proijcere. Unde Dœmon ipſum propter humilitatem adeò fugit, ut, cùm Laureti à nemine ejici poſſet, Paſchaſio templum egreſſo clamaret: hunc timeo: & mox egreſſus ſit. Vita MS.

III, Secundus actus eſt, ut etiam ab aliis quis deſpici deſideret, ideòque viliſſima munera & opera ambiat, ac quærat. *Verus namque humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari, & gaudet de contemptu ſui,* ut rectè S. Bernardus ſ. 26. in Cant. notavit. Unde ſapienter etiam S. Hieronymus dixit: *Multi humilitatis umbram, veritatem, pauci ſectantur; auferantur omnia figmenta verborum ceſſent ſimulati geſtus, verum humilem patientia oſtendet,* quo indicio multi Sacerdotes ſuam humilitatem probârunt;

S. Paulus adeò contemptum ſui amabat, ut cum veritate. 1. Cor. 12. dicere potuerit: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.*

S. Franciſcus Borgias cùm in culinam deſcendiſſet, & par ovorum à ſe coctum Aarozio miſiſſet, interrogatus poſtea, quantum DEI munus eſſet, ejuſmodi vilia officia obire, tantum reſpondit, ut equidem me illo indignum putem. Hiſt. Soc. p. 1. l 9 n. 88.

S. Petrus Martyr Ordinis Prædicatorum adeò ſe humilem in Fratrum Congregatione exhibuit, ut ad illorum obſequia, quibus Juvenis ſolebat occupari, plerumque etiam ſenex ſe ultroneum offerret. Itaque crebrò pia ſollicitudine

 ſervit-

ſerviebat Infirmis, ſæpe hoſpites hilari excipiebat allo-quio, interdum etiam Janitoris officio fungebatur. Vita 29 April.

P Martinus Delrio poſt adeptam in jure Doctoratûs Lau-ream, poſt ſcriptos legum Commentarios, poſt tot doctiſſi-mos in Societate libros editos, poſt ſupremum Brabantiæ Senatum Philippo II. Hiſpaniæ Rege jubente geſtum, poſt jus Palatinis, Militibúsque diu dictum, poſt Cancellarij, Regiíque Fiſci Præfecturam, Societatem ingreſſus, abſoluto Noviriatu 32. annum agens, cum Juvenibus Dialecticæ cœpit inſudare, nec priùs deſiſtere, quàm triennalem cur-ſum abſolviſſet. Sed & laccrâ non rarò veſte indutus Oeco-nomum per urbem comitabatur, &, quæ ille emerat, per mediam urbem ſtupente Civitate ad Collegium deferebat. Vita.

Joannes Nunnius Patriarcha Æthoyopiæ in nulla re exi-mius eſſe volebat, ſed miniſtrabat menſæ, lavabat ollas, cubiculum ſuum purgabat, veſtes laceras reficiebat, & Pa-trem quendam ad ægrum vocandum, per modum Socij co-mitabatur.

Conſtantinus Presbyter in contemptoris ſui amplexus in-volavit, eumque amanter exoſculatus dixit, neminem hac-tenus veriora de ſe locutum fuiſſe. Pennequin. in Iſagog. diſſert. 1 §. 2.

IV. Tertius actus eſt, ut honores & dignitates oblatæ effi-caciter repellantur, vel certè non niſi à coacto recipiantur; *non enim magnum eſt eſſe humilem in abjectione*, teſte S. Ber-nardo l. sup. miſſus eſt, *magna prorſus, & rara virtus eſt humilitas honorata*; cujus quamplurima exempla in va-rijs Sacerdotibus habemus.

S. Thomas Aquinas ab Urbano quarto Romam vocatus nunquam adduci potuit, ut honores acciperet, & Archiepi-ſcopatum Neapolitanum, etiam deferente Clemente quarto recuſavit. Vita 7. Mart.

S. Gregorius Magnus ad Pontificatum electus in cavernam ſilveſtrem ſe abdidit; nec priùs paruit, quàm indicio co-lumnæ fulgidæ ſuper ſe à cælo dependentis proditus, & ex-tractus eſt. Vita 12. Mart.

S. Cud-

S. Cudbertus Lindesfarnienſis Epiſcopus, licet multi ad ipſum allege & Synodo congregata Legati & Literæ de Epiſcopatu recipiendo mitterentur, conſtanter tamen dignitatem rejecit, donec à potentibus, Viris & Religioſis ſui Monaſterij genua flectentibus, & lacrymantibus, & per DEUM obſecrantibus perſuaſus, eo præcipuè titulo ſuſcepit, quòd ei à ſancto quodam Viro prædictum ſit, ipſum Antiſtitem futurum. Vita 20. Mart.

S. Guarinus Præneſtinus Epiſcopus communi omnium voto in in Epiſcopum electus, cuſtodibus, qui conſtituti erant, ne fugeret, eluſis, tamdiu latuit, donec alius Epiſcopus electus eſt. Quamvis poſtea à Lucio ſecundo Romam venire juſſus, & Epiſcopatum Præneſtinum acceptare coactus ſit. Vita 6. Febr.

Andreas Oviedo, cùm ei Epiſcopatus Hieroſolymitanus nuntiatus eſſet, ita conſternatus eſt, ut ſtatim S. Ignatio ſcripſerit, ſe in omnibus quidem obediturum, hâc una in re non poſſe, ſe proin Pontifici ſcripturum, cujus tamen juſſu ſuſcepit munus. Vita M. S.

Joannes Nunnius dicebat, ſe malle totam vitam in catena tranſigere, quàm Patriarcham Æthyopiæ fieri: quamvis hoc munus ex obedientia ſuſcipere coactus ſit. Hiſt. Soc. p. 1. l. 14 n. 15.

Jacobus Laynes ſecundus Societatis JESU Generalis non modò Epiſcopatum, & duplicem Archiepiſcopatum, ſed etiam Cardinalatum, & Pontificatum, pro quo duodecim jam vota habebat, generoſa conſtantia & humilitate à ſe repulit. Hiſt. Soc. p. 2. l. 8. n. 216.

V. Quare omnes Sacerdotes meritò ſaluberrimam S. Auguſtini to. 2, epiſt. 56. adhortationem ſibi applicare debent: *Obſecro, & plurimùm rogo, non patiamini ſine cauſa tam pretioſum exemplar* (Chriſti ſcilicet humilitatem) *vobis exhibitum eſſe, ſed conformamini illi, & renovamini ſpiritu mentis veſtræ.* Imò non parum etiam proderit, imaginari ipſum Chriſtum ad Sacerdotes illa olim Luc. 22 ad Apoſtolos dicta verba repetere: *Reges gentium dominantur eorum, &, qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic, ſed quicunque voluerit Major eſſe inter vos, ſit veſter Miniſter; & qui præceſſor eſt, velut*

Miniſtrator , & ecce ego in medio veſtri ſum , ſicut qui miniſtrat.

Exempla Manſuetudinis.

I. Manſuetudo eſt virtus, quâ iram adverſus eos, qui nos injuria comprimimus, ſed aliàs omnem ex animo aſperitatem excludimus; cujus neceſſitatem reſpectu Sacerdotum ipſe iterum Chriſtus Matt. 11. ſat clarè inſinuavit, dum ad Apoſtolos dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris*; nam, ut rectè S. Chriſoſtomus hom. 58. in gen. dixit, *nihil ſic ad conciliandos, promerendóſque inmicos infenſiſſimos manſuetudine efficacius*: Hinc Moyſes pro ductore Populi Iſraëlitici electus, totius plebis (hac virtute) ſibi mentes devinxerat, ut plùs eum pro manſuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur, uti S. Ambroſius l. 2. offic. c. 7, notavit. Quæ causa fuit, ut ſemper illi Sacerdotes, qui diſcreto Zelo ſalutem Proximi procurare conabantur, manſuetudine velut præcipuo inſtrumento uterentur, non ignari videlicet ſententiæ à Siracide c. 3. prolatæ: *Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligêris.* Quòd ſi verò ut diligatur Sacerdos, efficiat manſuetudo, hoc ipſo etiam, ut fructuoſi exiſtant illius labores, procurabit, nam ut præclarè dixit S. Auguſtinus tr. 7. in epiſt. 1. Jo c. 3. *ſemel tibi breve præceptum præcipitur: Dilige, & fac, quod vis. Sive taceas, dilectione taceas: ſive clames, dilectione clames: ſive emendes, dilectione emendes: ſive parcas, dilectione parcas Radix ſit intus dilectionis, non poteſt de iſta radice non bonum procedere.* Duæ autem præcipuè ſunt occaſiones, in quibus hanc manſuetudinem oſtendere debet Sacerdos.

II. Prima eſt, cùm inſtruere & corrigere oportet proximum; in tali caſu enim ob oculos haberi ddbet Apoſtolicum illud ad Galates c. 6. monitum: *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujusmodi inſtruite in Spiritu lenitatis*; *nihil* enim, teſte S. Chryſoſtomo ho. de manſuet. *ſic conciliat Domino Familiares, ut quòd illum videant tranquillum ſe offerre, & manſuetudine jucundum: nam & talem majoris faciunt,*

ciunt, habéntque pro Patre, & non Domino. Gratus & amabilis eſt videntibus. gratus item & his, quibus nomine tantùm notus eſt. Neque facilè ullum invenies, qui audiens laudari hominem manſuetum, illum videre, & oſculari non deſideret, & non habeat in aliquanta lucri parte, ejus amicitiâ diu poſſe frui. Unde & ipſe DEUS Moyſi Iſraëlitas ex Ægypto educturo præcepit: *Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram.* Quam autem ſtudiosè hoc præceptum multi Sacerdotes obſervârint, patet ex ſequentibus exemplis.

Chriſtus adeò mitis ac manſuetus erat, ut ipſi Judæi illum *ſuavitatem* vocarent, atque adeò ſi triſtitiâ premerentur, ad ſe mutuò dicerent: Eamus ad ſuavitatem, ut hilares fiamus, ut Barrus in ſolit. fol 306 teſtatur. Hinc & S. Bernardus de eo dixit: *Dulcis eſt JESUS in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere.*

S. Paulus de ſeipſo 1. Theſſ. 2. dixit: *Facti ſumus in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foveat Filios ſuos.*

S. Anſelmus Epiſc. cunctis ſe jucundum & amabilem exhibere, morésque ſingulorum, in quantùm ſine peccato poterat, ſuſcipere ſtudebat; unde corda omnium miro modo in ejus amorem vertebantur, & ad eum audiendum famelica aviditate rapiebantur. Eolmerus in vita l. 1.

De *S.* Athanaſio teſtatur *S.* Gregorius Nazianz, quòd eâ fuerit comitate præditus, ut ad eum aditus omnibus pateret, clemens, ab ira alienus, miſeratione præditus, ſermone jucundus, moribus jucundior, in objurgatione placidus.

S. Martinum Epiſcopum, teſte Sulpitio in vita, nemo vidit iratum, nemo merentem, ſed unus, idémque ſemper, cœleſtem quodammodo lætitiam præſeferens vultu, extra naturam hominis ferebatur.

S. Florentinus Carducenſis Epiſcopus adeò manſuetus erat, ut ob hanc potiſſimùm virtutem eum ad Epiſcopatum aſſumptum fuiſſe *S.* Paulinus ep 23. fatetur in verbis: *Procul dubio per manſuetudinem ovis, & agni innocentiam Paſtor eſſe meruiſti.*

S. Odilo Abbas in promulgandis judicijs, & modis pœnitentiæ præfigendis tam pius erat, & tanta mœrentibus huma-

humanitate compatiens, ut non tam diſtrictum Patris imperium, quàm maternum exhiberet affectum, unde ſe reprehendentibus hujusmodi verbis ſolebat, eleganter alludere: Etiamſi damnandus ſim, malo tamen de miſericordia, quàm duritia vel crudelitate damnari.

De S. Ignatij Lojolæ manſuetudine teſtimonium tulit ipſemet DEUS, quando S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſignificavit, ſe valde in Spiritu S. Joannis Evangeliſtæ, & S. Ignatij ſibi complacere, eò quòd uterque conatus ſit per viam amoris homines ad ultimum finem perducere; addiditque, hanc complacentiam toties ſibi renovari, quoties S. Ignatij Filij eundem modum in convertendis peccatoribus tenent. Lanciz. opuſc. 1. fol. 81.

III. Altera occaſio eſt, quando aliquis ſe opponit vehementiùs, aut injuriam, damnúmve inferti alteri, tunc enim vel maximè pulcherrimum campum habet Manſuetudo, iram in talibus caſibus facilè exorir ſolitam reprimendi, uti S. Chryſoſtomus in Pſ. 119. notavit dicens: *Præſertim hæc virtus manſuetudinis exercenda, & in praxin reducenda erit, quando res nobis fuerit cum hominibus irâ commotis, aut naturâ rudibus, & aggreſtibus; quando cum ijs, qui ſunt ab ipſa virtute manſuetudinis altiſſimi, tunc enim lenitatis perfectio maximè oſtenditur, illiúsque uberrimus fructus*, quos quidem non pauci Sacerdotes diligenter collegerunt.

De Chriſti exemplo ſic ſcribit S. Cyprianus in ſ. de cœna Dom. *Quanta illius divini Servatoris fuit in tolerandis Judæis æquanimitas, quanta patientia? incredulos ſuadendo ad finem flectere, obſequio ingratos fovere, contradicentibus reſpondere leniter, ſuperbos ſuſtinere clementer, humiliter perſequentibus cedere.*

S. Paulus, quomodo & ipſe, & alij Apoſtoli in ſimilibus caſibus ſe geſſerint, 1. ad Cor. c. 4. teſtatur dicens: *Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus.*

S. Auguſtinus, licèt alij furoris œſtro percellerentur, nihil de ſua ingenita manſuetudine, & Angelica lenitate, ut eam Author vitæ l. 3. c. 52. vocat, remiſit, quâ quidem ſuavi-

vi agendi ratione feroces multorum animos ſalubriter mitigavit, atque ad veritatis ſemitam ineundam perſuaſit.

S. Thomas à Villanova, cùm Sacerdotem quempiam crebra admonitione, & etiam diuturno carcere necquicquam à prava conſuetudine abducere potuiſſet, tandem hiſce eum blandis verbis allocutus eſt: Amice & Frater, unde hoc mihi, ut ipſe audeam judicare te Fratrem meum, Conſacerdotem, emptum eodem pretio, quo empta eſt anima mea, non quidem ex corruptibilibus argento & auro, ſed pretioſo ſanguine ſacri agni immaculati JESU Chriſti. Fortaſſe tu melior me es, & ego judicabo, qui meipſum ignoro? Tu te judica, & cognoſce dignitatem tuam, quibus verbis permotus Sacerdos Religioſiſſimus evaſit. In triumpho honoris Monach. excuto- f 32.

De S. Carolo Borromæo teſtatur Author compendij vitæ. l. 27. quòd inter mille iracundiæ incentiva nunquam animo turbari, aut vultum ſolito triſtiorem præſeferre, aut omnino excandeſcere ſit viſus.

Alanus de Solminihac, cùm Sacerdos quiſpiam ipſi ſubjectus ſcelus non leve commiſiſſet, tantopere ſe excanduiſſe monſtrabat, ut leoni non abſimilis ignem, flammáſque ſpiraret; licet ipſemet poſtea faſſus ſit, ſe in animo tam parùm emotum fuiſſe, quàm rupem aliquam, ſuúmque cor tunc frui quiete, cùm ex facie ſigna quædam irati animi notarentur. Vit l. 5. c. 16.

P. Joannes Ogilbeus è Societate JESU in Anglia pro fide occiſus, cùm Mulier quæpiam maledictis illum inceſſeret, & in ſpecie oculorum obliquitatem exprobraret, blando & amœno vultu ad eam converſus: DEUS, inquiebat, tibi elegantem tuam formam diu ſervet incolumem; quæ vox adeò emollivit ferocientem mulieris animum, ut publicè faſſa ſit, ſe pœnitentiâ duci, quòd injuriam ei fecerit. Vita.

IV. Itaque meritò omnes Sacerdotes audîre, ſibíque applicare illa S. Pauli ad Eph. 4. verba debent: *Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cùm omni humilitate & manſuetudine.* Ut autem nôrit, quantùm in hac virtute profecerit, ob oculos ſemper habere debet gradus à S. Climaco grad. 8. aſ-

ſignatos

ſignatos his verbis: *Manſuetudo eſt animi immobilis ſtatus inter vituperationem & laudes eodem modo perſeverans. Initium quidem iræ vacuitatis eſt labiorum ſilentium cum perturbatione cordis. Medium eſt ſilentium ipſarum quoque cogitationum cum animi tenuiſſimo motu. Finis verò eſt inter immundorum Spirituum ſtatus ſtabilis & fixa tranquillitas.* Ad quem gradum ut pervenire conetur, præclaram S. Gregorij Nazianz. orat 17. ſententiam animo frequenter volvat: *Nihil homo tam divinum habet, quàm beneficentiam & benignitatem, licet tibi nullo labore DEUM fieri, noli divinitatis conſequendæ occaſionem abijcere; alij opes ſuas effundunt, alij exhauſtam carnem Spiritui mancipant, & propter Chriſtum emoriuntur, alij cariſſima pignora DEO conſecrant, ne tibi Sacrificium Abrahæ inauditum eſt. Horum nihil à te poſtulamus, pre omnibus hoc unum offer, nempe benignitatem, quâ DEUS magis, quàm cunctis rebus in unum collatis delectatur.*

Exempla Modeſtiæ.

I. Modeſtia eſt virtus, quæ omnem indecentiam in veſtibus & geſtibus vitare docet; quam proin meritò Chriſtus in prima ſua doctrina Apoſtolis data Matt. 5. commendavit dicens: *Vos eſtis lux mundi; ſic* ergo *luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt* Cùm enim exempla plùs ad ædificationem Proximi conducant, quàm verba, meritò hoc inſtrumento potiùs, quàm prolixis ſermonibus uti debet Sacerdos ad animos DEO lucrandos, certè de S. Franciſco Seraphico legitur, ſolâ eum vultus ſui modeſtiâ magis aſpicientes ad pœnitentiam commoviſſe, quàm alij longis & facundis orationibus fecerint. Sed & de S. Luciano ſcribitur, inſigni ejus modeſtiâ & vultûs hilaritate Ethnicos convictos, & ad veram fidem perductos eſſe.

II. Qualis porro eſſe debeat hæc modeſtia, pulchrè Spiritus Sanctus in Canticis Canticorum indicavit, dum Sponſi qualitates deſcribit, & 1. quidem in genere eum deſcribit dicens: *Dilectus meus candidus & rubicundus*; innuens ſcilicet, eum candidum eſſe per innocentiam, rubicundum

autem

autem per morum verecundiam, quâ omnem indecentiam in moribus arcebat. Poſtea verò in ſpecie ad ſingulas partes deſcendens de capite ait: *Caput ejus aurum optimum:* ut oſtendat caput ejus grave & difficulter mobile fuiſſe, nec, ubi opus non erat, ad alterutram partem, aut deorſum, ſurſúmve fuiſſe motum. 3. Verò de oculis ait: *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum; quæ lacte ſunt lotæ, & riſident juxta fluenta puriſſima*: ut indicent, eum oculos ab omni curioſo aut ſenſuali aſpectu ſeverè cohibuiſſe, nec niſi ad objecta puriſſima, id eſt ad gloriam DEI tendentia convertiſſe. 4. Genas illius *ſicut areolas aromatum* ob hilaritatem & lætitiam etiam exterius manifeſtatam omnes aſpectu ſuo recreâſſe, & ad amorem excitâſſe affirmat. 5. Labia illius *liliis diſtillantibus myrrham probatiſſimam* ſimilia eſſe ait, ob modeſtiam & ædificationem, quam in verbis ſuis præſeferebat. 6. *Manus illius*, inquit, *tornatilles aureæ, plenæ hyacinthis*, id eſt, ſemper in actionibus ac officijs ad cæleſtem gloriam acquirendam occupatæ. 7. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*; eò quòd ſingularem in inceſſu gravitatem ac mediocritatem ſemper oſtenderit. 8. *Species ejus, inquit, ut Libani, electus ut Cedri* propter altitudinem & rectitudinem, quàm tota ejus modeſtia præſeferebat; ut adeò nihil ſuperſit, niſi ut hæc Modeſtia ob oculos ponatur Sacerdotibus, dicatúrque, *aſpice, & fac ſecundùm exemplar*, uti ſequentes & alij multi Sacerdotes fecerunt.

S Auguſtinus adeò huic virtuti ſtuduit, ut, quemadmodum Author vitæ l. 3. c 54. ait, non hominem, ſed Angelum, veræque perfectionis abſolutum exemplar te videre putares; unde mirè Civium ſuorum animos ſibi demeruit.

S. Bernardus cum ſuis Monachis Innocentio II. Pontifici & Cardinalibus Monaſterium Claravallenſe viſitantibus tantâ cum modeſtiâ obviavit, ut Pontifex & Cardinales à lacrymis præ gaudio temperare ſibi non poſſent. Vita l 2. c 1.

S. Ignatius adeò compoſitis erat moribus, ut nec manum, nec oculum ſine ratione moveret; ideóque per hanc ſuam modeſtiam non paucos ad Societatem pellexerit. Matt. l. 3. c. 6. & Hiſt. Soc p. 1. l. 16. Hinc, cùm vidiſſet quoſdam è noſtris Juvenibus ſolutiori geſtu in publico deambulantes,

palàm

palàm caſtigari eos curavit, graviſque oratione admoneri, ut inſitam animis verecundiam etiam exterius præſeferrent; & quoniam, Apoſtolo teſte, ſpectaculum facti eſſent omnibus, ſummopere caverent, ne ſupervacanea locutione, curioſo oculorum obtutu, aliòve incondito geſtu, metúque corporis quemquam offenderent.

P. Balthaſar Alvarez tantam in vultu & membris omnibus modeſtiam præſeferebat, ut quidam, qui Miſſ m cum tanta modeſtia legentem videtat, ad Societatis Inſtitutum amplectendum ſit permotus. Vita c. 7, §. 1.

Ferdinandus Auſtrius Oenipontanus Archidux, cùm in Proceſſione Evchariſtica P. Alexandrum Helier in media turba vidiſſet, adeò motus eſt viri modeſtia, & vultu neſcio quam ſanctitatem ſpirante, ut ſtatim eum acciverit, & juxta ſe incedere juſſerit, ſtupente urbe inſolitum Principis morem. Annuæ Germ ſup. 1611. Coll Conſtant.

Inter Peruſinos Vir quidam nobilis, cùm Religioſorum noſtrorum inter ſacrificandum pietatem; nec non ſilentium in templo, ac religioſam gravitatem conſpexiſſet, domum redux teſtamentum jam confectum reſcidit, & ſua Collegio aſſignavit. Annuæ 1650 prov. Rom. fol. 12.

Gerondæ cùm femina impudica duos Religioſos ſumma cum modeſtia & gravitate per urbem incedentes cerneret, ita permota fuit, ut mores ſuos leviſſimos deteſtata confeſſionem multis cum lacrymis fecerit. Annuæ Arag. 1611.

Petrus Forerius S. Auguſtini imitator tantam in moribus modeſtiam præferebat, ut, cùm Matrona quædam ipſum conſpexiſſet, dicere auſa ſit, ſe, ſi Patrem Forerium tanquam Sanctum fama non deſcripſiſſet, vel ſolâ oculorum illius modeſtiâ, ſplendoréque faciei perſuadendam fuiſſe, ut talem judicaret. Adeò autem ipſe eam Sacerdotibus & Religioſis neceſſariam exiſtimabat, ut itinerarium duobus ſuis Religioſis Romam ituris compoſiturus, in quavis pagina ter verbum *Modeſtia* una ſerie ſcripſerit, ut vel hâc viâ oſtenderet, eam præceptorum omnium Breviarium eſſe. Vita, l. 2. c 16.

III. Quare omnes Sacerdotes non modò pectori altè inſculpere, ſed ſtudioſiùs inſuper adimplere debent ſaluberrimam S. Auguſtini regulam, dum ait: *In inceſſu, ſtatu, habitu,*

bitu , & omnibus moribus veſtris nihil fiat , quod cujusque offendat aſpectum , ſed quo veſtram deceat Sanctitatem ; ita ut impleatur Apoſtolicum ad Philipp 9. monitum : *Gaudete in Domino ſemper , iterum dico gaudete : modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus ; Dominus enim prope eſt.* Si ergo S. Bernardini adhuc Juvenis præſentia tantum potuit, ut ad unius illius præſentiam æquales ſuæ immodeſtiæ puderet , & his verbis : Bernardinus adeſt : ad gravitatem ſe componerent ; quantò magis præſentia DEI ſimilem in Sacerdotibus modeſtiam & gravitatem evincere debet.

Exempla Sedulitatis.

I. Sedulitas eſt virtus, quâ ad immoderatum ſtudiorum appetitum vitandum , & ad labores utiles ſuſcipiendos incitamur ; unde facilè patet, quantopere ea Sacerdotibus conveniat, utpote Evangelicis operarijs in vineam Domini miſſis, quibus æquè ac Apoſtolis à Chriſto dicitur : *Ego poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Jo. 15. Unde tantò major eſt negligentia in virtutis hujus exercitio admiſſa , quantò præſtantiores ſunt labores , ad quos Sacerdotes ſunt vocati Porro duplex eſt otioſitatis genus, ad quod vitandum hæc virtus inclinat.

II. Primum eſt, cùm quis nihil agit, atque adeò ſimilis eſt operariis, quos Paterfamilias Evangelicus ſtantes in foro otioſos invenit; quibus proin meritò dicitur ? quid hìc ſtatis otioſi ? Ite & vos in vineam meam, & cum alijs operariis ſtrenuè laborate, ut parem cum illis mercedem accipiatis. Quo in genere multi Sacerdotes præclara exempla reliquerunt.

S. Auguſtinus, ut nulla, quemadmodum ipſe loqui ſolebat, ſtilla temporis, quæ carò illi valebat, perderetur, de die laborabat in juvandis hominibus , noctis verò non modicam partem in libris ſcribendis inſumebat. Vita l. 3. c. 22.

S Bernardus, quantopere otium fugerit, vel ex ea, quam de jactura temporis protulit , ſententia colligere licet , ſic enim loquitur ? in ſerm. ad ſchol. *Nihil pretioſius tempore, & heu nihil hodie viliùs reputatur. Tranſeunt dies ſalu-*

tis, & nemo recogitat. Nemo ſibi perire diem, & nunquam redditurum cauſatur, ſed ſicut capillus de capite, ſic nec momentum peribit de tempore. Unde ut præteritum quoque tempus aliquo modo repararet, DEUM ſ. 20. in Cant ſic alloquitur: *De mea miſera vita ſume obſecro reſiduum annorum meorum; pro his verò, quos vivendo perdidi, quia perditè vixi, cor contritum & humilitatum non deſpicias.*

S. Ignatius Lojola non modò ipſemet ſtudioſiſſimè otium vitabat, ſed ſuos etiam, ne otiandi occaſionem haberent, pluribus præponebat officijs. Hinc cùm aliquos ex ſocijs ſuis aliquando otiantes videret, mox præcepit, ut acervum lapidum in proximo ſitum in ſummam ædium conſignationem ferrent, iterùmque ad priſtinum locum referrent. Hiſt. Soc. p. 1. l. 7. n. 5. & Maff. l. 3. c. 6.

Jacobus Merlohorſtius horas etiam & momenta temporis æſtimabat: nihil male, nihil aliud agenti elabebatur. nihil ſubducebatur ne per cibi quidem ſumptionem: nihil auferebatur per intempeſtiva colloquia: paucas ſomno indulgabat horas: in multam noctem ad undecimam & ultra lucubrare ſolitus. Primo diluculo vacabat precibus, inde Matutinis cantandis, legendo ſacro, diviniſque officijs & muneribus Parochialibus occupabatur, quod reliquum erat, ſtudijs impendebat. Maximæ ejus deliciæ erant libri Spirituales & SS. Patrum volumnia, quibus identidem immorabatur, & imbecillo ſemper corpore, & ægra valetudine, quod de S. Gregorio traditum eſt, immoriebatur. Vit. c. 23.

III. Secundum otioſitatis genus eſt, cùm aliud agitur, quàm ratio ſtatus & Perſonæ exigat, ut cùm Sacerdos curis ſæcularibus, negotiationibus, litigijs, ludis, venationibus tempus impendit: de quo genere locutus eſt Seneca ep. 9. ad Lucil. dum dixit: *Magna pars vitæ elabitur malè agentibus, major nihil agentibus, tota vita aliud agentibus.* Unde Sacerdotes vel hoc titulo à talibus negotijs abſtinere debent, quòd milites ſint DEO ſub Chriſto Duce militantes, *nemo* autem, ut S. Paulus 2. Tim. 2. ait. *militans DEO implicet ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.* Quod quidem ſequentes Sacerdotes ſingulari ſtudio obſervârunt.

S. Igna-

S. Ignatius noluit ſe in cauſa matrimoniali Neptis Fratris ſui interponere dicens, Religioſos iſta Urbanitatis officia fuggere debere, ut ea, quæ DEI ſunt, impenſiùs curare poſſint. Hinc ijs, qui per ipſum in aulas Principum admitti cupiebant, dicere ſolebat, ſe quidem præſtantiorem Dominum neſcire, quàm quem ipſe ſibi delegiſſet; in hujus familiaritatem, ſi vellent, ſe omni ope adniſurum, ut recipiantur. Hiſt. Soc. p. 1. l. n. 16 l. 5. 5. c. 5

Joannes Polancus è Societate JESU, Domino cuidam multa de bello nuntianti per literas reſpondit: De diſſidijs inter Chriſtianos Principes Societati noſtræ nec dare litteras, nec accipere gratum eſt. *Sapienti pauca.* Vale. Hiſt. Soc. p. 2. l. 1 n 39.

Limæ cùm Pater quidam Societatis Jesu alicui ex primoribus operam ſuam in ſæculari negotio negâſſet, ille alienato è Societate animo ſtatuit alijs confiteri, ad quos dum properat, clarè & diſtinctè vocem audiît dicentis: *deſeras; nec enim illos volo, quibus tu quærebas, & volebas, negotiis occupari.* Annuæ Soc 1603. in Coll. Limenſi.

IV. Audiant ergo Sacerdotes S. Paulum 1. Theſſ 4. hortantem: *Rogamus vos Fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcipimus vobis.* Et iterum 1. ad Cor. c. 15. *Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Sic ſanè illis aliquando cum veritate illud Sap. 10. dicetur: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius.*

Exempla Taciturnitatis.

I. Taciturnitas eſt virtus, quâ inordinatus loquendi appetitus cohibetur; quæ proin tres ob cauſas Sacerdotibus ſummè neceſſaria eſt. 1. Quia cùm DEO ſpecialiter conſecrati ſint, atque ad ipſum laudandum, & ſi non quotidie, frequentiùs tamen, quàm Laici ſoleant, ſumendum ſint vocati, meritò linguam tanquam primarium harum actionum inſtrumentum, purum, & ab omni peccato liberum cuſtodire debent, cùm, ut rectè advertit S. Jacobus c. 1. *Si quis ;*

putat ſe Religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, hujus vana ſit religio 2. Quia, cùm ipſe ratione Muneris ſui tum publicè per conciones, tum privatim per colloquia & adhortationes loqui debeat, hoc ipſo priùs artem ſilendi, quàm loquendi addiſcere debet, uti rectè S. Hieronymus advertit in c. 3. Eccl. dicens: *Diſcamus & nos priùs non loqui, ut poſtea ad loquendum omnia reſeremus. Sileamus co- to tempore, ad præceptorum eloquia pendeamus, nihil nobis videatur rectum eſſe, niſi quod diſcimus, ut poſt multum ſilentium de Diſcipulis efficiamur Magiſtri.* 3. Quia, cùm ipſe magis neceſſe habeat, virtute ex alto per Spiritus Sancti inhabitationem inſtrui, per Taciturnitatem illi dignam habitationem & templum præparare debet; ſic enim S. Petrus Damian. ep. 130. monet, dum ait: *Dum ſtrepitus humani ceſſant alloquij, conſtruitur in te per ſilentium templum Spiritûs Sancti. Hinc eſt, quòd de Iſraelitici templi conſtructione ſacra teſtatur hiſtoria, quia malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo Domini, cùm ædificaretur; templum quippe DEI per ſilentium creſcit, quia cùm mens humana per exteriora verba ſe non diffundit, in ſublime faſtigium Spiritualis ædificij ſtructura conſurgit, tantóque ſuccreſcens in altiora ſuſtollitur, quantò exterius per cuſtodiam ſilentij exteriùs ſeſe fundere prohibetur, cuſtos enim Juſtitiæ ſilentium.* Duo autem ſunt officia hujus Taciturnitatis.

II. Primum eſt, ut, cùm omnino tacendum eſt, ſilentium accuratè cuſtodiatur, puta quando ſecretum cuſtodiendum, defectus proximi ſupprimendi, ſermones ſacri audiendi, aut alia officia Eccleſiaſtica obeunda, lex ſilentij ſervanda &c. nam ut Smaragdus in reg. S. Benedicti advertit, *qui Taciturnitatis virtutem veraciter amat, neceſſe eſt, ut ad tempus etiam à bonis locutionibus taceat, ut virtutes cæteras ad tempus tacendo nutriat, quas nutritas iterum tempore congruo ſapienter proferat.* Id quod multi Sacerdotes diligenter obſervârunt.

S. Thomas Aquinas tam tenaciter ſilentium cuſtodivit, à Condiſcipulis bos mutus fuerit vocatus, quem tamen Albertus Magnus illius Magiſter ſuo tempore ſic mugi-

rum prædixit: ut totus Orbis cum admiratione illum auditurus ſit Vita. 7. Mart.

B. Godefridus Ambiani Præſul, quotieſcunque iter faciebat, comites præcedere juſſit, causámque hujus moris interrogatus reſpondit, ſe id facere, ut ſilentium magis ſervare, atque ab otioſis ſermonibus cavere poſſit. Drex. in Phaëthont. c. 41. §. 4.

Abbas Agatho toto triennio lapidem in ore geſtavit, ut ſilentium obſervare cogeretur. Vit. Patrum.

De Hor Abbate nonagenario tria ſpeciali laude & admiratione digna commemorat Heraclides. 1. Quòd nunquam mentitus ſit. 2. Quòd nulli unquam maledixerit. 3. Quòd nunquam citra neceſſitatem locutus ſit

S. Arſenio quærenti, quâ ratione proficeret ad ſalutem? vox cœlo delapſa reſpondit: Fuge, tace, quieſce, hæc ſunt principia ſalutis. S. Ephrem to 12. in apophtegm.

S. Bernardus in Monaſterio Clarevallenſi tantum cum ſuis Monachis ſilentium obſervabat, ut hujus ſilentij fama apud ſeculares homines ſupervenientes non modò ſingularem erga illos reverentiam excitârit, ſed etiam à verbis ſuperfluis, ne dicam pravis & noxijs cavendis incitârit, Vit. l. 1. c. 7.

III. Alterum officium Taciturnitatis eſt, ut, cùm loquendum eſt, omnes circumſtantiæ, puta materia, ſonus, locus, & geſtus, ita obſerventur, ut dici ſuo modo de loquente Sacerdote poſſit, quod de Job olim dictum eſſe, *S.* Scriptura meminit: *In his omnibus* non peccavit Job labijs ſuis quod quidem quàm difficile ſit, ex eo facilè colligitur, quòd *S.* Jacobus c. 3. dixerit: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Unde tantò magis honorandi ſunt aliqui *S*acerdotes, quantò hoc perfectiùs officium obſervânt.

S. Ignatius Lojola ſic loquebatur, ut ſermo ejus ſemper eſſet ſententijs gravis, ſimplex, parcus, conſideratus, & narratio potiùs, quàm amplificatio, aut confirmatio, aut contentio. In rebus alicujus ponderis diu hærebat, levibus prætermiſſis. Viros graves nunquam Authores proferebat, niſi in rebus gravibus & certis. In laudando parcus, parcior erat in vituperando, unde ſupperlativis vix utebatur. Audiens aliquid, quod ad iram vel turbidiorem motum in-

citare potuiſſet, ſtatim ſe colligebat, jungebátque cum Deo &, quid reſponderet, accuratè meditabatur. Vit. l. 5. c. 6.

Idem P. Salmeroni & P. Paſchaſio Broëtho in Hyberniam ituris hæc loquendi documenta dedit. 1. Ut in loquendo eſſent moderati & parci, in audiendo faciles, & patientes, & tamdiu audirent, donec alter ſua omnia explicâſſet, ac tum demum breve, faciléque reſpoſum ſubijcerent, unde omnis inſtandi præcideretur occaſio. 2. Ad omnium mores ſe accommodarent, quantùm fas ſineret, omnibus omnia facti; unde cum acri & incitato & ipſi lenitudinem in agendo moroſam exuerent: contra cum circumſpecto & tardo in loquendo, & ipſi tarditatem, gravitatémque induerent: cautè autem cum iracundis agendum, nec iracundè ſed patienter; &, qui ſeipſum iracundum nôrit, præmuniendum ante animum. 3. Cogitandum, fore, ut omnia ſua dicta publica, privata in vulgus emanarent. Hiſt. Soc. p. 1. l. 3. n. 48.

Abbas Pambo, cùm illum pſalmi 38. Verſum: *Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea:* audiviſſet, ſatis eſt, inquiebat, reliqua audiam, cùm hoc opere implevero. Multò deinde poſt tempore reverſus cùm interrogaretur, cur ad Magiſtrum ſuum redire tamdiu diſtuliſſet? nondum ſe illud, quod didicerat, perfeciſſe dixit, ſcriptum autem eſſe ab Apoſtolo: *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm.* Vit. Patrum.

Alanus de Solminihac has ſibi leges ad loquendum præſcripſerat: Curabo, ut erga quosvis ſim affabilis: verbis durioribus abſtinebo, non loquar de aliorum imperfectionibus, modeſtiæ & religioſæ gravitati ubivis ſtudebo, in congreſſu, ſi non muneris mei ratio vel lex caritatis aliud ſuadeat, auſcultare magis, quàm verba facere ſatagam, colloquia mea, quantùm fieri poteſt, de rebus ſpiritualibus ad alios amore DEI inflammandos inſtituentur. Quas omnes leges ſumma cum accuratione ipſum obſervâſſe, author vitæ l. 3. c. 18. teſtatur.

IV. Meritò ergo quivis Sacerdos præclaram S. Ambroſii l. 1. de offic. ſententiam altè menti inſculpere, & obſervare debet: *Alliga ſermonem tuum, ne luxuriet, ne laſciviat & multiloquio peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior, &*

pis coërceatur ; citò lutum colligit amnis & undas. Jugum ſit verbis ſuis & ſtatera, atque menſura, ut ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus.

CAPUT II.

DE EXEMPLIS SACERDOTUM AD PROXIMI SALUTEM PERTINENTIBUS.

UT & in his Exemplis referendis ordinatè procedam, in duos Titulos totum hoc caput dividam, in quorum primo Exempla in agendo cum variis Perſonis, puta Infidelibus, Hæreticis, Peccatoribus, Chriſtianis bonis, Infirmis, Captivis, Peſtiferis, Pauperibus, Conſanguineis, Benefactoribus, Domeſticis, Adoleſcentibus, & Defunctis, relicta; in ſecundo verò Exempla in functionibus Sacerdotalibus, nempe Concionibus, Confeſſionibus, Cathechizationibus, & privatis converſationibus exhibita referentur.

TITULUS I.

DE EXEMPLIS IN AGENDO CUM VARIIS PERSONIS.

§. I.

De Exemplis Caritatis erga Infideles.

1. Per Infideles hoc loco intelliguntur omnes extra Eccleſiam conſtituti, nimirum Ethnici, Turcæ, Judæi & ſimiles; ad quorum converſionem meritò Sacerdos quivis, qui DEUM ſe diligere profitetur, ſedulò cooperari debet; *quomodo enim*, ait S. Bonaventura p. 2. Pharetr. diu. amor. c. 1. *quis poſt dicere ; ſe diligere DEUM, & ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt in ſterquilinio jacentem, & non curat ? aut ſi cogitat, quòd Filius DEI pro animabus redimendis mortuus eſt, & ipſe pro animabus mori non cupit ?*

cupit? Quomodo credis, te amicitiam Sponſi habere, qui ejus Sponſam ab adulterio non cuſtodis? aut eam feſtinanter ad Sponſum non reducis? Hinc meritò zeloſi Sacerdotes omnem operam ac conatum adhibuerunt in Infidelibus ad ovile Eccleſiæ Catholicæ reducendis.

S. Paulus de ipſo ad Philippenſes c. 1. ſcribit: *Teſtis eſt mihi DEus, quomodo vos omnes cupiam in viſceribus Jeſu Chriſti* & ad Rom. 9. *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo; optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro Fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem.*

S. Baſilius jam in agone conſtitutus petijt vitam adhuc prorogari uno die, ut Judæum, qui promiſerat, ſe fidem Catholicam ſuſcepturum, ſi Epiſcopus in ſequentem diem viveret, ovili Chriſti aggregaret, quem proin ipſemet cum tota domo in Eccleſiam deſcendens baptizavit, & paulò pòſt rediens in lectum mortuus eſt. Spec. Ex diſt. 8. ex 85.

S. Franciſcus Xaverius adeò ferventem habebat Zelum alienæ ſalutis promovendæ, ut ei innatus videretur. Hinc ille toto impetu ferri, in hoc totus eſſe, hoc omnibus expetere votis, in hoc maximè acquieſcere, ut Chriſto aggregaret quàm plurimos. Hinc non contentus ad Indos & Japones ſuam caritatem extendiſſe, ipſa etiam Sinarum clauſtra ſeveriſſimis licèt legibus & cuſtodijs firmata penetrare cum aperto capitis periculo tentabat. Miſſiones ſuas ſemper pedibus, quoad licuit, & ſæpe nudis, per calentes arenas & loca ſpinoſa inſtituit. Multos Reges Idololatras Chriſto adjunxit, & multa centena hominum millia ſuâ manu baptizavit. Vita. 6. c. 10.

S. Franciſcus Borgia, cùm Jacobus Laynes Generalis nomina eorum, qui ad Indos mitti cuperent, ad ſe perſcribi juſſiſſet, etſi legibus iſtis ipſe ſolutus tunc eſſet, ſuâ tamen manu ſcripſit, optare ſe pro Chriſti nomine apud Indos ſanguinem fundere, capútque periculis amore Proximi objicere. Orare itaque, bonâ illius veniâ liceret in eam expeditionem proficiſci, precibúsque ad DEUM fuſis hanc illi voluntatem promoveret. Vita l. 4. c. 7.

S. Vincentius Ferrerius ex Judæis ſupra viginti quinque millia, ex Saracenis octo millia convertit, per ſingulas co-

ru

rum regioness ſuâ valentina ac maternâ linguâ loquens, quam tamen omnes perinde percipiebant, ac ſi propriâ fuiſſet locutus. Vita 5. April.

Vincentius Rodericus è Societate Jesu cùm in Braſilia Catechumenum brevi à barbaris devorandum baptizare non poſſet, eique aqua negaretur, à femina caſu tranſeunte, & in cucurbita aquam ferente hauſtum aquæ petijt, & interea ſtrophiolum aquâ intinxit, eóque ſuper mactandum expreſſo, prolatáque formâ hominem baptizavit. Hiſt. Soc. p. 1. l. 13. n. 20.

Joannes de Montoia ex eâdem Societate ſeptuaginta annorum Senex tam indefeſſi erat zeli, ut duo Indica idiomata addiſceret, & longiſſima itinera ærumnis pleniſſima ſuſciperet, quo factum eſt, ut plantæ ei putreſierent, & crura fœdè ſauciarentur; per rupes enim & montes nunquam antea viſas, nec humano pede calcatas peregrinabatur, & flumina traijciebat rapaciſſima, magnâ cibi & potûs inopiâ vexatus, & ob itinerum aſperitatem vehementer afflictus. Omnis ejus conſuetudo cum plebeis hominibus fuit, & tales Proceres ſuos, Comites ac Marchionnes appellabat. Syllab. Prov. Pervanæ 30. Nov. 1590.

Alphonſus Barzena Societatis Jesu Sacerdos miſſus in Pervanam, inde in Tucumaniam, & Paraquariam undecim illarum Gentium linguas perdidicit, & per ſumma corporis incommoda annis triginta duobus Evangelium illis prædicavit, crebrò quinos, ſenósve dies ſine cibo extraxit, ſolâ paſtus Eucharistiâ, unde vulgò Peruvij Apoſtolus eſt appellatus. Bibl. ſcript. Soc. fol. 951.

Joſephus Anchieta ex eadem Societate in Braſilia per quadraginta annos aſſiduè Chriſtum prædicavit, longa itinera conficiendo, ſæpè nudis pedibus per ſaxa, per cœnum, cum fame & ſiti, & multis incommodis, ſed fructu maximo, ita ut vulgò Apoſtolus & Thaumaturgus Braſiliæ ſit appellatus. Bibl. Script. Soc. f. 955.

Antonius Criminalis Soc. Jesu totam Comorinenſium oram, ducenta ampliùs paſſuum millia, pede nudo, ſingulis menſibus viſitabat, omnibus omnia factus. Hiſt. Soc. p. 1. l. 9. n. 123.

II. Audiant ergo Sacerdotes & illa ſibi S. Gregorii ho. 6. in Matth. verba approprient; *In quantùm vos profeciſſe penſatis, etiam vobiſcum alios trahite: in via Domini ſocios habere deſiderate: ſi ad DEUM tenditis, curate, ne ad eum ſoli veniatis* Conſiderent præterea, ut S. Carolus Borrom. in act. Mediol l. 3. c. 2. f. 838. loquitur, *terribilem animarum ſtragem, quam generis humani ſempiternus hoſtis Sathanas facit, quantam in illis perdendis ſollicitudinem adhibeat, quibus utatur Miniſtris, quâ alacritate, quibus laboribus ac vigiliis ſceleſti Miniſtri opus urgeant indefeſſi & aſſidui, iidémque perpetui & obfirmati. Quare turpiſſimam rem facturos ſe exiſtimare debent JESU Chriſti Miniſtri, ſi ita Magiſtri ſui voluntatem, dignitatémque ſuam, atque ſempiterna præmia perdant, ut à Sathanæ Miniſtris ſuperari ſe ſinant, patiantúrque, ut illi majori ſtudio ad ſe, aliósque perdendos, quàm ipſi ad ſuam, & aliorum ſalutem tuendam incumbant.*

§. II.
De Exemplis Caritatis erga Hæreticos.

I. Etiam hæc Caritas non negligenda eſt Paſtoribus animarum, cùm enim Paſtoris boni præcipuum officium ſit, oves errantes quærere, & ad ovile reducere, inter ejuſmodi oviculas autem vel maximè Hæretici numerari poſſint, ut qui per baptiſmum quidem in Eccleſiæ ovile ſunt recepti, per varios autem Hæreſum ſuarum errores ſeducti ab eodem receſſerunt, meritò Sacerdotes velut Paſtores à Chriſto conſtituti, omnem conatum & induſtriam adhibere debent, ut eoſdem ad dictum ovile per errorum ſuorum abjurationem reducant, id quod multi zeloſi Sacerdotes egregiè præſtiterunt.

S. Auguſtinus non ſolùm ſcriptis quàmplurimis adverſus Pelagianos, Donatiſtas, & alios libris eoſdem reducere conatus eſt, ita ut perpetuus Hæreticorum malleus appellatus ſit, ſed etiam cominùs, & in publicis congreſſibus, Orthodoxâ Eccleſiâ ſpectante, veritatis deſertores impugnavit, ita

ut

ut Voluſianus Romanus Nobilis per ejus Epiſtolam ad Chriſti ovile pertractus dicere auſus ſit, DEI legi deeſſe, quidquid Auguſtinum contigerit ignorare. Vit. l. 3. c. 13. & 19.

S. Franciſcus Saleſius à Granerio Epiſcopo vindicandis ab Hæreſi Calviniana Chaballicenſibus, aliiſque Genevæ finitimis populis divini Verbi Præco conſtitutus, eam expeditionem non ſolùm alacri animo ſuſcepit, ſed etiam aſperrima quæque perpeſſus, ſæpe ab Hæreticis ad necem conquiſitus, variiſque calumnijs & inſidijs vexatus, inter tot diſcrimina, & agones inſuperabilis extitit, Deique ope protectus ſeptuaginta duo millia Hæreticorum ad Catholicam fidem reduxit, inter quos multi nobilitate & doctrinâ inſignes numerantur. Brev. Roman.

S. Carolus Borromæus circa poſtremos vitæ annos vigorē Commiſſionis Pontificiæ in varia loca hæretica ablegatus, incredibili caritate & fortitudine hoc officium ſuſtinuit, plurimóſque ad Religionem Catholicam revocavit; Apoſtatas verò Religioſos ad habitationem commodiorem tranſtulit; nec remorari ejus fervorem valuerunt improviſæ adverſitates, atroces injuriæ, incurſus armatorum hoſtium, inſidiæ, & id genus alia ſexcenta mala, quæ multifariam ſe offerebant. Vit. compend. c. 20.

S. Amphilochius Iconij Epiſcopus, cùm Imperator Theodoſius Arrianos divinitatem Filij negantes, ut ipſe petierat, ex urbe eijcere nollet, accedens ad aulam cum alijs Epiſcopis, his Arcadio Filio recenter Imperatori deſignato honorem gratulantibus, ſolus gratulari noluit; cúmque id Pater Theodoſius ægre ferret, & expelli eum juberet, dixit: Siccine tu Imperator graviter fers contemptum Filij tui? Revoca ergo in mentem, odiſſe & DEUM eos, qui per blaſphemiam honoris aliquid adimunt unigenito Filio ſuo. Quo audito, Imperator Senis prudentiam miratus, mox omnes Arrianos urbe expelli juſſit. Theol. l. 5. c. 16.

Eduardus Augerius è Societate Jesu Concionator per Galliam ſui temporis celeberrimus, per multos annos & multis in urbibus eo munere functus eſt tanto zelo atque fructu, ut unus ipſe ad 40. millia hominum ab Hæreſi ad Catholicam fidem feratur revocâſſe. Bibl. Script. f. 953.

Rober-

Robertus Bellarminus Cardinalis è Societate JESU aſſumptus, ut Hæreticis ſuos errores oſtenderet, ſicque ad Catholicam fidem reduceret, Controverſiarum Chriſtianæ Fidei tres tomos ſcripſit, qui in ſolo Septentrione vigeſima editione ſunt publicati; de quibus Card. Baronius dixit, eos eſſe Turrim & propugnaculum David, ex quo mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, ut Jeruſalem noſtra adverſus oppugnationes hoſtium ſecura ſit. Bibl. Script. f. 721.

Alanus de Solminihac, poſtquam advertit in ſolemni inauguratione ſui ad Epiſcopatum ſe juráſſe, omni conatu ſe Hæreticos perſecuturos, huic obligationi ſatisfacturus, idipſum toto Epiſcopatûs ſui tempore indeſinenter præſtitit, ut non eos perderet, ſed Chriſti JESU lucrifaceret, illique ſuis erroribus Nuntium remitterent: finem verò deſideratum aſſecuturus, tribus diverſis modis uſus eſt, ſuavibus cohortationibus, doctrina efficaci hæreſi oppoſita, & precibus ac mortificationibus. Si in primis Viſitationibus ad locum quempiam veniſſet, cujus inquilini Hæretici erant, prima ejus oppugnatio ſuavitate & caritate redundabat, conabatur illos mirâ dexteritate ad ſuas conciones attrahere, in quibus cor ſuum ipſis manifeſtabat, amorem verſus ipſos incredibilem teſtatus, veſter, inquiebat, ſum Epiſcopus, verus & legitimus omnium Paſtor, ſum paratus meam pro vobis vitam ipſi etiam morti exponere, id quod veſtri Miniſtri nunquam facturi ſunt. Hæc, hiſque ſimilia verba cum vehementi quodam fervore pronunciata ceu faſcinum quoddam errantium animos oblectabant, hinc undique non pauci, quòd eorum vim ſuſtinere nequirent, inter ejus ſe brachia conjecerunt, ſuóſque errores abjurârunt. Vita l. 2 c. 17.

Petrus Pazmanus Cardinalis itidem è Societate JESU aſſumptus, Hæreſes & Perfidiam in Hungaria, tum pro ſuggeſto publico in templis, tum privatis congreſſibus, tum ſcriptis lucrubationibus tam potenter profligavit, ut potiſſimá Pannoniæ Nobilitatem tempeſtiva comitate & ſui indulgentia ac morum ſuavitate ad Orthodoxam fidem reduxerit. Bibl Script. f. 690.

Ertmannus Toglſtorf in Livonia per miſſiones annis ſedecim obitas inter Hæreticos, plurimos Hæreſi ad fidem

Catholicam reduxit, ut vulgò Livoniæ Pater fuerit nominatus. Bibl. Script. f. 196.

II. Itaque Sacerdotes S. Chryſoſtomum orat. 5. adverſus Judæos ſic adhorantem audiant: *Cogita, quamobrem Propheta, quamobrem Apoſtolus, quamobrem, Juſti quamobrem Angeli frequenter miſſi ſunt, quamobrem ipſe Promogenitus Filius ac Verbum DEI advenit, an non ut homines ſervaret? an non ut eos errantes reduceret? hoc idem fac, agas tu quoque pro viribus tuis, omnéque ſtudium ac ſollicitudinem impendas ad reducendum eos, qui aberrârunt.*

§. III.

De Exemplis Caritatis erga Peccatores.

I. Cùm ad Paſtorem bonum pertineat, non errantes ſolùm oves quærere, & reducere, ſed etiam infirmas, & varijs ſeu morbis, ſeu vulneribus ſubjectas curare, facilè apparet, quantopere Sacerdotes velut Paſtores ſpirituales Animarum obligentur ad ſingularem Caritatem erga Peccatores utpote graviſſimis, & periculoſiſſimis morbis, vulneribúsque oppreſſos demonſtrandam; ut cum veritate uſurpare illa S. Prophetæ verba poſſint Pſ. 68. *Zelus domûs tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſupra me.* Maximè cùm hæc ipſa Caritas non parùm conducat, ad peccatorum propriorum deletionem, & ſalutem ſuam aſſecurandam, uti S. Jacobus c. 5. teſtatur, dicens: *Qui converti fecerit Peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudiem peccatorum.* Porro tribus potiſſimùm officijs hanc ipſam ſuam Caritatem erga Peccatores oſtendere debet.

II. Primum eſt *Oratio fervens* frequenter pro ipſis oblata: nam ut S. Auguſtinus l. 4. de doctr. Chriſt. c. 15. rectè advertit, *Munus ſuum ut præſtet (Sacerdos) magis pietate opus eſt orationum, quàm Oratoris facultate, ut orando pro ſe & alijs, quos eſt allocuturus, ſit Orator antè, quàm Doctor.* Quod confirmans S. Bernardus Epiſt. 101. *Nunc autem*, ait, *manent tria hæc, Verbum, Exemplum, Oratio: major autem horum Oratio, ea namque operi & voci gratiam*

tiam

tiam & efficaciam promeretur. Unde hoc medio præ cæteris uſi ſunt non pauci Sacerdotes.

S. Paulus de ſeipſo c. 1. ad Rom. fatetur: *Teſtis eſt mihi DEUS, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio Filij ejus, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.* Et iterum ad Philippenſes c. 1. *Gratias ago DEO meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens.*

S. Chryſoſtomus, quanti hoc medium æſtimârit, atque adeò haud dubiè etiam uſurpârit, ipſemet ſequentibus verbis ſ. 27. de profectu manifeſtavit: *Poterimus alios corrigere, ſi ad preces ſemper confugiamus, & oremus DEUM, ut det ſermonem Sapientiæ & intellectum auditûs, certámque & inde probabilem hujus depoſiti cuſtodiam, ſæpe enim contingit, ut, quæ ſtudio noſtro corrigere non poſſumus ea per preces efficere valeamus, per preces, inquam, perpetuas.*

S. Ignatius Lojola, cùm Lutetiæ quendam veſano pellicis amore implicitum, nulla oratione è cœno extrahere poſſet, die quodam extra urbem in lacum frigidiſſimum viæ, quâ Amaſius tranſiturus erat ad turpes delicias, adjacentem, collo tenus ſe immerſit, & adventantem his verbis allocutus eſt: Perge miſer ad tuas fœditiſſimas voluptates; impendentem capiti tuo ruinam non vides? inſtantem peſtem non perhorreſcis? hîc ego pro te me tamdiu macerabo, Deúmque orabo, donec juſtiſſimam illius iram, & vindictam tibi paratam avertam.

S. Cudbertus Epiſcopus commiſſam ſibi plebem & orationibus protegebat aſſiduis, & admonitionibus ſaluberrimis ad cœleſtia vocabat. Et, quòd maximè Doctores juvare ſolet, ea, quæ agenda docebat, ipſe priùs agendo monſtrabat. Erat quippe ante omnia divinæ caritatis igne fervidus, patientiæ virtute ornatus, orationum devotioni ſolertiſſimmè intentus, affabilis omnibus, qui ad ſe conſolationis gratiâ veniebant, hoc ipſum orationis loco ducens, ſi infirmis Fratribus opem ſuæ exhortationis tribueret. Vita 20. Mart.

III. Secundum officium eſt *Sedula cura* per inſtructiones & adhortationes tam publicas, quàm privatas, Sacramentorúmque adminiſtrationem impenſa; de qua S. Paulus 1. ad Cor. 4. locutus eſt, dicens: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, diſpenſatores Myſteriorum DEI. Hîc jam quæritur inter Diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*, id eſt, Sedulus in tali Myſteriorum & Verbi divini adminiſtratione, nemini dans offenſionem, ut non vituperetur Miniſterium ſuum, ſed in omnibus exhibens ſe ut DEI Miniſtrum, ut idem Apoſtolus 2. ad Cor. 6. hortatur Quales quidem Miniſtros non paucos hactenus numeravit Eccleſia

S. Paulus de ſe ipſo 1. ad Cor. 15. ſcribit: *Gratiâ DEI ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi.*

S. Joannes Evangeliſta, ut Adoleſcentem quempiam Prædonum Ducem factum reduceret, inter arma Sicariorum, per montes & ſilvas eundem; velut ovem perditam requiſivit.

S. Carrolus Borromæus circuibat omnia caſtella ac villas ampliſſimæ ſuæ Diœceſeos, per aſperos montes, horridáſque valles, prædicando ſine intermiſſione Verbum DEI, extirpando abuſus, alliciendo ad pœnitentiam Peccatores, reſtaurando Eccleſias, vultus agnoſcendo ſingularum ovium, quas incomparabili caritate paſcebat, & inveteratis earum vulneribus medebatur. Nullum hyeme frigus, nullus æſtate calor uſque adeò urens extitit, nullus tam difficilis & auſterus labor, quin à Carolo perlubenter latus fuerit, qui ſaxoſas & ſubinde inacceſſibiles vias penetravit pedes, utique ſuſtentatus potenti zelo ſalutis animarum, qui ſpoliatum omni voluntaria & propemodum etiam neceſſaria quiete, graviſſimis occupationibus circumveniebat. Vitæ compend. c. 20.

S. Franciſcus Xaverius confeſſionibus audiendis, reconciliandis diſſidentibus, ægris ſublevandis, aliíſque pietatis officijs tam ſedulò ſe impendebat: ut ſæpe cibi & potûs oblitus, biduum, triduúmve traduceret jejunus. *S*enſiſſes eum talibus miniſteriis, divinóque obſequio paſci. Vita l. 6. c. 10.

Petrus

Petrus Faber è Societate Jeſu nullas prætermittebat occaſiones ſerendæ pietatis, indagabat vias omnes omnibus conſulendi, &, quocunque ingrediebatur, omnem ſermonis occaſionem intenta mente captabat. Belliſſimum dicebat eſſe & noſtri Ordinis proprium, relinquere in omnibus domibus & hoſpitijs veſtigium aliquod ſanctitatis, ubique colligendum, cùm debitores ſimus omnibus, & ubique nos ſpectet Deus, cujus Famulos adminiſtros & nos eſſe voluit Hiſtor. Soc. l. 3. n. 29.

Petrus Forerius non ipſe duntaxat indefeſſo ſtudio ac labore ſaluti alienæ procurandæ invigilabat, ſed alios etiam ad eandem curam ſtimulabat, inter alias rationes adducere ſolitus, quòd DEO ſanguinem ac vitam debeant, quam ſponte prolis in monte Calvariæ poſuit; ille verò hoc debitum Peccatoribus transſcribat, atque adeò quisque ex juſtitia obligetur, ut nec ſanguini, nec ſudori nec vigilijs, nec vitæ ad converſionem Peccatorum ſeriò procurandam parcat. Adjungebat porro, non eſſe, ut infernum quis metuat, ſi ſit certus, ſe vel unam animam ſuâ induſtriâ ſerváſſe; nunquam enim ejusmodi potentem advocatam commiſſuram, ut ſuus liberator captivus detineatur, quin potiùs omnem, quam poterit, fidem apud DEUM, Deiparam, Angelos, omnesque Cælites interpoſituram, ut eum, à quo ſervata fuerat, in ſalutem aſſerat, & cujus ope ſubtracta erat tormentis, transferat in gloriam. Vita l. 2 c. 6.

P. Ludovicus de Ponte tam ardenti erga Peccatores zelo flagrabat, ut paratum fore ſe dixerit, ad ipſas etiam inferni flammas, ſi neceſſarium foret, absque peccato tolerandas. Aliàs verò Filiæ cuidam ſpirituali dixit, ſe tantam curam habere promovendi omnes, qui ſecum agunt, ut nihil ſit in Mundo, quod etiam pro quolibet eorum profectu facere non ſit paratus.

IV. Tertium officium eſt, ut *pœnis voluntariis* ipſorum amore ſuſceptis divina illis miſericordia concilietur; *Zelo* namque *domûs DEI comeditur*, inquit S. Auguſtinus ſup. Joan. *qui omnia perverſa, quæ videt, cupit emendare; & ſi emendare non poteſt, tolerat, ac gemit*, & pro ijs, velut ſua forent, ſatisfacere ſtudet: quod medium ad hunc finem ad hibere S. Chriſtina Mirabilis à DEO edocta adhibere ſtuduit,

duit, ut quæ, licèt acerbiſſimas pro Peccatoribus pœnas ſuſceperit, & ſæpe ſe in ardentes clibanos conjecerit, per ſpinas acutiſſimas volutârit, in nivem & glaciem abdiderit, in rotas molinarias contorquendam ſe projecerit, ſemper tamen nullâ parte corporis læſa, in majores pœnas eſt reſervata, uti Surius 23. Jun. teſtatur. Sed & non pauci etiam Sacerdotes id ipſum medium ſedulò uſurpabant.

S. Dominicus ter ſingulis noctibus catenâ ferreâ ſe flagellavit, primò pro ſeipſo, tum propter Peccatores in Mundo degentes, tertiò pro animabus in Purgatorio luentibus. Vit. 4 A.

S. Franciſcus Xaverius, cùm hominem quempiam flagitioſum ad frugem reducere non poſſet, è navi ad ſilvam ſeceſſit, & nudato tergo ad ſanguinem uſque flagello in ſe deſæviens, poſtquam ab illo ipſo Peccatore in hoc actu deprehenſus eſt, ad genua procidentem, & peccata ſua graviter deteſtantem abſolvit, & ad meliorem vitam reduxit. Vita.

Vincentius Caraffa Societatis Jesu Generalis pro curandis Peccatoribus aſperas pœnas ſubibat, de ijs ſolitus pronuntiare, quod Servator ſuper alio argumento: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi oratione & jejunio.* Addebat Apoſtoli Gentium exemplo parturiendas eſſe Chriſto animas, id eſt, iis parturiendis puerperij cruciatus eſſe perpetiendos, at non inferendos ijs, quæ patiuntur. Vita l. 2. c. 7.

Ludovicus de Ponte peccatis aliorum ſic utebatur, ſic ea deplorabat, ſic caſtigabat in ſuo corpore, ac ſi ipſe patrâſſet. l. 2. c. 5.

V. Itaque Sacerdotes proponant ſibi ob oculos Chriſti tanta pro Peccatoribus agentis & patientis exemplum, ſimúlque ſequentia S. Chryſoſtomi hom. 3. in Geneſ. verba ſibi applicent: *Ipſe DEUS cùm ſit, propter nihil aliud noſtram carnem induit, & crucem quoque ſuſcepit, niſi ut nos peccato obnoxios à maledicto liberaret. Si igitur ipſe, qui DEus eſt ineffabilis eſſentia ob miſericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos & noſtram ſalutem ſuſtinuit, cur non & nos erga Fratres noſtros juſti ſimus, agnoſcentéſque eos ut membra noſtra, & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis inducamus.* Imò & ipſum Chri-

ſtum his ejuſdem Authoris verbis alloquentem audiant! *Feci ego cælum & terram: eâdem facultate te dono, ut terram facias cælum. Accendi ego luminaria, accende tu illis clariora; nam potes his, qui in errore ſunt, lumen veritatis accendere. Hominem facere non vales, at juſtum gratúmque DEO potes. Vide, quàm te diligam, qui majora tibi faciendi tribuo poteſtatem.* Dicant ergo aſſiduo cum S. Prohета Pſ. 118. *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.*

§. IV.

De Exemplis Caritatis erga Inimicos.

I. Quàm propria ſit etiam hæc Sacerdotibus Caritas, vel ex eo patet, quod cùm ipſis præcipuè incumbat, Eccleſiam protegere & conſervare, hoc ipſo etiam ad eos pertinebit efficere, ut membra illius per concordiam & caritatem ſimiter ſint unita, atque adeò omnis animorum disjunctio & diſcordia ſtudioſè vitetur, id quod duplici actu procurare debent.

II. Primus ergo actus eſt, ut ipſimet ſuos Inimicos ſincera dilectione proſequantur, & omnem offenſam ab alijs illatam ex corde ignoſcant, juxta monitum Chriſti Math. 5. dicentis: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis Filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Et ſanè cùm ad hanc dilectionem Sacerdos ex munere ſuo alios efficaciter hortari & perſuadere debeat, facilè colligitur, rationi vel maximè conſonum eſſe, ut prior ipſe hanc dilectionem ferventer exerceat & ſic, quod verbis docet, opere confirmet, uti non pauci Sacerdotes, aut Diaconi, aliíve Clerici fecerunt.

Chriſtus tot injurijs à Judæis & alijs graviſſimè læſus, veniam tamen ijſdem à Patre petijt, & dixit: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quod faciunt.* Luc. 23. Unde meri-

hoc exemplum conſiderans S. Anſelmus in hæc erupit verba: *O verbum magnæ patientiæ, magnæ dulcedinis, magni amoris, indicibilis caritatis. Ecce enim non ſuam ſentit injuriam, non pœnam attendit, ſed ipſis potiùs, à quibus patitur, compatitur: à quibus vulneratur; medetur: vitam procurat, à quibus occiditur. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* S. Bernardus verò in tr. 18. de paſſ. c. 8. ulterius hortatur ad imitationem, dicens: *Reconde in theſauro cordis tui hoc verbum, ut, quotiescunque ſæviunt inimici, memoriam abundantiæ ſuavitatis JESU valeas eructare, hunc clypeum contra inimicorum inſultus opponens.*

S. Stephanus quantopere ſuos inimicos dilexerit, quámque efficaciter pro iiſdem oraverit, teſtatur S. Auguſtinus ſ. 1. de SS. dum ejus orationi converſionem Sauli adſcribit, dicens: *Saule, quid me perſequeris? olim quidem debui te perdere, ſed Stephanus meus oravit pro te. Tu inſanis contra nomen meum, ego te faciam ſervum meum. O Saule, lupe rapax, comediſti, exſpecta paululum, & digeres. Eliſus eſt filius perditionis, & erectus eſt vas electionis. Eliſus eſt Saulus, erectus Paulus. Nam ſi Martyr Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.*

S. Sabinus Aſſiſij Epiſcopus cùm à Venuſtiano Tuſciæ Præſide ob Chriſtianam fidem ab initio comprehenſus, poſtea verò manus utraque illi abſciſſa fuiſſet, non modò ex corde talem illi injuriam remiſit, ſed etiam, cùm Venuſtianus mox gravi oculorum dolore vexatus remedium poſceret, libenter acceſſit ferventer pro eo oravit, & efficaciter ſanavit, tantóque beneficio effecit, ut ex inimico amicus, ex infideli Chriſtianus fieret. Surius 3. Mart.

S. Alexander Patriarcha Hieroſolymitanus, cùm unus ex ſervis ſuis aurum furatus eſſet, & propterea in Thebaidem Ægypti fugiens in Latrones incidiſſet, hoc comperto, octoginta Numiſmatis eum redemit, eóque reverſo tam benignè & amicè eſt uſus, ut quidam ex Incolis urbis dixerit, nihil eſſe utilius, quàm in Alexandrum peccare. Sophron. in Prato ſpirit. c. 34.

S. Ignatius cùm Contubernalis quidam invidiâ ſtimulante graviter in ipſum exarſiſſet, ideóque ei renuntiari juſſiſſet, ſe omnes Societatis Jesu homines à Perpiniano Hiſpalim uſque igni traditurum, non modò tali Nuntio offenſum ſe non oſtendit, ſed potiùs in hæc verba reſpondit: *Tu quidem quotquot noſtri in Hiſpania ſunt, cremandos te curaturum dicis, ego verò id dico, & opto, ut & in caritate flagres, & amici tui ac neceſſarij non ſolùm, qui in Hiſpania ſunt, ſed in univerſo orbe terrarum exiſtunt, Spiritûs ſancti igne inflammentur, & ardeant, ut perfectionis culmen adepti divinam gloriam augeant magis & illuſtrent.* Vita l. 5. c 1.

Alanus de Solminihac Epiſcopus Cadurcenſis de ſuis inimicis dicebat: Hi ſunt illi, qui potiorem precum mearum partem ſibi adſciſcunt; nunquam in conſpectu DEI me ſiſto, quin illorum reminiſcar, quia propter miſerum, in quo verſantur, ſtatum eorum miſereor. Orationi conjungebat excuſationem, dicens, tales neutiquam imaginari ſibi, quòd iniquè facerent. Ne verbum quidem, quod ipſis detrimento eſſe poſſet, quóve teſtaretur offenſum ſe, protulit unquam, ſed illud potiùs effatum plerumque protulit, Chriſtiano Chriſti Servatoris injurias potiùs, quàm proprias vindicandas eſſe. Hinc cùm Sacerdos quidam ob atroces calumnias in ipſum effuſas ab officiali in carcerem conjectus eſſet, ſic eum reprehendit Alanus: Quid? auſúſne fuiſti in cuſtodiam dare Presbyterum, quòd me convitijs laceſſiverit? an aliquando audiviſti, DEI Filium propter atroces injurias ſibi illatas aliquem in vincula conjeciſſe? ubi, & quamprimum illum libera, útque DEI conſerves honorem, ſtudium, amorémque nominis mei depone, & cura, ne in territorio meo à quoquam offendatur; nec enim cogitandum eſt, quî nos vindicemus, at bene, quî DEUS noſter vindicetur, quin nunquam non à nobis mortalibus offenditur. Vita l. 3. 14.

P. Edmundus Campianus è Societate JESU, juſſu Reginæ Eliſabethæ in Patibulo ſuſpenſus, & in partes ſectus paulò ante mortem coram innumera populi multitudine hæc verba protulit: Spectaculum facti ſumus & Angelis, & Hominibus. Ego hîc ſpector ſuſpendendus, & in quatuor partes ſecandus quaſi Proditor & Hoſtis Patriæ, ſed tu, Domine

ſcis innocentiam meam, ſcis me non aliud reſpirâſſe, quàm Angliæ ſalutem. Si aliud ſpectâſſem, amplos honores & opes oblatas ab ijs, qui me morti addicunt, acceptâſſem. Sed veniet Eliſabetha dies, qui revelabit occulta cordium, & oſtendet, an ego & Socij te ſincerè amaverimus, qui pro ſalute tua tot periculis, labori, & morti nos expoſuimus? an tui Miniſtri, qui à te nihil aliud quærunt, quàm opes, & dignitates, & tibi adulantes in hæreſin & cædem Sanctorum inducunt. DEUM oravi, & oro, ut hæc mors mea, quam lubens patior, ſit piaculum peccatorum tuorum: tibi veniam, fidem, & felicitatem æternam impetret; & utinam hâc morte à te illata felicitatem tibi emam. Vita

III. Alter actus eſt, ut Inimicos ſive proprios, ſive alienos ad concordiam reducere ſtudeat; ſi enim Filij hujus ſæculi etiam, dum canes in domo ſua rixantes vident, mox compeſcere eos, & à rixa abducere ſtudent, quantò magis Sacerdos in Eccleſia Chriſti rixantes inter ſe filios mitigare, & ad concordiam reducere debet; id quod ſat multi Sacerdotes egregiè præſtiterunt.

S. Franciſcus Xaverius non modò ipſe, ubicunque poterat, inter ſe diſſidentes conciliabat, ſed etiam Socijs ſuis id ſummopere commendavit, monens, ut impensè inculcarent, in controverſijs, litibúſque plerumque plùs impenſæ fieri, quàm quanti id ſit, de quo litigatur. Vit. l. 6. c. 12.

Franſciſcus Strada è Societate Jesu Salmanticæ, cùm duo inteſtinum inter ſe odium foverent, ad quod tollendum tantùm abfuit, ut quis ſuffecerit, ut alter etiam creſcente odio fœdum in ore vulnus acceperit, vocatus ad eos cùm multa nec quicquam dixiſſet, tandem in genua provolutus ad unum illorum dixit: En ego ſum ille, qui te læſi: ego, qui injuram feci, ſed delicti veniam peto, ſed pacem poſtulo per Chriſti crucem. Non tulit has voces alter, ſed confeſtim ambo inter ſe conjuncti omne odium depoſuerunt. Hiſt. Soc. l. 9. n. 6.

Silveſter Landinus itidem è Soeitate Jesu, cùm Cives urbis cujusdam graviſſimis inter ſe odijs diſſiderent, in Cathedra quondam exiſtens Chriſtum in cruce pendentem & velo obductum alloquens, poſtea ſermonem ad Auditores convertens, non priùs ſe eis Chriſtum, velo remoto, oſtenſurum

ſurum dixit, quàm odia mutua deponerent. Quâ oratione perſuaſi Auditores, in mutuos amplexus ruerunt, odiúmque in amorem verterunt. Hiſt. Soc. p. 1.

Mindelhemij in Suevia, cùm anno 1599. duo ob occultas inimicitias totis quinque annis à communione abſtinuiſſent, & ante ipſum etiam Societatis Jeſu Sacerdotem, qui ad eos conciliandos vocatus fuerat, graviſſimis inter ſe jurgijs certâſſent, memoratus Sacerdos, cum dehortando ſe nihil proficere ſentiret, in genua tandem procidens, ambos per Chriſti mortem & vulnera oravit, ut iras ponerent, & pacem & inirent; quo ſpectaculo obſtupefacti illi mox paruerunt. Annuæ Germ. Sup. anno 1599.

IV. Audiant ergo Sacerdotes Salomonis ſaluberrimum monitum c. 25. Prov. *Si eſurierit Inimicus tuus: ciba illum, & ſi ſitierit, potum da illi; prunas enim congregabis ſuper caput illius, & Dominus reddet tibi.* Dicat proin, ſi alios ad lites & inimicitias pronos videt, dicat, inquam, cum S. Paulo 1. Cor. 11. *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia DEI.*

§. V.

De Exemplis Caritatis erga Infirmos.

I. Si ulla alia, hæc quoque Caritas vel maximè convenit Sacerdotibus; cùm enim ex una parte grave admodum, ac moleſtum accidat infirmis quodcunque genus morbi; ex altera verò parte hoc ipſo, quòd difficilè ſit, patienter ejusmodi miſerias sufferre, valde etiam meritorium ſit, ſi debita cum reſignatione & diſpoſitione ſupportentur, meritò egregiam Sacerdos occaſionem habet, magnum illis ſolatium afferendi, & eosdem ad ingentia merita augenda adjuvandi, uti multi inſignes operarij fecerunt.

S. Paulus ſuam erga infirmos caritatem ipſe manifeſtavit, quando 2. Cor. 11. dixit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?*

S. Bonaventura ſuprà, quàm credi poteſt, infirmorum curâ delectabatur, quóque gravioribus morbis aut contagioſis

nibus gravabantur, eò magis ſe eorum obſequio applicabat, & majorem diei partem in his officijs conſumebat. Vita 8. Julij.

S. Nicolaus Tolentinas, licèt propter verbera Dœmonum ſine ſcipione ingredi non poterat, magnà tamen caritate ac promptitudine ægros inviſebat, nec ſolùm ex animo condolebat, ſed etiam, quidquid habere poterat earum rerum, quæ delectant, eis offerebat. Vita 10. Sept.

S. Ignatius Lojola, cùm Coadjutor quidam febri laborans meliori cibo indigeret, tres nummos in eam rem inſumi juſſit, dicentíque Obſonatori nihil Dein pro alijs ſupereſſe, reſpondit: atqui nos ſani arido pane contenti eſſe poſſumus. Aliàs cùm duo Tirones vix pedem in domum intuliſſent, & mox in morbum incidiſſent, alijs ſuadentibus, ut propter rem domi anguſtam ad Noſocomium portarentur, nequaquam, dixit, id fiat; an domi noſtræ locus non erit iis, qui Mundum totum pro DEO reliquerunt? Quæratur locus, & Deus nobis propter illos benefaciet.

Jacobus Merlohorſtius Parochus nihil antiquius babebat, quàm ut ægros, Parœciæ cognoſceret, & ſtudijs aliíſque quibuscunque rebus ſepoſitis inviſeret, admoneret officij Chriſtiani, conſolaretur mœſtos, & Sacramentis ultimis ad ſupremam luctam præmuniret; egentibus autem pecunario ſubſidio ſubveniret. Hîc iterum, qui temporis parciſſimus erat, non horas ſupputabat, dies & noctes integras, cùm neceſſitas urgeret, vel æger flagitaret, traducebat: ſæpe cùm ipſe debilis magnis doloribus affligaretur, ſui, ſomníque oblitus noctes integras perdurabat: quæ cauſa morbum & mortem ei intuliſſe videtur. Vita c. 34.

Gabriel de Longrono è Societate JEſu, quoties de nocte Campana in Collegio audiebatur, ſtatim de lecto exiliebat, & Janitoris diligentiam antevertebat, ſciſcitabatúrque, num aliquis infirmus ſe vocaret Annuæ 1612. Colleg. Mexic.

Alanus de Solminihac cum infirmis infirmabatur, & illorum dolorum per compaſſionem particeps fiebat, negotioſior tunc ſpectabatur, quàm Mater aliqua fuiſſet erga Unigenitum ſuum; cavebat, ne quidquam deeſſet, omni horâ, ſi poterat, eos inviſebat, illíſque in vilioribus rebus defere-

deferebat obſequium, nec unquam eos deſerebat, utcunque morbus periculoſus eſſet. Vita l. 3. c. 11.

Vincentius Caraffa Societatis JEſu Generalis tanto ægros amore proſequebatur, ut neque Generalis officium, neque ſquallor Perſonarum, neque locorum fœtor, neque aliorum dehortatio, neque vitæ periculum ab eorum ſervitio eum abſterrere potuerit, unde tandem lethalem ex hoc obſequio morbum contraxit, & mortem, quam in hoc actu caritatis oppetere ſemper deſiderârat, obijt. Vita l. 1. c. 11.

Nicolaus Bobadilla ex eadem Societate in Caſtris Cæſaregis, etſi ipſe laboraret peſtifero morbo, támque debilis eſſet, ut vix veſtigio hæreret, nihil tamen de labore remiſit, ſed ægris diu noctúque in Noſocomio adſtitit. Hiſt. Soc. p. 1. l. 6. n. 56.

II. Itaque Siracidis verbis adhortentur ſe Sacerdotes: *Non te pigeat viſitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis.* Dicant proin, quotieſcunque ad infirmum vocati fuerint, cum Chriſto: *Ego veniam, & curabo* (aut conſolabor) *illum.* Dicant cum Apoſtolo 1. ad Cor. 7. *Factus ſum infirmis infirmus*, non mentiendo, ut ait S. Auguſtinus ep. 18. ſed compatiendo, non ſimulantis aſtu, ſed commiſerantis affectu: *magnum* quippe, teſte S. Gregorio Nazian. *calamitoſo remedium eſt miſeratio ex animo collata, præſertim cùm nihil eorum, quæ medicus adhibenda duxerit, negligi viderit, aut negari.*

§. VI.

De Exemplis Caritatis erga Peſtiferos.

I. Cùm juxta Chriſti teſtimonium, majorem nemo habeat caritatem, quam qui animam ponit pro Amico ſuo, facilè patet, Sacerdoti ad Caritatem Proximo exhibendam ſpecialiter vocato, etiam hoc obſequium negligendum non eſſe, ſed potiùs tantò ferventiùs ſuſcipiendum, quantò præclariorem habet occaſionem Paſtoris boni officium implendi, animámque ſuam pro ovibus ponendi. Quo in genere plures Sacerdotes præclaro exemplo præiverunt.

S. Caro-

S. Carolus Borromæus, cùm Mediolani peſtis acerrimè graſſaretur, peractâ ſupplicatione publica, nudis pedibus collo valido fune, manibus ponderoſâ Cruce inſerta, cum quibuſdam Familiaribus ſuis ſervitium ægrotorum peſte laborantium auſpicatus eſt, & ipſemet infirmis ac moribundis peſtem halantibus Sacramenta miniſtrabat, nihil veritus adſtare lectis expirantium, ſuggerens illis miſericordiam DEI, & plenariam in poſtremo vitæ Articulo indulgentiam largiens. Comp. vit. c. 23.

In Romano Martyrologio 28. Februarij fit mentio illorum Presbyterorum, qui Alexandriæ, cùm ſub Valeriano Imperatore Peſtis graviſſima graſſaretur, morbo illo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetierunt, quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit; de quibus etiam S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus apud Euſebium l. 7. c. 16. ſequens teſtimonium dedit: *Ex Patribus, qui virtute erant præſtantiſſimi, in hunc modum mortem oppetiverunt; adeò ut iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à ſplendore Martyrii abeſſe videretur.*

S. Bernardinus Senenſis, cùm anno milleſimo quadringenteſimo Jubilæo innumera multitudo Peregrinorum Romam euntium peſte correpta in Hoſpitali Senenſi jaceret, & ob intolerabilem fœtorem nemo fermè reperiri poſſet, qui inſervire illis vellet, ipſe imprimis multis ſeptimanis accuratiſſimè, & officioſiſſimè illis miniſtravit; poſtea verò advertens ſe tali labori ſolum non ſufficere, duodecim pios & religioſos Juvenes ad ſe vocans, eiſdem multis argumentis oſtendit, quàm præclarum, Deóque & Proximo gratum obſequium præſtare poſſent, ſi infirmis his ſervire, vitámque, ſi neceſſe foret, in hoc ſervitio ponere vellent; cúmque non difficulter id iis perſuaſiſſet, mox omnes peccata confeſſi & ſacro epulo refecti curam ægrorum magna cum alacritate ſuſceperunt. Itaque S. Bernardinus officia inter illos ordinatiſſimè diſtribuit, ita tamen, ut, quoad fieri poterat, ipſemet omnibus adeſſet, pharmaca pararet, cibos porrigeret, ſordes amoveret, condoleret, ſolaretur, Sacramenta porrigeret, vitâ functos ſepeliret, omniáque alia caritatis officia ſumma cum alacritate & patientiâ præſtaret. Non

eſt autem paſſus benigniſſimus Deus, ut inter tot labores, vigilias, & incommoda unquam adverſa valetudine laboraret Divus, ſed potiùs ſemper promptus, alacer, vigil & indefeſſus tum ægros, tum Miniſtros dictis & factis confirmabat. Surius 20. Maij. c. 10. 11. & 12.

Alanus de Solminihac. cùm Civitatis, in qua habitabat, ſuburbium peſtis corripuiſſet, ad eam avertendam duplicis generis remedia Subditis ſuis ſuggeſſit, ſpiritualia ſcilicet, & corporalia. Prioris generis erant 1. Lex condita, quâ ſub pœna excommunicationis ſaltationes, aliæque recreationes, quæ vix ſine offenſa DEI peraguntur, prohibebantur. 2. Adhortatio civium, ut pœnitentiam agerent, & inimicitias ſeponerent; quem in finem DEI timorem & ejus judicia aſſiduò prædicabat, dicens, iſtas excubias omnium, quas ad urbis portas locare poſſent, optimas eſſe. 3. Voti quod olim in hunc finem conceperunt, exſolutio. 4. Inedia, publica comprecatio, & ſupplicatio. 5. Expoſitio Venerabilis in templis, & in fine Miſſarum ſolemnium cantatio Antiphonæ: *Recordare Domini teſtamenti:* cum oratione pro peſte. 6. Recitatio antiphonæ *Salve Regina* ſub meridiem ad pulſum Majoris Companæ factæ. Poſterioris generis erant 1. Prohibitum infectorum cum ſanis non neceſſarium commercium. 2. Nundinarum omiſſio. 5. Excubiæ ad portas ſeveriùs inſtitutæ. 4. Separatorum habitaculorum pro peſte infectis exſtructio. 5. Medicorum & Chirurgorum aſſignatio 7. Conſilium ſanitatis inſtitutum à primoribus civitatis. 7. Accurata viſitatio locorum cuivis aſſignatorum. 8. Sollicita proviſio tum neceſſariorum alimentorum, tum Medicamentorum. Præter hæc media aſſignata ipſe, ubi primùm locum aliquem ſuæ Diœceſeos peſte correptum eſſe audivit, mox accurrit, & manè abſoluta oratione egreſſus, non ampliùs redibat, quàm ſero veſpere: ad januas autem domorum peſte afflatarum accedens pulſabat, & peſtiferos advocans ad confeſſionem hortabatur, & ad mortem diſponebat. Nec tamen ullam unquam ipſe præſervatricem Medicinam adhibere voluit, dicere ſolitus, non alio ſibi antidoto, quàm divinâ providentiâ opus eſſe. Vita l. 3. c. 12.

Franciſcus Februires è Societate Jesu Fuldæ tantâ cùm caritate peſte afflatis miniſtrabat, ut ægrè, ſe ſolùm ſpectando,

do, ferret, ceſſante peſtilentia, occaſionem ſibi tantæ caritatis diutiùs exercendæ eripi. Annuæ Rhen. 1597.

Alius quidam ex eadem Societate, cùm Cælitij intellexiſſet, antrum quoddam pœdore teterrimo refertum eſſe, in quo homines aliquot peſte afflati ſine auxilio jacerent, eò quòd nemo illuc ingredi auderet, mox ſolus illuc intravit, & magnum ſexûs utriusque animam agentis numerum inveniens, omnes confeſſione expiavit, & ad mortem diſpoſuit. Annuæ Belg. 1597.

II. Perpendant itaque Sacerdotes, quàm pretioſa in conſpectu Domini ſit caritas in tali periculo monſtrata, & S. Laurentij Juſtin. l. de S. Martino ſententiam altè animo imprimant; *Magnum prorſus Martyrij genus eſt, ultro ſe pro amore Chriſti dare periculis. Audi ſine ferro Martyrem ex ſola caritate morientem.* Reſolvant ſe proin ad hoc obſequium intrepidè & hilariter exhibendum, certò credentes, quòd vita, quæ propter caritatem deſpicitur, per caritatem meliùs obtinentur.

§. VII.

De Exemplis Caritatis erga Captivos.

I. Nec hujus quidem caritatis exercendæ rationes & occaſiones multiplices deſunt Sacerdotibus; cùm enim captivitas ipſa tum ob ereptæ libertatis dolorem, tum ob carceris moleſtiam, tum ob conjunctum ſæpe cruciatuum metum, ipſiúſque vitæ amittendæ periculum, meritò inter graviſſimas hujus Mundi miſerias numeretur, facilè colligitur, ad hanc quoque vel maximè Zelum & Caritatem Sacerdotum extendere ſe debere, uti quàm plurimi eorum non minùs egregiè præſtiterunt, quàm ſagaciter agnoverunt.

S. Paulinus Nolanus Epiſcopus, cùm omnia ſua bona in captivorum redemptionem, & egenorum opem expendiſſet, & vidua quædam, ut Filium à Wandalis captum redimere poſſet, ſubſidium ab eo expoſceret, ſeipſum pro illo in captivitatem tradi juſſit, ſicque diu hortulani officio functus eſt, donec, DEO ſic mirabiliter diſponente, à Domino ſuo

non ipſe duntaxat, ſed omnes etiam civitatis ſuæ captivi liberi dimiſſi ſunt. S. Gregorius l. 3. Dial. c. 1.

S. Sanctulus, cùm Diaconum quendam à Longobardis captum audiviſſet, eundem ut ſibi cuſtodiendum traderent, perſuaſit ea tamen conditione, ut ſi Diaconus aufugeret, ipſe Sanctus illius loco necaretur. Quam mortem, cùm, Diacono ad ipſius adhortationem aufugiente, alacriter ſubire paratus fuiſſet, Carnifex illum capite truncaturus, manum in altum ſublatam demittere ad ictum non potuit, donec ipſo Sanctulo precante & hortante eam demiſit. Unde tantis miraculis obſtupefacti Longobardi liberum dimiſerunt. S. Gregorius l. 3. Dial. c. 37.

S. Petrus Nolaſcus, cum Chriſti fidelibus ab hoſtium ſervitute redimendis omnem pecuniam conſumpſiſſet, & ſeipſum etiam pro illis vendere poſſe optaret, noctu B. Virginem aſpectabilem habuit, ut ad ſui honorem ordinem Religioſorum, qui unicè in captivorum Redemptionem incumberet, adhortantem; cui proin monito confeſtim paruit & Socijs adſcitis, non modò tribus ordinarijs Religioſorum votis quartum de redemptione captivorum procuranda adjecit, ſed etiam religioſiſſimè exolvit. Brev. Rom 31 Jan.

S. Raymundus Nonnatus, cùm à B Virgine, ut viam ſalutis & ſcientiam Sanctorum edocere dignaretur, inſtanter petiiſſet, ab eâdem intellexit, gratiſſimum ipſi fore, ſi Religionem ſub titulo de miſericordia redemptionis captivorum ſe ſuggerente nuper fundatam ingrederetur Unde confeſtim ordinem ingreſſus & in Africam poſtea miſſus, cùm multos à ſervitute liberâſſet, pecuniâ conſumptâ, ſeipſum pignori dedit; donec multis cruciatibus perpeſſis iterum in Europam redivit, vitámque ſanctiſſimè finivit. Brev. Rom. 31. Aug.

S. Achatius Epiſcopus Amidenſis, cùm Romani ſupra ſeptem millia Perſarum cepiſſent, nec Perſæ ipſi eos redimere vellent, aureis & argenteis Eccleſiæ vaſis in monetam conflatis, eosdem redemit, & alimentis ac viatico inſtructos ad Regem ſuum dimiſit. Nicephorus l. 14. hiſt. c. 22.

S. Deogratias Carthaginenſis Epiſcopus, cum Genſericus urbem cepiſſet, & ingentem multitudinem captivorum abduxiſ-

duxiſſet, univerſa quoque vaſa miniſterij aurea & argentea in eorum redemptionem impendit, & quoniam per captivitatem valde emaciati & morbis oppreſſi fuerant, duo templa pro eorum habitatione aſſignavit, ubíque illis cum magna caritate ſerviebat, & omnia neceſſaria, donec curarentur, ſubminiſtrabat. Sur. 17. Oct.

S. Anianus Epiſcopus Aurelianenſis, cùm pro inauguratione ſolemni urbem ingreſſurus, ab Aggripino urbis Præfacto Captivorum liberationem petiiſſet, & hic recuſâſſet, ideóque lapidis ex alto in caput cadentis ruinâ graviter vulneratus eſſet, eundem precibus ſuis curavit iterum, & ſic optatam redemptionem captivorum obtinuit. Surius. 17. Nov.

Joannes Nunnius è Societate Jesu Patriarcha Æthyopiæ Medicinæ artem ideo tantùm addidicit, ut ægrotis captivis mederi poſſet, quod & fecit, &, ſi quos magis ægros advertit, in ſuam domum tulit. Quòd ſi verò aliqui laborem ſuis Dominis perſolvere non poſſent, ipſe vices ſubibat. Hiſt. Soc. l. 10. n. 118.

Itaque audiant Sacerdotes Salomonem monentem Prov. 14. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes:* ſic enim ſperare poterit, eâdem menſurâ caritatem hanc illi remenſum iri, atque ipſum etiam è captivitate æterna inferni, aut temporali Purgatorij citius liberatum iri.

§. VIII.

De Caritate erga Pauperes.

I. Si funiculus triplex difficulter rumpitur, ut Salomon Eccl. 4. ait, meritò Sacerdos ad hujus caritatis exercitium ſummopere obligatum ſe credere debet, utpote ad quam triplici ratione velut triplici, eóque fortiſſimo funiculo adſtrictum ſe agnoſcit, quorum primus deſumitur ex ipſa natura bonorum, utpote quæ, ſicut ex Eccleſiaſticis reditibus accipiuntur, ita in pios iterum uſus expendenda ſunt; nam, ut rectè S. Bernardus in declam. *ſup. ecce nos* pronuntiavit, *patrimonia pauperum facultates ſunt Eccleſiarum; & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi Miniſtri & Diſpen-*

Diſpenſatores, non utique Domini & Poſſeſſores ultra victum accipiunt, & veſtitum. Secundus deſumitur ex ſtatûs Clericalis dignitate, ratione cujus, ſicut ad majorem perfectionem obſtringuntur, ita etiam virtutem caritatis & miſericordiæ majorem cum perfectione exercere tenetur, illúdque Chriſti Luc. 6. pronuntiatum ſibi præ alijs applicare: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.* Tertius ex officio Paſtoris deſumitur; ratione cujus obligatur, non verbis duntaxat, ſed exemplis etiam docere ea, quæ fidelibus vel neceſſaria ſunt, vel utilia, inter quæ ſanè non minimum eſt Miſericordiæ exercitium, utpote de qua S. Leo in ſ. de apparit. dixit: *Miſericordia virtus tanta eſt, ut ſine illa cæteræ virtutes, etſi ſint, prodeſſe non poſſint. Quamvis enim aliquis fidelis, & caſtus & ſobrius ſit; & alijs majoribus ornatus inſignibus, ſi miſericors tamen non eſt, miſericordiam non meretur*; unde perfectiſſimi quique Sacerdoces hanc virtutem ſingulari ſemper ſtudio & fervore exercuerunt.

S. Joannes Eleemoſinarius eidem pauperi ter eleemoſynam petenti ter dedit dicens: Ne fortè Dominus meus Chriſtus ſit, periculúmque miſericordiæ meæ facere velit. Pauperes Dominos ſuos appellabat, eò quòd hi ſoli opem ferre poſſint, ut a Chriſti regno non excideret. Si quopiam die nullus eleemoſynam petebat, graviter triſtabatur. Sæpe in exultatione quidam eum dicentem audiverunt; ſic aut tu, DEUS, mittendo, & ego diſpergendo, videbimus, quis vincat. Cùm in Civitatem Amathuntem veniſſet, teſtamentum in hæc verba dictavit: Joannes humilis ſervus ſervorum DEI, propter impoſitam autem Pontificatûs dignitatem Chriſti gratia liber. Ago tibi gratias, Domine DEUS meus, quòd me dignum cenſueris, qui tua tibi offerrem, & quòd ex mundi bonis nihil mihi aliud ſit relictum, niſi tertia pars nummi, quam ipſam quoque jubeo dari pauperibus, qui ſunt mihi Fratres in Chriſto. Quando enim DEI permiſſione creatus fui Epiſcopus Alexandriæ, inveni in meo Epiſcopatu octo circiter millia librarum, ex oblatione autem piorum collegi denis millibus plures pecunias. Quas cùm cognoſcerem eſſe Chriſti, Chriſto etiam dare volui, cui nunc quoque trado animam. Surius in vita.

S. Ni-

S. Nicolaus Epiſcopus viduis & Orphanis, aliiſque egentibus pecuniâ, conſilio, operâ nunquam defuit, quippe qui præter neceſſaria corporis, & ſuppellectilem tenui vitæ opportunam nihil ſibi relinqueret. Ut pudori trium Virginum quas Pater ob paupertatem proſtituere decreverat, conſuleret, tribus diverſis noctibus tantùm auri per feneſtras in domum projecit, quantùm ſufficiebat ad ſingulas honeſtè elocandas. Vita 9. Sept.

SS. Ambroſius, Auguſtinus, Cæſarius, Gallus, Hugo Epiſcopus Grationapolitanus, Odilo Abbas, & alij plures uſque adeò profuſi erant in pauperes, ut etiam calices, & vaſa ſacra in eoſdem diſtribui curarent. Surius in vit.

S. Richardus Epiſcopus Ciceſtrenſis in Anglia, cùm Frater ejus, cui temporalium rerum curam commiſerat, diceret, in tanta Pauperum multitudine proventus non ſufficere, reſpondit illi: Itáne rectè rationi conſentaneum tibi videtur mi Frater, ut nos ex vaſis aureis & argenteis edamus & bibamus, & Chriſtus in pauperibus ſuis fame crucietur? ſed & equus, quo vehor, magni pretij eſt, vendatur obſecro & ille, & illo pretio alantur pauperes Chriſti. Vita 3. April.

S. Laurentius Juſtinianus adeò omnia Pauperibus diſtribuebat, ut aliquoties cogeretur æs alienum contrahere. Et cùm Procurator quæreret, quâ ſpe hoc faceret? reſpondit: Spe Domini mei, is enim pro me diſſolvere poterit. Nec ſpes illum fallebat, nam continuò inſperatis ex locis Dominus pecuniam illi ſubmittebat. Vita 8. Jan.

S. Rembertus Epiſcopus Bremenſis ubicunque eſſet, ſemper habebat, qui erogandos pauperibus nummos in ſaculis circumferrent; & ipſe etiam ad hunc finem marſupium in Zona appenſum habebat, ut, ſi abſente Eleemoſinario pauper occurreret, ad manum haberet pecuniam, quam largiretur. Ad quod ſtudium ſuos perpetuò invitabat dicens, non debere eos cunctanter opitulari egenis omnibus, quando, quis eorum ſit Chriſtus, vel quando ille veniat ad nos, ignoratur. Vita 4. Febr. apud Hatæum.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, ſi aliquid Chriſti nomine ab eo petebatur, nunquam denegebat; ſi domi non haberet, à Proximis mutuò capiebat: qui ſi recusâſſent,

ve-

veſtes, caligas, calceos, domeſticam ſuppellectilem tribuebat Vita 2. Maij apud Hatæum.

S. Thomas de Villanova Epiſcopus amplos Eccleſiæ redditus uſque adeò in egenos diſperſit, ut ne lectulum quidem ſibi relinqueret, nam eum, in quo jacebat, cùm in cælum evocaretur, ab eo commodatum habuit, cui ipſum paulò antè eleemoſinæ loco donaverat. Breviar. Rom. 18. Sept.

S. Carolus Borromæus arcam eleemoſynis penè ſemper exhauſtam, imò quotannis etiam ad multa millia obæratam habebat; neque tamen timebat novas ſubire impenſas in gratiam Pauperum. Quin etiam cùm Orientem Principatum quadringentis millibus aureorum vendidiſſet, intra viginti quinque dies omnes has pecunias in eleemoſynas & pia opera aſſumpſit. Brev Rom 4. Nov.

Alexander V Pontifex tam munificus & liberalis erat in Pauperes, ut per jocum dicere ſoleret, & jure poſſet, ſe divitem Epiſcopum, pauperem Cardinalem, Mendicum Pontificem eſſe. Surius to 4. de Ludov. Ep Tolos.

Clemens VIII præter tredecim Pauperes, quos in aula ſua alere ſolebat, aliam menſam pro pauperibus peregrinis juxta ſe parari voluit, quibus optima quæque fercula ex ſua menſa ſubmittabat, vilioribus ſibi retentis. Baron. to. 4. anno 367.

Andreas Feſulanus Epiſcopus adeò benignus & liberalis fuit in pauperes, ut omnium nomina deſcripſa teneret, nec eos ſine lacrymis aſpicere poſſet Spec. Epiſc. Tymp. ſ. 68. n. 4.

P. Bernardum Realinum è Societate JEſu pauperes ut rerum ſuarum diligentem Procuratorem, Tutorem exactum, amantiſſimum Patrem agnoſcebant, rem illorum anguſtam dilatabat, & ditabat. Vit. c. 16.

Jacobus Merlohorſtius Pauperes in quatuor Claſſes dividebat, videlicet vulgarium pauperum, Studioſorum, Religioſorum, Exulum. Pro his ſeparatam domi ſervabat arcam, quam Gazophilacium Pauperum appellabat, & in eam quidquid egenis applicabat, unà cum tertia proventuum parte recondebat. Cùm tempore Suecici belli ingens multitudo exulum Coloniam confluxiſſet, ipſe omnes, qui ad domum

domum venerant, in atrium inducebat, & caniſtro panibus, ſcutellà caſeo onératâ, ſingulis ipſe manu propria cum magna caritatis & benevolentiæ ſignificatione diſtribuebat, ut hac ratione ſæpe ſexaginta vel centum una die paſceret, magis earum multitudine & accurſu recreatus, quàm deterritus. Nec unquam aliàs viſus eſt ulli egeno ſtipem negâſſe, dicere ſolitus: ſemper adhuc reperio aliquid, quod pauperibus largiar. Cúmque demum pecunia in ſumma annonæ caritate deficeret, ſupellectilem ipſam diſtrahere cœpit, lectúmque, in quo jacebat vendidit. Dicere quoque ſuo Familiari ſolebat: Alij, dum moriuntur, legatis pijs ſubveniunt Pauperibus, ego vivus malo ijs ſuccurrere, certus de auxilio præſtito miſeris, ſecurus meriti præmijque. Vita c. 26.

Alanus de Solminihac adhuc Abbas, cùm egenorum magna eſſet copia, in certas turmas eos diſtribui juſſit, earúmque quamlibet uni Religioſo aſſignavit; & quia pane verbi DEI æquè ac materiali indigebant, eleemoſyna ſpirituali priùs eoſdem refici curabat. Inſtruebantur itaque in DEI Decalogo, prima Fidei rudimenta docebantur, & quâ ratione Sacramenta religiosè ſuſcipere, vitámque Chriſtiano more inſtituere deberent, docebantur, & tum demum ſtipe donabantur. Sed & ſæpe modicum illud panis, quo veſcebatur, demenſum ſibi ſubtractum illis reſervavit, caſtaneis quoque ſolis contentus, & videns ſe plùs facere non poſſe, apud alios eorundem Procuratorem egit, divites cohortatus, ut pro miſerorum ſolatio viſcera miſericordiæ induerent. Epiſcopus poſtea factus primas inter curas habuit, ut egentium neceſſitatibus ſubveniret; luſtravit proin Xenodochium urbis, cúmque loco perquam incommodo collatum inveniſſet, in meliori ut ædificaretur; omne ſtudium adhibuit; magnámque eum in finem ſummam pecuniæ contribuit. Ubicunque locorum in ſua Diœceſi fuiſſet, & quocunque tempore, generalem ſemper ſtipem erogavit, nec à ſe pauperem dimiſit, qui non aliquid ab eo acciperet. Non minorem curam gerebat eorum, qui ex pudore ſuam egeſtatem prodere nolebant, quorum neceſſitates præveniens eiſdem ſubminiſtrari volebat, quod publicè flagitare erubeſcebant, eóſque in Judicem relatos in oratorio conſervabat, ne è me-

moria laberentur. Ut autem talibus eleemoſynis faciendis copioſiùs vacare poſſet, inprimis de quotidianis expenſis detraxit, dein Domeſticorum nonnullos dimiſit, omnes propè equos cum carpento divendidit, & ſumptus etiam pro ſuorum victualijs imminuit. Cúmque ferventibus in Aquitania turbis Abbas quidam ipſi ſignificaret, Regis hoſtes contra Mercueſiam arcem agitare conſilia, eò quòd ſperent, ſe magnam ibi pecuniæ copiam reperturos, reſpondit Alanus, nihil arci ſuæ ſe timere, ſique occuparetur, ſperatos theſauros neutiquam inventum iri, eò quòd manus pauperum eos jam in ſecurum locum deportaverint. Vita l. 3. c. 13.

II. Itaque Sacerdos ſaluberrimum S. Tobiæ ſenioris conſilium c. 4. datum ſibi ab Eccleſia, quin & ipſo DEO dictum exiſtiment, & obſervent: *Quo modo potueris, eſto miſericors; ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Nam, ut S. Gregorius in reg. rectè advertit, *quidquid tribuitur pauperi, ſi ſubtili conſideratione penſetur, non eſt donum, ſed mutuum; quia, quod datur multiplicato ſine dubio fructu recipitur*, cùm ipſa S. Scriptura teſte prov. 19. *fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis; ſi ergò, ô Sacerdos, vis eſſe mercator bonus*, inquit S. Auguſtinus in Epiſt. 1. *fœnerator egregius; da, quod non potes retinere, ut recipias, quod non poteris amittere. Da modicum, ut recipias centuplum: da temporalem poſſeſſionem, ut conſequaris æternam hæreditatem.* Et iterum ſ. 15. de verb. Dom. *Dicit tibi Chriſtus: da mihi ex eo, quod tibi dedi: de meo quæro, da, & redde. Habuiſti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi reſtituam, teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero.*

§. IX.

De Caritate erga Peregrinos vel Hoſpites.

I. Quantopere hæc caritas, quam alij Hoſpitalitatem vocant, Sacerdotibus conveniat, jam olim Concilium Nannetenſe

neceſſe indicavit, dum ait: *Ut omnis rapinæ tollatur occaſio. volumus ut Presbyteri, qui bonum exemplum caritatis omnibus oſtendere debent, hoſpitales exiſtant juxta Dominicum & Apoſtolicum præceptum, ut humanitatem tribuant iter facientibus, quia per hoſpitalitatem quidam placuerunt DEO, Angelis receptis. Et Dominus in judicio dicturus eſt electis: Hoſpes eram, & collegiſtis me. Et Job dicit: Oſtium meum ſemper viatori patuit*; cui decreto tantò promtiùs parere debent Sacerdotes, quantò majorem ex tali Hoſpilitate fructum ſperare poſſunt, duplicem præcipuè quorum primum S. Clemens Papa. epiſt. 1. indicat dicens: *Caritatis recipiendæ & habendæ maximum erit fomentum, ſi frequenter inter vos communem cibum veſtrum, mensámque, faciatis: &, quantùm quisque prævalet, crebriùs panem, ſalémque ſuum cum Fratribus ſumat: Per hæc dilectio comparatur, & cauſa boni totius in hujus modi communione conſiſtit, ideo communes facite cibos veſtros cum Fratribus. Secundùm DEUM per hæc temporalia officia pacis & caritatis fructus æterna gaudia comparatur.* Per quæ ultima verba etiam alter fructus, ſcilicet beatitudinis copioſior obtentio, indicatur; de quo apertiùs S. Chryſoſtomus c. 2. ſup. Matt. ſic loquitur: *Qualem mercedem habet, qui propter DEUM peregrinatur, talem habet, qui ſuſcipit peregrinantem; & fiunt ambo æquales, &, qui propter DEUM refrigerat, & qui propter DEUM laborat.* Ob quas cauſas non pauci Sacerdotes hoſpitalitatem ſingulariter obſervârunt.

S. Silveſter Pontifex omnes peregrinos Romam venientes magnâ cum caritate excipiebat, pedes abluebat, & in lecto collocabat, ita cùm Job. c. 31. dicere poſſet: *Foris non manſit peregrinus; oſtium meum viatori patuit* Surius. 30. Dec.

S. Hieronymus de ſe, Sociiſque ſcribit in procem. lib. 7. in Ezech. Nobis in Monaſterio Hoſpitalitas cordi eſt, omnésque ad nos venientes lætâ humanitatis fronte ſuſcipimus. Imò alibi ait, nullam horam, nullúmque momentum eſſe, in quo non Fratrum turbis occurrerint, & Monaſterij ſollicitudinem Hoſpitum frequentiâ commutârint.

S. Gregorius Pontifex tantæ fuit Hoſpitalitatis, ut, exceptis his, quos tam per diverſas regiones, quàm Romæ quoque Longobardorum perfidiæ gladios fugientes, Eccleſiæ ſtipe miſericorditer nutriebat, quotidie quoque ad menſam ſuam peregrinos quoslibet invitaret, inter quos etiam die quadam unus acceſſit, in cujus manibus, dum ipſe ex humilitatis miniſterio aquam fundere vellet, converſus urceum accepit, ſed repente eum non ampliùs vidit. Ut autem ſciret, quis ille fuerit, ſequenti nocte Chriſtus per viſionem illi dixit: Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo recepiſti.

S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis tam vigil fuit circa Hoſpitum ſuſceptionem, ut nonnunquam etiam cibus Fratrum ſuo juſſu fuerit de refectorio ſublatus, & Hoſpitibus appoſitus, cùm tunc in promptu aliud non eſſet. Unde frequenter à Cellarijs & Camerarijs aditus, &c, quid conſilij contra penuriam daret, requiſitus, hoc tantum reſpondebat: Sperare in Domino, & ſpero; quia ipſe neceſſaria vobis miniſtrabit & mirabili modo non ſecus eveniebat in re. Vita 21. April. apud Haræum.

Leo IX. Hoſpitalitate adeò erat inſignis, ut domus ejus Peregrinis & Hoſpitibus ſemper pateret, unde, cùm ſemel ante fores ſuas Leproſum inveniſſet, eúmque præ miſericordia collocari in lectulo ſuo mandâſſet, apertis manè à Janitore foribus, nuſquam pauper inventus eſt, haud dubiè, quia Chriſtum ſub ſpecie illius pauperis receperat. Ilatina in vit.

Cerbonius Epiſcopus quoque Hoſpitalitatis ſtudio ſingulariter ſe addixit; unde, cùm quondam tranſeuntes milites, ut à Gothis perſequentibus ſecuri eſſent, recepiſſet, & ſervâſſet, ob hanc cauſam juſſu Regis Totilæ comprehenſus, & Urſis ad devorandum projectus, intactus ab illis manſit, ſicque à Rege ob manifeſtum miraculum obſtupefacto incolumis dimiſſus eſt. S. Greg. l. 3. Dial. c. 11.

S. Carolus Borromæus tantopere Hoſpitalis erat, ut palatium illius perpetuò pateret extraneis & peregrinis, tam Principibus & Prælatis, quàm Perſonis vulgaribus quibuscunque. Singularem verò caritatem exhibere conſueverat

Tranſalpi-

Tranſalpinis Advenis, confirmando illos in fide Catholica, ſi fortaſſis de regionibus Hæreticis eſſent, ac de medijs ad ſalutem neceſſarijs erudiendo. Alios Hoſpites, maximè nobiles & in dignitate conſtitutos honorabat libris ſpiritualibus, Roſarijs, aliiſque hujusmodi devotionis incitamentis: pauperibus præter victum largiebatur, viaticum; Epiſcopis, ſi opus haberent, etiam novas veſtes dignitati illorum congruas, ne quisquam indonatus à viro tot benedictionibus affluente recederet. Vitæ compend. c. 22.

Jacobus Merlohorſtius, cùm, Milite hoſtili patriam Colonienſem devaſtante, Ruſticus cum Uxore, Liberis, Pecoribus Coloniam veniſſet, &, quò diverteret, ignarus, caſu fores Jacobi pulſaret, miſertus exulis eum cum tota familia in domum recepit, jumentis ſtabulum aptavit, per hyemem de habitatione proſpexit, & majorem anni partem ſuſtentavit, ad pietatem verò ſic inſtruxit, ut eâdem cives vel æquare, vel ſuperare poſſent. Sacerdotes quoque exules exturbatos ſedibus ſtatis in hebdomada diebus ad menſam vocabat, imò faciebat liberam poteſtatem, quoties egerent, vel ipſi vellent, pro arbitrio redeundi. Vit. c. 26.

II. Meminerint ergo Sacerdotes ſaluberrimi moniti à S. Paulo ad Hebr. c, 13. dati: *Caritas Fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite oblivisci. Eſt namque publica ſpecies humanitatis,* ut S. Ambroſius l 2 de offic. c. 21. Sapienter advertit, *ut peregrinus hoſpitio non egeat, ſuſcipiatur officioſè, pateat advenienti janua Valde id decorum totius eſt orbis exiſtimatione, peregrinos cum honore ſuſcipere, non deeſſe menſæ hoſpitalitatis gratiam, occurrere officiis liberalitatis, explorare adventus Hoſpitum. Diſcite* ergo, inquit S. Auguſtinus contra 5. hær. *Chriſtiani* (& vobis præcipuè, O Sacerdotes) *ſine diſcretione exhibere hoſpitalitatem, ne, ſi fortè cui domum clauſeris, cui humanitatem negaveris, ipſe ſit Chriſtus.*

§. X.

De Caritate erga Domeſticos.

I. Quod S. Hieronymus in epiſt. ad Oceanum de Epiſcopi obligationibus dixit, videlicet, *ut, quod populo præceptu-*

rus eſt, priùs à Domeſticis exigat; hoc idem etiam à Sacerdote quovis domeſticam Familiam alente dici poteſt; ſi enim S. Paulus 1. ad Tim. 5. dicere auſus eſt: *Si quis autem ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*; quantò magis de Sacerdote, qui majorem in Spiritualibus curam de ſuis habere debet, id ſervandum erit; unde meritò Sacerdotes Sanctiores ſingularem ſemper Domeſticorum curam geſſerunt.

S. Carolus Borromæus, quoniam inextinguibili accenſus erat deſiderio corruptos Cleri ac Populi mores emendandi, ad imitationem Servatoris noſtri JESU, qui priùs cœpit facere, quàm docere, ſapienter inchoavit hanc renovationem à perſona, domo, & familia ſua. Quapropter ablegavit è numero Domeſticorum omnes Perſonas, quæ minùs ſibi commodæ videbantur, & Eccleſiaſticos duntaxat, à quibus ſana exempla, & levamen in guberatione exſpectare poterat, retinuit. His deinde præſcripſit ſaluberrimas regulas vitæ Spiritualis & Eccleſiaſticæ, præcipuè ne veſtes ſericas, aut luxum qualemcunque profeſſioni contrarium uſurparent. Cubilia eorum crebriùs obibat, inclinationes expiſcabatur, mores & actiones cujusque obſervabat vigilantiſſimè, nempe quò certior fieret, neminem deeſſe officio ſibi incumbenti, aut aliquid ad ſanctam converſationem expediens domi deſiderari. Cùm aliquis ſuorum ægrotaret, jubebat eum diligentiſſimè curari, eique muneri certos homines peritos, & caritate flagrantes præficiebat, ſubinde ab alijs domeſticis viſitari volebat, & ipſe etiam viſitabat, tanta comitate & ſuavitate, ut nemo eſſet, cui non illa Domini ſui humanitas morbum levare videretur. Vitæ compend. c. 7. & Hier. Platus l. de Card. dig. c. 23.

Julianus Cæſarinus Cardinalis, familiam ſuam, quæ non niſi triginta Perſonas complectebatur, præcipuo amore complectebatur ac fovebat, in morbis ipſe neceſſaria præbebat omnia, tum etiam ultro inviſebat, & conſolabatur, multisque contigit, ut in ejus manibus cum magno ſuo ſolatio Spiritum DEO redderent. Idem Platus loc. cit.

Pius V. Pontifex familiam ſuam magno ſtudio reformabat, eò quòd ſciret, inde exempla ad omnes Eccleſiaſticos manare; hinc nihil in ſuorum moribus, habitu, colloquijs, &

& tota vivendi ratione vitioſum tolerabat. Familiam verò ejuſmodi ſe velle habere dicebat, quæ & vita, & habitu reliquis exemplo eſſet, nec tam miniſtrorum numerum, aut cultum corporis, quàm virtutem & integritatem ſibi ſpectandam ſtatuebat. Surius Chron. anni 1566.

Robertus Bellarminus Cardinalis Domeſticis ſuis tria præſertim vetabat, blaſphemias, carnis illecebras, & pugnas, quæ omnia tanto inſectabatur horrore, ut firmo decreto dimiſſos declararet, qui in hæc inciderent. Pluries per annum ipſemet cæleſti pane eos reficiebat, & priùs pijs monitis reficiebat. Quotidianas preces inſtituit, quibus ipſo quaſi præeunte omnem Familiam adeſſe volebat. Vita c. 11.

Alanus de Solminihac illis Famulis, quos de novo aſſumebat, priùs inſinuebat obligationes particulares, nimirum domeſticos Epiſcoporum ſanctè vivendo, bonum aliis exemplum præbere debere, utpote omnium oculis expoſitos, eiſque leges Familiæ ſuæ præſcriptas exhibebat; quas ſi obſervare parati eſſent, Exercitijs ſpiritualibus S. Ignatij priùs vacare per aliquot dies jubebat. Leges autem potiores hæ erant, ut ſinguli quotidie Miſſam audirent, & horâ octava pomeridiana Litanias de B. Virgine ſimul recitarent, & Examen Conſcientiæ ſubjungerent. Singulis Feriis ſextis exhortationi domi habendæ intereſſent. Singulis minimum menſibus confiterentur, & communicarent. Ad Concionem omnibus diebus Feſtis accederent. Omnes in pace viverent, ſeque mutuò ut Fratres diligerent. Nunquam extra domum ſine licentia cibum vel potum ſumerent. Ab omni juramento, luſu chartarum, & theſſerarum abſtinerent. Quas omnes accuratiſſimè ſervari faciebat; hinc Coquum & Carpentarium, quorum alter noctu extra domum dormiverat, alter verba minùs honeſta protulerat, ſtatim dimiſit. Ut otium fugerent, omnes ſedulò occupabat. Erga infirmos ſingularem gerebat curam, ne quidquam illis ſive in ſpiritualibus, ſive corporalibus deeſſet, & cuivis ingentem amoris affectum demonſtrabat, ſæpe dicens: Domeſticos noſtros nos amanter habere oportet. Pro Medicinis ne obolum quidem expendere eos ſinebat, nec ſalarium pro illo tempore ſubtrahebat. De ſtatu eorum aſſiduè inquirebat, &

ipſemet non ratò inviſebat. Nulli verò dimiſſionem, ſi peteret, negabat. Vita l. 2. c. 5.

Jacobus Merlohorſtius omnes Domeſticos ſibi cupiebat in morum ſimilitudine, & vitæ innocentia ſimillimos, quod licèt in teneris impetratu ſit difficile, obtinuit tamen continuâ vigilantiâ, aſſiduiſque monitis. Veſperi omnes in certum locum colligebat, ut Litanias cum variis precibus recitarent, & examen Conſcientiæ facerent. Dominicis & Feſtis diebus Evangelium diei congruum vernaculo ſermone legebatur. Denique domus inſtar religioſiſſimæ Familiæ compoſita erat, nullus ut ſtrepitus, fabulæ, riſus, vel levitas audiretur; etiam cùm Exulum Familiam cum jumentis admiſiſſet, præter laborantium ſtrepitum, altum ubique vigebat ſilentium. Vita c. 24.

II. Ad hæc ergo Exemplaria ſæpe oculos ſuos reflectant Sacerdotes, & ſic Domeſticis ſuis tam ſpiritualia, quam corporalia bona provideant, ut de illis perinde, ac de Muliere forti & ſapiente dici queat: *Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis* (id eſt, grandibus malis & adverſitatibus) *omnes enim Domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*, id eſt, remediis contra ſpirituales & corporales morbos & caſus inſtructi.

§. XI.

De Caritate erga Defunctos.

I. Ut appareat, quantopere hanc caritatem cordi habere Sacerdotes debeant, meliùs id demonſtrare non poſſum, quàm ſi referam, quid P. Jacobus Laynes Societatis JEſu ſecundus Generalis ad Socios ſuos de hac materia ſcripſerit, dum inter alia commendans ijſdem, ut quotidie; quámque frequentiſſimè animarum, quæ in purgatorio igne torquentur ſtudioſè meminiſſent, hâ ratione illis hanc caritatem perſuadere conabatur: Namque quandoquidem Societas tantùm exhaurit laborum, occupationibúſque tam multis ſive literariis, ſive ſpiritualibus implicatur, eo duntaxat, ſecundùm gloriam DEI, conſilio, ut homines ad æternam, felicitatem conſequendam juvet, quem ad finem creati pretióque tam grandi redempti ſunt, conſentaneum profectò

eſt, ut eundem proſequens caritatis ſpiritum, etiam ex hac vita digreſſis ad curſum conficiendum opituletur, ne juſta ſit illis cauſa Societatis caritatem quaſi imperfectam & mancam accuſandi, & meritò liceat conqueri, ſe medio in itinere eóque loco deſtitutos, ubi nullam ſibi ipſis opem ferre queant. Ita Laynius, uti in Hiſt. Soc. p. 2. l. 2. à n. 88. videre eſt. Quæ omnia facilè etiam Sacerdoti cuivis applicari poſſunt, & verò etiam non pauci inſigniter applicarunt.

S. Odilo Abbas, poſtquam aſſiduò defunctis per pſalmos, eleemoſynas, & Sacrificia ſuccurrere ſtuduiſſet, demum ut caritatem ſuam erga illos magis oſtenderet, inſtituit ut proxima poſt Feſtum Omnium Sanctorum die ſolemnis memoria omnium in Chriſto quieſcentium celebraretur, quæ pia conſuetudo poſtmodum à tota Eccleſia Catholica celebrata eſt. Vita 31. Dec. apud Haræum.

S. Nicolaus Tolentinas animam quandam ſic ipſum alloquentem audivit: Veni, Pater venerande, veni & reſpice, utrum te deceat acquieſcere tantæ multitudini miſerrimæ, quæ me miſit tuam miſericordiam flagitare: Et his dictis illum ad locum duxit, ubi innumerabilis erat multitudo ejus auxilium implorans, & dicens: Miſerere Pater, miſerere turbæ tam miſeræ utile tuum auxilium exſpectantis, nam ſi pro nobis dignatus fueris celebrare, maxima pars ab his atrociſſimis pœnis eruetur. Quare cùm is tota hebdomade cum facultate Superioris pro mortuis celebrâſſet, adfuit iterum anima, & gratias agens dixit, ſe cum magna illius multitudinis parte à pœnis eſſe liberatam. Joannes Nadaſi in anno morientium hebdom. 6. n. 10.

S. Ignatius animarum purgantium juvandarum deſiderio incitatus effecit, ut in Patria ſua quotidie ſub meridiem ſignum daretur ad orationem pro Defunctis faciendam. Gloria S. Ign. c. 11.

S. Franciſcus Xaverius parvâ campanulâ civitatem circuibat, & incolas ad orationem pro animabus purgantibus offerendam commonebat. Eundem in finem conſilio illius Malacæ homo conſtitutus eſt, qui quotidie ſub noctem altera manu laternam, altera tintinnabulum portans urbem circumiret, & clamaret: Orate pro animabus fidelium defunctorum, qui in purgatorio torquentur. Diligenter etiam

 omnes,

omnes quas poterat, indulgentias illis applicabat. Memor quoque diligenter fuit Fratrum ſuorum defunctorum, & illis ſe in neceſſitatibus commendabat. *Epiſt.* l. 2. ep. 6. & Barry ſolit. die 3.

P. Petrus Faber è Societate JEſu tanto ſubinde ſenſu pro mortuis ſacrificabat, ut toto ſacri tempore lacrymæ ubertim ex oculis fluerent. Optabat aliquando ſentire vim dolorum, quos in paſſione ſua Chriſtus ex tot cruciatibus ante oculos jam tum propoſitis ſenſiſſet. Magnifaciebat Eccleſiæ preces pro Defunctis, illíſque maximè utebatur dicens, eas præ cæteris DEO probari, valere etiam ad Corporum Anaſtaſin, cujus mentio fit in ipſis precibus. Incitabatur ad hanc miſericordiam, tum ex utilitate, quæ ex unius animæ liberatæ patrocinio in Eccleſiam redundaret; tum ex majori DEI gloria; cùm in purgatorio non ita poſſint DEI gloriam curare, ſicut in cælo. S. Gregorium ideo præcipuè coluit, quia tam luculenter de animabus illis ſcripſiſſet, illum maximè pro illis invocans. Volebat, ut noſtri, ſi ob occupationes orare pro illis non poſſent, ſaltem labores pro illis offerrent, Hæreticos vel eo etiam nomine deteſtabatur, quòd tantum animabus illis damnum ſuperba eorum impietas afferret, Vita l. 2. c. 17.

Ferdinandus de Monnarij (alij Hernandum Monſoy vocant, niſi forte diverſus ſit) ex eadem Societate, priuſquam moreretur, omnes Miſſas & pia opera, quæ poſt ſuum exceſſum à Societate offerenda erant, animabus purgantibus tranſcripſit, & hanc ipſam voluntatem ſuam literis conſignavit, Syllab. Prov. Peran. 21 Sept. 1626.

Sacerdos quidam Pauper, cùm aſſiduò Miſſas diceret pro Defunctis, & accuſatus poſtea de varijs defectibus apud Epiſcopum, & fidejuſſorem dare juſſus, invenire non poſſet, ad animas à ſe redemptas confugit, opémque petijt, unde viſæ ſunt quàmprimum plures in aëre extenſæ manus pro ipſo ſpondere. *Spec. Exempl.* dib. 3. ex 118.

Julius Mancinellus è Societate JEſu, quoties poterat, peculiari affectu & ſtudio Sacrificium pro defunctis obtulit, & longo tempore perſeveravit in orationibus adjiciendis, quibus indulgentiæ pro pijs manibus ſunt annexæ. Cùm manè ſe veſtiret, aut noctu exueret, incedens item per ambula-

bulacra, vel aſcendens ſcalas ſemper pro ijs orabat. Conſcripſit etiam brevem tractatum pro ijs, qui dediti ſunt juvandis illis animabus. Iter agens identidem pro ijs fundebat preces, labores & ærumnas, quos exantlabat, pro ijs offerebat. Incedens pedes, ſi viæ ſaxoſæ & difficiles occurrebant, calceos exuebat, ut plus pateretur, & ſatisfaceret pro ijſdem. Conſuetæ ſuæ ſat longæ flagellationi aliam adjiciebat pro pijs manibus; quæ caritas illius, pijs manibus tam erat opportuna & fructuoſa, ut ſæpius ad illum ventitarent proprias ſuas neceſſitates & debita propoſituræ. Vita l. 3. c. 2.

Jacobus Rhem ex eadem Societate mirus erat animarum purgantium Patronus; unde hæ illi ſæpiſſimè apparebant, crebertimè ad januam pulſabant, & eò vehementiùs, quò magis ope illius indigebant. Sæpe è Cæmiterio, è cujus regione habitabat, auditæ ſunt clamare: Pater Jacobe, ora pro nobis. Annuæ lit. Colleg. Ingolſtad. 1618.

II. Exclamet ergo Sacerdos quivis cum S. Bernardo ſ. de quinque negot. *Surgam in adjutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo ſuſpiriis, orationibus intercedam, ſatisfaciam Sacrificio ſingulari. Si fortè videat Dominus, & judicet, & laborem convertat in requiem, miſeriam in gloriam, verbera in coronam, his enim & hujusmodi officiis poteſt earum miſeria relevari, finiri labor, deſtrui pœna.* Quod ut alacriùs faciat, ſæpe memor ſit ſententiæ à S. Ambroſio prolatæ de offic. dum ait: *Omne, quod defunctis cauſa pietatis impenditur, in noſtrum tandem meritum transmutatur; & illud poſt mortem centuplum recipimus duplicatum*; nam, ut Richardus de S. Vict. ſ. 27. de mortuis ait, *animæ ereptæ de purgatorio, dum adſunt cœleſti gaudio, miro modo interpellant exorando pro his, qui eis ſubvenerint in hoc ſæculo, DEUS enim illis nihil negat. Cupis ergo, O Sacerdos, ut tui miſereatur DEUS?* inquit S. Auguſtinus ad FF. in Eremo. *fac, ut proximo miſerearis in purgatorio; nam tantùm tibi miſerebitur DEUS, quantùm miſereberis proximo.*

TITU-

TITULUS II.

DE CARITATE ERGA PROXIMUM IN VARIIS FUNCTIONIBUS EXERCITA.

QUatuor ſunt præcipuè functiones, per quas Sacerdos Caritatem erga proximum exercere, munerique ſuo ſatisfacere poteſt, nempe Prædicatio Verbi Divini, Rudium Inſtructio per Catechiſmum, Sacramentorum adminiſtratio, & Converſatio privata, de quibus proin ſingulis, quanta cum ſedulitate, conſtantia & fructu à varijs Sacerdotibus ſuſceptæ & continuatæ ſint, nunc oſtendendum erit.

§. I.

De Caritate à Sacerdotibus per Conciones exercita.

I. Quàm proprium ſit hoc officium Sacerdotibus, jam olim Apoſtoli act 6. oſtenderunt, dum ad primos Chriſtianos dixerunt: *Non eſt aquum nos derelinquere Verbum DEI, & miniſtrare menſis; videte ergo viros boni teſtimonij, quos conſtituatis ſuper hoc opus, nos autem orationi & miniſteſterio Verbi inſtantes erimus.* Quàm verò ſublime, quàm arduum, quàm fructuoſum ſit hoc munus, ſapienter S Auguſtinus in ſerm. quodam declaravit, dum dixit: *Quid vobis plus eſſe videtur, Verbum DEI, an Corpus Chriſti? ſi vultis verum reſpondere, hoc utique dicere debetis, quòd non ſit minùs Verbum DEI, quàm Corpus Chriſti, & ideo non minùs reus ſit, qui Verbum DEI negligenter audiverit (aut* prædicaverit*) quàm ille, qui Corpus Chriſti in terram negligentiâ ſuâ cadere permiſit.* Quo ipſum etiam alibi de ſal docum. c. 4. magis confirmat, dum Verbi DEI prædicationem Legationi Divinæ comparat, dicens: *Recognoſcamus, & recogitemus,, quali honore nobis DEI legatio ſit accipienda. Quid ſi Legatio à Rege aut Judicibus ad nos veniret? nunquid non mox aliis curis poſthabitis, prompta voluntate, & cum omni devotione literas acciperemus, &* legen-

legem implere ſatageremus? Ecce de cœlo Rex Regum, & Dominus Dominantium, & imò Redemptor noſter per Prophetas & Apoſtolos dignatus eſt nobis dirigere literas ſuas, non ut aliquod ſervitium ſibi neceſſarium demandet, ſed quæ ad ſalutem & gloriam nobis ſunt neceſſaria, innoteſcat. Unde meritò S. Paulus 2. Cor. 5. dixit: *Pro Chriſto legatione fungimur.* Quæ conſideratio ſanè non levem de munere tanto æſtimationem Sacerdotibus ingenerare, atque, ut Verbum DEI cum debita gravitate & utilitate prædicare ſtudeant, incitare debet; nam ut rectè S. Hilarius in Pſ. 135. dixit, *ſi in viris prudentibus exſpectari id maximè ſolet, ut ea, quæ loquuntur, gravitate eorum, doctrináque digna ſint, omniſque ſermo non ſit fortuitus & vagus, ſed ex rationabilibus cauſis profectus, & exſpectationi audientium utilis, & Authoritati cognitus diſſerentium; quantò magis id in cœleſtibus alloquiis opinandum eſt, ut, quidquid in his excelſum eſt, divinum, rationabile, & perfectum eſſe exiſtimetur.* Quam proin ſaluberrimam doctrinam non pauci Sacerdotes ſtudioſiſſimè obſervârunt.

Chriſtus prædicabat Verbum DEI, ut poteſtatem habens, erátque ſermo illius poteſtate plenus.

S. Petrus, cùm ipſi & S. Joanni prædicatio à Principibus Sacerdotum eſſet interdicta, dixit ad eos: *Si juſtum eſt in conſpectu DEI, vos potiùs audire, quàm DEUM, judicate: non enim poſſumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui.* Act. 4.

S. Paulus, quàm graviter & fructuosè Verbum DEI prædicaverit, ipſemet in 1. ep. Corinth. c. 2. inſinuat, dicens: *Ego, cùm veniſſem ad vos, Fratres, veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti? non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi JESUM Chriſtum; & hunc Crucifixum.* Et iterum: *Non enim ſumus, ſicut plurimi, adulterantes Verbum DEI, ſed ex ſinceritate, ſicut ex DEO, coram DEO, in Chriſto JESU loquimur.* 2. Cor. 2.

S. Dominicus multas plerumque ſub concione lacrymas emittebat, unde mirè Auditores commovit, multíſque ſecum lacrymas ex oculis eliciebat. Vita l. 4.

S. Tho-

S. Thomas Aquinas multam habebat gratiam in concionibus, in quibus tamen vitabat ea, quæ ad curioſitatem potiùs, quam utilitatem Auditorum pertinere videbantur, ad hominum illorum, quibus concionabatur, captum ſe accomodans, & acutas, ſubtiléſque diſputationes ac quæſtiones ad ſcholas amandans. Vit. 7. Mart.

S. Petrus Martyr tanta cum utilitate, tantóque populi confluxu concionabatur, ut in carruca pictis aſſeribus clauſa ad cathedram fuerit deportandus, ne à populo, ut antea fieri conſueverat, tantopere comprimeretur. Balingh. in præf. ad loc. comm. c. 2.

S. Gregorius Nazianz. per plures ſæpe horas diſſeruit, tanto cum fructu, ſolatio, & aviditate Auditorum, ut nullum murmur, nulla tuſſis, nullus ſcreatus audiretur, ſed ſoli frequenter gemitus erumperent. S. Greg. orat. 12. q. 2.

S. Vincentius Ferrerius prædicationis officium quadrageſimo vitæ anno inchoatum uſque ad vitæ finem continuavit, ita ut nulla ferè Provincia prædicationis ejus expers fuerit, & ipſo prædicante nonnunquam ad octaginta millia hominum confluxerint, &, quod præ ceteris admirandum fuerat, materna linguâ omnes alij populi intellexerint. Vita 5. Aprilis.

S. Proſper Aquitanicus nihil ſtudioſiùs quærebat, nihil procurabat attentiùs, quàm quomodo populum ſuum DEO magis placentem efficeret; quocirca & crebris illum declamationibus, quibus nihil facundiùs aut efficaciùs dici poterat, ad rectam vivendi rationem incitabat, & in via Domini continebat, quæ, tametſi gratia & lepore admirabili ob innatam illi facundiam condiebantur, & S. Scripturæ teſtimonijs refertæ erant, & ſic mirificè proderant, majorem tamen vim & authoritatem illis etiam probatiſſimi ejus mores & vitæ ſanctitas afferebat; nihil enim dicebat, quòd opere ipſo non impleret, ſciens, parùm utilem eſſe doctrinam, quæ docentis vitam argueret. Erat illius pectus caritate ardens, mitis præſentia, omnibus affabilis, temperata in delinquentes ſeveritas, ut magis illos corripientis caritas moveret, quàm verborum aſperitas. Haræus 25. Jun.

S. Antonius de Padua in cœleſtibus myſterijs luculenter, copioſéque explicandis uſque adeò præſtitit, ut, cùm ali-

quando eum concionantem Pontifex audiviſſet, arcam teſtamenti, alij malleum Hæreticorum vocâriat, innumera verò multitudo, etiam intempeſta nocte ad ejus conciones confluxerit, veſtéſque cultiores depoſuerit. Surius. 13 Jun.

S. Chryſoſtomus hom. 1. de Lazaro ſic de ſeipſo ſcripſit: *Ego meo ipſius animo perſuaſi, quoad ſpiravero, hoc implere miniſterium, ſive quis attendat, ſive non attendat. Aquarum vena, etiamſi nemo veniat aquarum, manant tamen; & fontes quamvis nemo hauriat, Scatebras emittunt.*

S. Cyprianus nihil carius habebat, quàm aſſiduò verbum DEI populo annuntiare, unde in lib de bono pudic. ſic ait: *Semper enitor vel maximè, quotidianis Evangeliorum tractatibus aliquando vobis fidei & ſcientiæ incrementa præſtare, ut poſſint credentes ad repromiſſum regnum pervenire. Hoc mei & operis, & muneris quotidianum votivum negotium eſt.* Et ideo, cùm abſens erat, per literas hoc penſum perſolvebat, & DEI Verbo ſic ſemper intentus erat, ut ſummo deſiderio optaret inter conciomandum poſſe extremum diem claudere. Sur. Ejus vita.

S. Dunſtanus Cantuarienſis Epiſcopus, cùm in feſto Aſcenſionis multi Angeli ipſi apparuiſſent, & dixiſſent, ſe veniſſe, ad ipſum in cælos deducendum, reſpondit, ſe quidem paratum eſſe ad eos ſequendos, verùm Populum verbi divini pabulo necdum refectum eſſe, unde illi excuſatione accepta; mortem in ſequentem diem tranſtulerunt. Jacobus Marchant. tr. 4. horti Paſtorum. lect. 1.

S. Gabelinus Archiepiſcopus Mediolanenſis vir & ſanctimonia præclarus, & Zelo uſque adeò Populo inſtruendo, & Hæreſibus refutandis invigilabat, ut quâdam die concione finita animam exhalârit. Ibid.

S. Ignatius Lojola pro ſuis concionibus non aliam materiam eligebat, quàm vitiorum extirpationem, & virtutum plantationem, & ut Peccatores ad cor redirent, & infinitum DEI erga ſe amorem agnoſcerent. Ribad. l. 5. c. 11.

S. Franciſcus Xaverius Bononiæ cum ingenti fructu concionabatur. Modus ejus erat maximus ardor, ſententiæ graviſſimæ, nullus fucus orationis, totius corporis ad modeſtiam & humilitatem conformatio, emicans ex oculis & ore pietas,

quæ

quæ oſtendebat, quidquid diceret, ex intimo pectore proficiſci. Materia ejus erat, amor, timórque Domini. Unde una die in Inſula Travancoride decem millia hominum Chriſtianæ fidei amore accendit, & per baptiſmum Chriſto genuit. Vital 1. c. 7.

Sebaſtianus Barradius tanto Zelo concionabatur, ut ab Academia alter Paulus diceretur. Materia illius erant quatuor noviſſima, incertitudo ſalutis, peccatorum deteſtatio, mundi vanitas. In omni ferè concione has ſententias: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et: *momentum, unde pendet æternitas:* inculcabat. Anno 1592. tot nobiliſſimos Juvenes movebat ad S. Franciſci Regulam ſuſcipiendam, ut Quardianus diceret, optare ſe, ut ſuperiores aut P. Sebaſtianum aliò mittant, aut adoleſcentes in Societatem admitterent. Tanti verò erat vel aſpectus illius, ut multi dicerent, ſe plùs illius aſpectu, quam aliorum comptis orationibus moveri. Vita itinerario præfixa.

Michaël à Fontibus è Societate JEſu ſæpe juſſus eſt inter unius & alterius horæ ſpatium concionari; mox ut obediret, ad Chriſti Crucem ſe proſternens, ex, illo libro conciones ſuas faciebat, & dein cum omnium admiratione dicebat. Annuæ Soc 1606. Prov. Arag. dom. prof. valent.

Conradus Onneckinck ex eadem Societate ſolebat conciones ſuas flexis genibus ſcribere, quaſi à Deo illas excepturus. Anno 1607. Mogunt. Coll.

Octavius Gondius Concionator admirandus, ante quamvis concionem, quamvis debili eſſet corpore, flagellabat ſe, & per duas horas antè Crucifixi imaginem multis cum lacrymis ſuam concionem DEO proponebat. Annuæ Venet. 1608.

II. Itaque quivis Sacerdos audiat Iſaïam monentem c. 58. Clama, *ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem, & annuntia Populo meo ſcelera eorum.* Studeat itaque ſic omnes boni Concionatoris partes implere, ut Auditores de ipſius doctrinis illa Jeremiæ 15. c. verba uſurpare poſſint: *Inventi ſunt ſermones tui, & comedi eos, factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei.* Ut autem *prædicandi veritas ſervetur, vivendi altitudo teneatur,* ut rectè monet S. Gregorius ho. 11. in Ezech.

§. II.

§. II.

De Caritate per Catechizationem rudium à Sacerdotibus exhibita.

I. Quemadmodum Agricolæ agrum excolere, & optatum ex eo fructum referre volentis non minima cura eſt, ut, dum terra ad ſemen recipiendum maximè idonea eſt; illud ſeminet, ita & Sacerdotis agrum Dominicum juxta vocationis ſuæ obligationem excolere deſiderantis præcipua ſollicitudo in eo conſiſtere debet, ut, dum tenera adhuc Juventus eſt, & ad ſemen doctrinæ Chriſtianæ recipiendum aptiſſima, illud ſtudiosè ſeminet, ut fructum ſuo tempore non trigeſimum duntaxat, ſed centeſimum ferat. Et hæc nempe cauſa eſt, cur Chriſtus Jo 20. S. Petrum ter interrogans, an ipſum amaret? ipsóque ſemper affirmativè reſpondente, ſubjecerit primis duabus vicibus: *paſce agnos meos:* & ultima primùm vice dixerit: *paſce oves meas.* Ut indicaret ſcilicet duplo majorem pueritiæ per agnos ſignificatæ inſtructioni curam impendendam; quàm adultis hominibus per oves indicatis. Unde meritò varij Pontifices, præcipuè Pius V. & Paulus V. & Gregorius XV. in varijs bullis hunc in finem editis ejuſmodi Catechizationem opus pium, ſaluberrimum, & Reipublicæ Chriſtianæ ſummè neceſſarium vocant, &; ut ad ejuſdem fructuoſum exercitium quàm plurimos invitarent, varias indulgentias liberaliter tam ijs, qui illud ipſimet obeunt, quàm qui ad illud cooperantur, conceſſerunt. Quàm ſedulò autem & fructuosè id obierint multi Zeloſiſſimi Sacerdotes, ex ſequentibus exemplis patebit.

De Chriſto ſcribit Theophylactus in cap. 8 Luc. *Ille, qui de cœlo deſcendit, ut exemplum & formam vitæ nobis daret, operibus nos docuit in caritatis officiis non negligentes, nec remiſſos, ſed valde diligentes eſſe; neque tantùm in civitatibus catechizabat, & verbum divinum prædicabat, ſed multò magis in caſtellis, ne magnas civitates quæramus, ſed viles atque contemptas villas adeamus ad docendas animas & trahendas ad DEUM.* Unde dicebat Apoſtolis:

Sinite parvulos venire ad me, & non prohibueritis eos; talium eſt enim regnum cælorum. Marc 10.

S. Paulus, quantopere ſe in hoc officio caritatis exercuerit, ipſemet 1. ad Theſal. 7. teſtatur dicens: *Facti ſumus parvuli in medio veſtrûm, tanquam ſi Nutrix foveat Filios ſuos,*

S. Hieronymus in Epiſtola ad Lætam de Filiæ inſtitutione ſic ſcribit: *Si ad Paulam miſeris, Magiſtrum me & Nutritium ſpondeo, geſtabo humeris, balbutientia ſenex verba formabo, multò glorioſior Mundi Philoſopho, qui non Regem Macedonum babylonio periturum veneno, ſed ancillam & ſponſam Chriſti erudiam regnis cæleſtibus offerendam.*

S. Gregorius Magnus licèt podagrâ impeditus, & corpore ſemper infirmo, geſtatoria ſede ſe ad ſcholam puerorum choralium portari curabat, quos ipſe manu virgam prætendens docebat, errantéſque corrigebat, uti in epiſt. parœnet. de neceſſ. util. & præſtant. catech. fol. 21. dicitur.

S. Vincentius Ferrerius non tantùm ætate profectos, ſed etiam Pueros certis horis ad ſe vocatos inſtituebat, docens, quomodo Cruce ſe ſignarent, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei recitarent, DEUM colerent, Parentibus honorem deferrent, & debita officia perſolverent. Petrus Ranzanus in vit.

S. Norbertus Ordinis candidi inſtitutor, licèt eſſet tam celebris Concionator, ut S. Bernardus eum fiſtulam cæleſtem verbi divini vocaverit, maluit tamen in vicis & pagis operam ſuam rudibus & pueris inſtruendis impendere, uti Surius in vita teſtatur.

S. Cudbertus ſolebat ea maximè loca peragrare, quæ in aſperis, arduiſque montibus procul poſita, alijs horrori erant ad viſendum, & pauperitate pariter ac ruſticitate Doctorum arcebant acceſſum. Quos tamen ille libenter pio mancipatus labori, tantâ doctrinæ ſolertis excolebat induſtriâ, ut de Monaſterio egreſſus ſæpe hebdomadâ integrâ, aliquando duabus vel tribus, nonnunquam etiam menſe pleno domum non rediret, ſed demoratus in montanis plebem ruſticam verbo prædicationis ſimul & opere virtutis ad cæleſtia vocaret. Haræus vita 20. Mart.

S. Ca

S. Carolus Borromæus per loca prærupta & invia reptans potius, quam incedens, & Sarcinas proprijs humeris portans, Sacerdotes & plebem in montoſis locis demorantem proprio ore catechizabat, & proprijs monitis ſtimulabat. Vita l. 6. c. 4.

S. Ignatius Lojola tanti faciebat hoc opus, ut non modò ipſe cum magna alacritate & fructu perrexerit, ſed etiam à Profeſſis ſuis exegerit, ut promitterent ſe ſpecialem parvulorum curam habituros, & tam ipſi, quàm Rectores poſt factam profeſſionem, aut Rectoratum prima vice ſuſceptum quadraginta diebus eosdem parvulos catechizarent.

S. Franciſcus Xaverius de ſeipſo l. 1. epiſt. ep. 5. ſic ſcribit: Convires plures ego & alij linguæ Hiſpanicæ & Malabaricæ periti in unum converſimus, communi opera, ſummo labore convertimus Catechiſmum in Malavaricam linguam, quem ego ut didici, omnes ejus oræ vicos obire cœpi, tintinnabulo quàm plurimos tum viros, tum pueros cogens. His in unum locum coactis Chriſtianam doctrinam tradebam bis in die. Quocirca eam pueri unius menſis ſpatio, memoriæ belliſſimè commendârunt. Interea eiſdem præcipiebam, ut, quæ ipſi didiciſſent, Parentes, Domeſticos, vicinósque deinceps docerent ſuos. Dominicis porro diebus viros ac mulieres, pueros ac puellas ſacram in ædem convocabam. Conveniebant ſanè alacriter, magnóque cum ſtudio audiendi. Tum ego omnibus audientibus exorſus à confeſſione Sanctiſſimæ Trinitatis, Dominicam orationem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum patrio ipſorum ſermone, claráque voce pronuntiabam, præeuntem omnes pariter ſequebantur, eáque ex re voluptatem capiebant non vulgarem. Inde Symbolum ego iterabam ſolus, & in ſingulis ejus capitibus inſiſtebam. Sub hæc ſymboli articulos ſic iteramus, ut ad ſingulos pariter Pater & Ave cum certo carmine recitemus; nam primo fidei capite decantato, mox patrio eorum ſermone hoc præeo carmen: JESU Fili DEI, da nobis, ut hoc primum fidei tuæ caput planè credamus; quod abs te ut impetremus, hanc tibi precationem offerimus à te inſtitutam. Inde alterum hujusmodi carmen ſubijcimus: Sancta MARIA Mater Domini noſtri JESU Chriſti, imperta nobis à tuo dulciſ-

ſimo Filio, ut ſine ulla dubitatione hunc fidei Chriſtia credamus articulum. Eandem planè rationem in reliq undecim ſymboli capitibus tenemus.

Petrus Forerius, ut doctrina Chriſtiana magis perciper tur, & novitate quâdam populis alliceretur, theatrum e xit in templo à nonnullis ſelectioribus puerulis ornatio cultu veſtitis occupandum, qui in eodem vel de aliquo i dei puncto diſceptarent, vel peccatum cum omni ſua fœ tate depingerent; præterea pœnas, quibus iratum Nume in illud deſævit, adducerent; tum ejusdem fugiendi ratio nes, nec non aliquam in eâdem materiâ terribilem hiſtoriam ſubjungerent, palam etiam conteſtarentur, potiùs ſe mor tem ſubituros, quàm ejusmodi ſcelus admiſſuros. Poſt hæc ipſe loquens ſermonem ad parentes convertit ex eiſdem ſciſcitatus, utrum non afficerentur pudore, quòd eorum In fantes majorem rerum Chriſtianarum notitiam, quàm ipſ eſſent nacti; an etiam deinceps tam ignavi eſſent futuri, ut ipſorum, quod eorum Liberi morte pejus execrarentur, ad mittere velint? & hæc omnia tanta cum emphaſi proferebat, ut nemo non contritus & lacrymabundus diſcederet; deſiderium etiam aliquid addiſcendi tam erat grande, ut ve ſpertino tempore parentes ſuos liberos ſeorſum abducerent, illiſque munuſculum offerentes hortarentur, ut eadem repe terent ut hac ratione meliùs ſingula ipſimet in memori retinerent. Vita l. 1. c. 8.

Jodocus Van. Dormael Theologiæ olim Profeſſor, ſingu lis diebus Dominicis & Feſtis à ſummo manè in veſperam per vicos & pagos, per ſepes & vias, ardentiſſimo animarum zelo, quaſi ſauciatus diſcurrebat, catechizando, & rudimen ta doctrinæ Chriſtianæ, rudi plebeculæ exponendo; ſolo fruſto panis pro viatico contentus, quod, ne cuiquam ex in colis moleſtus eſſet, ſecum portabat. Ut verò huic inſtru ctioni liberiùs & ſine impedimento vacare poſſet, nullum unquam Beneficium Eccleſiaſticum & pinquiſſimum, etiam ultrò oblatum acceptabat. In epiſt. cit. fol. 30.

Cæſar Buzæus Sacerdos Religioſiſſimus, integerrimúsq; Avenione in Gallia commoratus, uſque adeò cordi habu hanc inſtructionem, ut peculiarem etiam Congregatione ex pijs Sacerdotibus inſtituerit, qui Patres doctrinæ Chri

ſtia

ſtianæ per Galliam nuncuparentur. Quam caritatem Deus ipſi feliciſſima morte compenſavit, dum noctu ſub ipſa oratione ſubitò luce viſibili circumfuſus in cœlum raptus eſt, Ibid. fol. 69.

II. Habeat ergo & quivis Sacerdos cordi tam fructuoſam functionem, nec ſibi perſuadeat, in concionibus, aliiſque functionibus honorificatioribus copioſiorem fructum reportaturum, quia, ut rectè ad ſimilem objectionem Joannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius reſpondit, pompoſius quidem non autem efficaciùs aut fructuoſiùs operam ſuam in talibus functionibus ponet, cùm à tali Puerorum inſtructione potiſſima ſalus & felicitas reipublicæ dependeat. Dicat ergo cum eodem Gerſone: *Venite ad me parvuli & rudes: ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis. Sic Angelos noſtros viciſſim lætificabimus.*

§. III.

De Caritate per Sacramentorum adminiſtrationem à Sacerdotibus demonſtrata.

I. Cùm inter alia munera boni Paſtoris non poſtremum ſit, ut oves ſuas certis temporibus ad aquarum, quibus ſitim ſuam extinguere poſſint, fontes aut fluvios perducat; ejusmodi fontes autem reſpectu ſpiritualium ovium meritò Sacroſancta Sacramenta cenſeantur, utpote per quæ, ut loquitur Tridentina Synodus omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur, atque adeò aqua illa viva hauritur, quam qui biberit, in æternum non ſitiat, ſed in eo fiat fons aquæ ſalientis in vitam æternam, ut Chriſtus Jo. 4. dixit, facilè apparet, Sacerdotis zelum & induſtriam etiam in hac Sacramentorum crebra & fructuoſa frequentatione procuranda elucere præcipuè debere; & verò etiam in non paucis Sacerdotibus præclarè enituiſſe ſequentia exempla demonſtrant.

S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis omnia quidem Sacramenta præcipuo in honore habebat, ſed præ reliquis Sacramentum pœnitentiæ magna cum charitate ac zelo adminiſtrabat; ſiquidem ſi quis illi peccata ſua confitebatur, a-

deò copioſas lacrymas profudit, ut ipſum etiam pœnitentem ad fletum permoveret. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli, niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud DEUM magis, quam accuſatores ſint apud homines. Surius. 4 April.

S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus accedentes ad Sacramenta præcipuè Pœnitentiæ, magna cum clementia & humilitate recipiebat, & patientiſſimè audiebat; quandóque verò etiam ſuper caput pœnitentis incumbebat, & tantam vertici lacrymarum copiam infundebat, ut madefactis capillis deorſim rivuli per confitentis ora defluerent. Porrò Mulierum confeſſiones non minùs cautè, quàm benignè audiebat; non enim in Angulis, aut obſcuris, ſecretisve locis eas excipiebat, ſed in publicis, ubi ab omnibus conſpici poſſet; & aurem quidem ſatis familiariter applicabat, oculorum autem in alteram partem vertebat aſpectum, Surius 1. April.

S. Ignatius Lojola, cùm anno 1538. cerneret Christianam rem ob exortas hæreſes propè ab interitu abeſſe, ad eam reſtaurandam, communi cum Socijs conſilio, ſe convertens, utrique Antiſtitum permiſſu, varia Romæ templa ſibi ſortiti, ibíque concionibus ſuis civitatem tum ad omne officium Chriſtiani vehementer accenderunt; tum præcipuè, ut ſacræ confeſſionis & Eucharistiæ frequens uſus Diaboli fraude jam pridem extinctus magno utique reipublicæ Chriſtianæ commodo, in principe, magiſtráque orbis Romá reviviſceret, effecerunt; unde poſtea eorundem & aliorum ſociorum operâ ac ſtudio uſus etiam in cæteram Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, ipsámque Indiam tranſlatus eſt. Maffeus l. 2. c. 7. vit. Ign.

S. Carolus Borromæus uti aliàs frequenter, ita peſtis maximè graſſantis tempore quàm plurimis ſingulari cum caritate Sacramenta Eucharistiæ, extremæ Unctionis, Chriſmatis, & Baptiſmi adminiſtrabat, nihilque veritus lectis adſtare expirantium, ſuggerebat DEI miſericordiam, & plenariam in poſtremo articulo indulgentiam largiebatur. Vit. compend. c. 24.

M. Joannes de Nivella eo ipſo veſpere, in quo agonizabat, alicujus adhuc confeſſionem audire voluit dicens: Nollem pro mille marchis auri hominem non audiviſſe. Spec. Exempel. diſt. 8. ex. 85.

Ægidius Gonzalez è Societate JEſu poſt triginta & duos annos ſummis officijs tranſactos, tam impigrè licèt ſexaginta quatuor annorum ſenex confeſſiones excepit, ut bene validorum Sacerdotum operam æquaret. Imò in ultimo adhuc morbo in lecto confeſſiones excipiebat, jámque morti proximus, cùm à mente aberráſſet, confeſſiones audire ſibi videbatur, atque intermortuis vocibus abſolutionis formam identidem pronuntiabat. Lancizius opuſc. 13 n. 429.

Petrus Faber ex eadem Societate, quando confeſſiones audiebat, cogitabat, ſcoparum inſtar eſſe, quæ, cum cætera verrendo purgárint, ipſæ ſordidæ relinquuntur; ad hanc ergo operam Famuli inſtar ſuam operam & ſtudium Chriſto obtulit, ſimúlque precabatur Societatis Religioſis, ejus ut ſcopæ effici, & haberi vellent; habere enim Dominum in Eccleſia ſua tanquam maxima domo multa nobilia inſtrumenta, ſibi autem & ſocijs abunde fore, ſi ſcoparum loco eſſe concederetur, cujus rei gratia aliquando ſacrificium obtulit, ut ipſe & ſocij dici poſſent ſplendidæ Chriſti, & glorioſæ ſcopæ. Vita l. 2. c. 12.

Jacobus Merlohorſtius Parochus Colonienſis ſub initium ſuſcepti muneris totus in eo fuit, ut eorum Sacramentorum induceret frequentiam, quibus animæ puritas & gratia vel acquiritur, vel conſervatur. Ad ſacrum tribunal quotidie ferè in æde ſumma faciendibus, pridie Feſtorum aut Dominicarum Parochianis ſuis & alijs Fidelibus confitentibus operam dabat; præcipuè verò pauperum & afflictorum docebat rationem, in quibus Chriſtum agnoſcebat, & venerabatur, non ignarus, divites & nobiles multorum faciles & obſequentes nanſci aures, cùm egeni & miſeri vix aut ægrè audiantur, nonnunquam autem etiam vultu aut verbis aſperioribus excepti, à reditu abſterreantur. Sic inducta paulatim in Parochiam octavo quoque die ſacræ communionis frequentatio, pietas Fidelium, aucta & major divini cultûs reverentia introducta. Vita. c. 17.

Vincentius Caſſagnola è Societate JEſu, cùm in confeſſionali quotidie per multas horas ſederet, ſæpe autem nemo in templo eſſet, rogatus cauſam, cur nihilominus ſederet, egregium hoc reſponſum dedit, mercatores & opifices etiam ſæpiſſimè, cùm nihil vendunt, ſpe tamen lucri in tabernis ſuis otioſos conſidere. Annuæ Sicil. Coll. Meſſan. 1604.

Pater quidam in Collegio Taurinenſi dum in confeſſionibus excipiendis tenuiſſimo cuique dabat operam, tanta divinæ ubertate dulcedinis repletus erat, ut nunquam meminerit, ſe majorem expertum fuiſſe. Annuæ 1584. Coll. Taur. prov. Mediol.

Jordanus de Saxonia in vitis FF. Eremit. D. Aug. l. 2. c. 13. ſcribit, quòd quidam ejus Ordinis religioſus inter alias virtutes etiam hanc habuerit, ut pauperculärum perſonarum confeſſiones libenter audiret; unde factum, ut, cùm alioqui damnandus ob varia peccata fuiſſet, non modò ſalvatus, ſed etiam ex purgatorij graviſſimis, pœnis per lacrymas & orationes eorum, quorum confeſſiones audierat, fuerit liberatus.

II. Dicat ergo Sacerdos quilibet cum S. Paulo 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum DEI, hîc jam quæritur inter Diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ut ergo fidelitatem talem ipſe exhibeat, præclaram ſibi S. Chryſoſtomi ho. 83. in Matt. ſententiam ſibi applicet: *Ad vos, ô miniſtrantes, ſermonem convertere neceſſarium eſt, ut multo cum ſtudio hæc dona diſtribuatis; non parva etenim vobis imminet ultio, ſi quemquam ullius culpæ conſcii, hujus menſæ* (reliquorum Sacramentorum) *participem faciatis: ſanguis ejus de manibus veſtris exquiretur. Sive quis Dux militiæ ſit, ſive Præfectus, ſive Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe: majorem illo poteſtatem habes. Propterea vos DEUS hoc inſignivit honore, ut talia diſcernatis: hæc veſtra dignitas eſt, hæc ſecuritas, hæc omnis corona, non ut albam & ſplendidam tunicam circumeatis induti.* Videant ergo, hortante Apoſtolo ad Coloſſ. 4. miniſterium, quod acceperunt, ut impleant

pleant, & ſolicitè curent ſeipſos probabiles exhibere Deo, & operarios inconfuſibiles, ut idem Apoſtolus Thimotheum 2. c. 2. hortatur, ne in ipſos cadat exprobratio D. Gregorij ho. 17. in Evang. dicentis: *Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati, cæleſtem patriam; & Sacerdotes Chriſti per vitam reprobam ad ſupplicia inferni deſcendunt. Cui rei ſimiles dixerim Sacerdotes malos, niſi aqua baptiſmatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regna cæleſtia mittit, & ipſa in cloacas deſcendit.*

§. IV.

De Caritate per converſationem privatam à Sacerdoribus demonſtrata.

I. Hanc Converſationem Manuale Parochorum p. 3. c. 5. meritò ait eſſe caput totius ferè vitæ Paſtoralis; eò quòd ex illa Spiritus quaſi vitales in omnes officij hujus partes dimanent, ſiquidem vita exemplaris & utilis Sacramentorum adminiſtratio, & Concionum, Cateheſeos, reliquarúmque functionum Parochialium recta inſtitutio in converſando ferè conſiſtunt, & præterea ſalus proximi ob familiarem agendi modum *ſuaviùs*, & ob occaſionem eligendi materiam loqui accomodatam, gratámque illis, cum quibus agitur, eámque per frequentiorem repertionem inculcandi *efficaciùs*; & tandem ob faciliorem acceſſum, ac occaſionem liberiùs ac ſine rubore loquendi *faciliùs* procuratur. Unde meritò Zeloſi Sacerdotes eâdem velut præcipuo ad munus ſuum ritè obeundum inſtrumento ſunt uſi.

S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis paſſim vadens ad diverſa Monaſteria Monachorum, Canonicorum, *Sanctimonialium*, nec non ad curias quorumcunque Nobilium, prout eorum ratio, ducebat, perveniens ubique lætiſſimè ſuſcipiebatur. Similiter & ille ſolito more ſe cunctis jucundum & affabilem exhibebat, moréſque ſingulorum, in quantum ſine peccato poterat, in ſe ſuſcipiebat, ſicque familiaris illi de hinc Anglia facta eſt. Vita 21. April. apud Haræum.

S. Vedaſtus Epiſcopus Atrebatenſis omnes ad ſe venientes vitæ æternæ paſcebat alimento, nec ullum in ſua deſpiciebat anguſtia, ſed piæ conſolationis verbo reficiebat mœſtos. Unde & à quamplurimis illuſtribus frequentabatur viris, ut illius ſacratiſſimo alloquio, vel in triſtitia cujuslibet ſollicitudinis ſuſciperent conſolationem, vel in religione Eccleſiaſticæ exercitationis puram ab eo audirent veritatem. Vita 5. Febr. apud Haræum.

S. Dominicus plurimum ſemper converſationi tribuebat; hinc quando aliquem prædicatione movere, & convertere non poterat, ad illius domum ſe conferebat, ibique per aliquot dies morabatur, ut tum vitæ ſanctioris exemplo, tum opportunis & ſuavibus colloquiis eundem emollire poſſet.

S. Ignatius Lojola nihil ferè magis cordi habebat ſuiſque etiam commendabat, quam ut ad hominum benevolentiam divini obſequii gratiâ conciliandam imitarentur S. Paulum, qui omnibus fiebat omnia, ut omnes lucrifaceret; nulla enim re æque ac morum, ſtudiorúmque ſimilitudine, affabilíque converſatione benevolentiam conciliari, animóſque devinci. Hiſt. Soc l. 3. n. 48.

S. Franciſcus Xaverius multùm quidem concionibus publicis, non minùs tamen privata converſatione in convertendis maximè gravibus Peccatoribus efficiebat; hinc & ſedulò ſemper ſocios monebat, ut in congreſſibus & colloquiis caverent, ne nimia quædam gravitas ſuſpicionem præbeat reverentiam exigentis arrogantiæ, ſed potiùs facilitatem vultûs, lætitiámque, & affabilitatem ſermonis præſeferrent, hoc enim eſſe efficaciſſimum medium, quo animæ attrahi ſoleant juxta illud Oſeæ 11. *In funiculis Adæ traham eos, in vinculis caritatis.*

Alanus de Solminihac cum Proximo congrediens miram in loquendo comitatem præſeferebat, verbis ejus ſuavitatis & benignitatis, quâ omnium ſibi devinciebat animos, melle conditis, unde non pauci faſſi ſunt, nunquam ſe cum eo egiſſe, quin ad pietatem & devotionem exſtimulati fuerint, inſignémque conſolationem perceperint; omnia quippe ejus verba ſanctitatem ſpirabant, ſermonéſque inutiles & ſæculares tantam ipſi torturam afferebant, ut ipſemet dixerit ſe plùs

plùs per eos confici & fatigari, quam per quemvis alium corporis vel animi laborem. Vita l. 3. c. 18.

Petrus Faber è Societate Jeſu dicebat, teſte Orlandino p. 1. l. 9. hiſt. Soc. interdum ad populum, ſed in congreſſu, familiarique colloquio vis major inerat: in hoc ille ponebat omnia, in hoc hærebat, in hoc morabatur. Hinc, ut Vitæ Auctor l. 3. n. 19. ait, indagabat omnes occaſiones & vias omnibus conſulendi, &, quocunque ingrediebatur, omnem ſermonis occaſionem intenta mente captabat, ut, quiſquis ei jungeretur, quaſi è ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condiretur. Belliſſimum quippe dicebat eſſe, & omnibus curam alienæ ſalutis gerentibus proprium, relinquere in omnibus domibus, quò divertunt, veſtigium aliquod ſanctitatis. Ubique colligendum, cùm debitores ſint omnibus, & ubique eos ſpectet Deus, cujus ipſi Famuli & Adminiſtratores exiſtunt.

Card. Robertus Bellarminus miram habebat gratiam in converſando, maximè cum turbatis hominibus; hinc ſi talem quempiam deprehendiſſet, incipiebat cum eo humaniter, perinde ac decet cum ægro animo, agere, tum verò his artibus devincebat. Primò aures dabat patientes, naturámque feſtivè odorabatur; pòſt ejus ſenſibus perſpectis, oratione dulci deliniebat; poſtremò ubi animum ejus bene penitus ſe dederat, ſalubribus conſilijs pro re curabat, & reflectebat ab ægritudinia, donec jam ad tranquilla redeuntem & freni patientem in partes virtutis flecteret, incitarétque. Vita l. 2. c. 8.

Balthaſar Alvarez ex eadem Societate judicabat, virtutem manere exiguam, donec in agendo cum proximo probetur; tunc enim caritatem, humilitatem, patientiam, & puritatem magnos ſuſtinere ictus; prodeſſe autem nobis plurimùm illorum ſtudia, & propenſiones valdè à noſtris diverſas, cùm propter DEUM toleramus. Vita c. 7. Sic autem volebat converſationem inſtitui cum proximo, ut ij, cum quibus loquimur, ita moveantur, ut diſcedentes percutiant pectora, dicántque: Verè Filij DEI ſunt iſti, habéntque ſpiritum cœleſtem. Ibid. c. 8.

Jacobus Merlohorſtius etſi difficulter ab oratione & lectione ſpiritualium librorum abſtrahi patiebatur, quando tamen

tamen caritas converſationem cum proximo exigebat, promptiſſimus accedebat, & modò pacem inter diſſidentes conciliabat, modò triſtes & afflictos melliflua dictione ſolabatur. Cum doctis docta, non tamen vana, curioſa, aut affectata, ſed utilia miſcebat colloquia, diſcendi, quam docendi cupidior; hinc cùm nullis libentiùs, quàm cum Religioſis de rebus Aſceticis loquebatur; quos ſi reperiſſet, tum enim verò ridere vultus, & cor gaudijs dilatari, & diffluere incipiebat. Vita c. 22.

II. Audiant itaque Sacerdotes S. Jacobum Apoſtolum hortantem c. 3. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? oſtendat ex converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ*, ut dicere & ipſe poſſit cum Apoſtolo Philip. 3. ſe converſatum eſſe ſine querela; & alij de ipſo illud Sap. 8. *Intrans in domum meam, conquieſcam cum illo; non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.*

§. Ultimus.

De felici morte zeloſorum Sacerdotum.

I. Si ſententia illa S. Davidis Pſ. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, in ullo alio, certè in Sacerdotibus locum habet; de his enim verificabitur maximè, quod Apoc. 14. dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit ſpiritus, & requieſcant à laboribus ſuis; opera enim illorum ſequuntur illos.* Unde rectè S. Gregorius l. 10. mor. c. 21. dixit; *Ad veſperum oritur fulgor Sacerdoti juſto, quia in occaſu ſuam cognoſcit claritatem, atque ideo dictum: Timenti Dominum bene erit in extremis*, id quod non pauci Sacerdotes ſunt experti.

S. Auguſtinus ingraveſcente morbo, quo ſupremum actum vitæ quàm ſanctiſſimè perageret, communibus Eccleſiæ Romanæ Sacramentis ad mortem fortiter, ſanctèque oppetendam ſe comparavit. Decem itaque diebus, quàm ex hac vita migraret, ne aſſidua ejus de rebus cœleſtibus cogitatio à quoquam præpediretur, omne à ſe amovit amicorum colloquium

loquium, ita ut nullus eum adire poſſet, niſi cùm Medici eum inviſerent, vel ciborum aliquid inferretur, reliquum tempus orationi ac rerum cœleſtium meditationi dabat: dicere ſolitus, neminem ſine congruo noxarum dolore decedere debere: quam ob cauſam ipſe in adverſa lectuli parte contra peccatorum horrorem, qui moribundos frequenter excipere ſolet, majoribus characteribus exaratos ſeptem Pſalmos pœnitentiales appendi juſſerat, quos ſæpius magna vi lacrymarum perlegebat. Denique verò à febri penitus oppreſſus, interruptis ac morientibus vocibus Collegas ſuos ad vitæ ſanctimoniam cohortans, & Chriſtum Servatorem, ac intemeratam Virginem, S. Stephanum, aliósque Patronos invocans, aſtantibus ac pariter orantibus Fratribus in pace obdormivit. Vita l. 3. c. 64. & 62.

S. Ambroſius cùm à Sacerdotibus quibusdam rogaretur, ut ſibi vivendi à Domino peteret commeatum, reſpondit: Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quia bonum Dominum habemus. Sed eodem tempore uſque ad horam exitûs expanſis in crucem manibus oravit, ac tandem, ubi ab honorato Eccleſiæ Vercellenſis Presbytero tertiâ vice cælitus admonito ſacrum Domini Corpus accepit, animam in manus Creatoris tradidit. Vita 7. Dec.

S. Nicolaus Epiſcopus inſtante morte ſuſpiciens in cælum, cùm Angelos ſibi occurrentes intueretur, illo Pſalmo: *In te Domine ſperavi:* pronuntiato, ubi ad illa verba venit: *In manus tuas commendo ſpiritum meum:* in cœleſtem Patriam migravit. Vita 6. Dec.

S. Clarus Abbas appropinquante horâ exitûs ſui Pſalterium cum Fratribus decantare cœpit, qui cùm ad illa verba: *Omnis ſpiritus laudet Dominum:* veniſſent, cum luce odor ineffabilis totam cellam replevit, ſicque beata anima à carne ſoluta receſſit. Vita 2. Jan.

S. Bonitus Epiſcopus ingraveſcente morbo ad extrema deductus, cœleſte viaticum ſumpſit, ſigno Dominico ſe munivit, & feneſtram cubiculi aperiri jubens, oculos lacrymis madentes ad cœlum erexit & Pſalmum morienti congruum recitans ſpiritum DEO reddidit. Vita 12. Jan. apud Hanæum.

S. Seve-

S. Severus Epiſcopus Ravennatenſis, cùm diem obitûs ſui ex divina revelatione cognoviſſet, die quodam SS. Miſſæ Sacrificium offerens, tranſitum ſuum ex hoc Mundo ſaluberrima Sacramentorum cœleſtium perceptione communivit, convocatóque ad ſe totius Urbis Clero, & utriusque ſexus populo, de integritate Catholicæ fidei, de fraterna caritate, & dulciſſima animorum conſenſione ſervanda cohortans, impertitâ illis benedictione, ſtolâ Sacerdotali indutus, vivúsque ſepulchrum ingrediens, non multò pòſt ſanctam animam Creatori reddidit. Vita 1. Febr. apud eundem.

S. Nicolaus Tolentinas ex ordine S. Auguſtini, cùm ſex ante obitum menſibus quálibet nocte, ante preces nocturnas, voces Angelicas audiviſſet, & gravi infirmitate ſe gravari advertiſſet; convocatos Fratres ſic eſt allocutus: Etſi nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc juſtificatus ſum. Itaque ſi cuiquam ex vobis injuriam irrogavi, parcite quæſo erratis meis. Te verò, Pater Prior, obnixè rogo, ut quamprimum legas mihi abſolutionem omnium peccatorum meorum, & Matris Eccleſiæ Sacramenta mihi miniſtres. Quæ cùm profuſiſſimis lacrymis ſumpſiſſet, iterum dixit: En Dominus meus Jeſus Chriſtus ſuæ Matri & noſtro Patri Auguſtino innitens dicit mihi: *Euge ſerve bene & fidelis, intra in gaudium Domini tui*: ac mox ſurgens: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*: Junctis rurſum manibus, & oculos ad Crucem elevans, jucundo & hilari vultu animam efflavit. Vita 10. Sept.

S. Martinus Epiſcopus mortem ſibi imminere præſagiens, ſtratum ſuum cinere & cilicio operuit, cúmque rogaretur, ut vilia ſaltem ſtramenta ſupponi ſineret, reſpondit, non decet, Filij, Chriſtianum aliter, quam in cinere mori; ego ſi aliud vobis exemplum reliqui, ipſe peccavi. Subinde oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus, cùm moneretur, ut corpus lateris mutatione relevaret, ſinite me, inquit, ſinite me, Fratres, cœlum potiùs reſpicere, quàm terram, ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur. Quæ locutus, cùm Diabolum propè aſſiſtentem vidiſſet, fiduciâ plenus, dixit: quid hîc adſtas, cruenta beſtia? nihil in me funeſtè reperies, Abrahæ me ſinus recipiet. Quâ in voce beatam animam exhalavit. Vita 11. Nov.

S. Lauren-

S. Laurentius Juſtinianus in agone circumſtantibus dixit: abite hinc cum lacrymis veſtris, tempus lætitiæ eſt, non lacrymarum. Pudeat vos mortem timere, cùm Dominus noſter JESUS Chriſtus, in cujus conſpectu decumbo, propter nos in Cruce mori voluerit. Hunc diem ſemper ob oculos habui, tu ſcis, mi Domine JEſu. Surius 8. Jun.

S. Thomas de Villanova, cùm omnia bona, etiam lectum, in quo jacebat, pauperibus erogata audiviſſet, DEO gratias agens, nunc, ajebat, lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nihil habens, undè teneat, contra malignos Spiritus fortiter luctaturus, ſtatímque petijt, ut Sacramento extremæ unctionis muniretur, Miſsáque legeretur, ſub qua Paſſionem ſecundùm Joannem ſibi prælegi jubebat, & tamdiu attentiſſima mente audivit, donec auguſtiſſimum Sacramentum elevabatur, tum enim mira humilitate illud adorans, & præ gaudio in lacrymas effuſus Canticum. *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace*: inchoavit, eóque finito ſubdens: *In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum*: requievit in pace. In triumpho honor. 1660. Monachii edito fol 53.

P. Joannes Gerardinus è Societate JEſu in agone dixit: Non timeo mori, habens à Chriſto ſyngrapham ad cælum duplici ejus ſigillo munitam; per ſigillum autem hoc intelligebat, *Amen, Amen.* Per ſyngrapham autem verba illa: *qui reliquerit Patrem & Matrem &c.* Dein ad B. V. converſus, O MARIA, inquit, tribularer certè nimiùm, ſi neſcirem tuum Patrocinium, quæſo pia Mater, clemens Patrona, dulcis Virgo, in hora mortis tuo præſidio fulcias; ut quaſi terrebinthus extende ramos, & me laſſum recrea. Denique animam propriam alloquens, O anima mea, inquit, jam hîc malè tractaris, jam pelleris, jam non noſceris, en domicilium tuum jam quaſſatum, baſes nutant, fundamenta diruuntur, parietes finduntur, & per rimas & fiſſuras jam ſpecialis dolorum infirmitas te pellit; quid igitur moraris, exi ocyus, exi lætæ inſtar columbæ ex cavea miſſæ, reditura cum virenti ramo olivæ. Annuæ Soc. Prov. Lithuan. 1606. Colleg. Pultov.

Jacobus Merlohorſtius triennio ante mortem tumbam ſibi

bi præparaverat, quam lecto impoſitam quotidie contemplabatur, cui hoc dyſticon inſcripſerat:

Cùm capulum cernis, cur non mortalia ſpernis?
Tali námque domo clauditur omnis homo.

Teſtamentum pridem ſcripſerat, quod annuè ferè revolvebat, & confirmabat, vel mutabat, hæredibus ſemper pauperibus nominatis, funeris etiam omnem rationem conſignârat, & privatam ſemper decreverat, aſque pompa vel ſumptibus, qui mortuo non prodeſſent, & pauperibus neceſſaria ſubſidia decerperent, eíque ſolos cum Sacerdote præſentes eſſe quadraginta pauperes juſſerat, qui noctem ipſam delato in templum funere vacarent precibus, dicerent vigilias, animam DEO commendarent. Cùm fatalem diem imminere perſentiſceret, cum tenero pietatis ſenſu, & inter heroicos virtutum actus Sacramenta pœnitentiæ, Eucharíſtiæ, & unctionis ſuſcepit, à præſentibus, & abſentibus veniam offenſarum demiſsè petijt, caput 12. l. 2. ex libello de imitatione Chriſti prælegi ſibi petijt, deſiderium cæleſtis Patriæ per varios Pſalmos excitavit, & crucifixi tandem vulnera dulciſſimè diſuaviatus, millies & millies, ajebat, ô dulciſſime JESU, laudabo te, JESU miſerere mei. JESUS MARIA, inter quæ verba ſæpiùs repetita, placidè expiravit. Vita l. 38. & 37.

Georgius Hippius è Societate JEſu, cùm videret ſocium morbo ipſius commotum, & quærentem, num aliqua re ipſi opus eſſet? quid, reſpondit, quid opus eſſe poteſt homini paulò pòſt DEUM habituro? quid mœſtitiam præfers? quin gratularis potiùs præſtolanti tantum bonum? Annuæ 1592. f. 114.

II. Quidni ergo exclamet Sacerdos quilibet, dicátque cum Balaam num. 23. *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia*; verè enim *mors juſtorum*, ut rectè S. Gregorius ſuper c. 10. Matt. dixit, *bonis eſt in adjutorium, malis in teſtimonium, ut inde perverſi ſine excuſatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant.* Sic enim & de ipſis cum veritate dici poterit: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum* Sacerdotum; *pretioſa planè*, ut S. Bernardus in epiſt. ait

ta

tanquam finis laborum, tanquam victoria conſummatio, tanquam vitæ janua & perfectæ ſecuritatis ingreſſus.

CAPUT III.

DE MALORUM SACERDOTUM INFELICI EXITU ET POENIS.

CUm oppoſita juxta ſe poſita magis illuceſcant, non parùm proderit, ad dignitatem & præmium bonorum Sacerdotum clariùs demonſtranda, ſi & damna, quæ ex malorum Sacerdotum ſceleſta vita oriuntur, & infelices exitus, quos propter eandem ſuam vitam ſunt paſſi, paulò clariùs ob oculos ponantur, ſimúlque cauſæ & radices tantorum ſcelerum, eorúmque remedia explicentur, quæ omnia in hac parte breviter præſtabuntur.

CAPUT I.

QUI SACERDOTES HOC LOCO POTISSIMUM INTELLIGANTUR.

I. PEr malos Sacerdotes hoc loco non intelligo eos, qui levibus & quotidianis peccatis, in quæ etiam juſti ſepties cadere ſolent, committunt, ſed qui gravioribus ſceleribus ſunt obnoxij, atque in ijſdem conſuetudine contracta, per obſtinatam non reſipiſcendi voluntatem callum quodammodo obduxerunt; quos quidem genuinis coloribus Judas Apoſtolus in ſua epiſtola deſcripſiſſe videtur, dum dixit: *Væ, illis, qui in via Cain abierunt,* (per DEI ſcilicet

* *Inſtruct. IX.* R con-

contemptum, & Fratrum perſecutionem) *& errore Balaam mercede* (id eſt promiſſione mercedis,) *effuſi ſunt*, (ſicut ipſe; in maledicta, & impia conſilia ad perdendum populum DEI) *& in Contradictione Core* (id eſt, rebellione & ſchiſmate contra Superiores, (*perierunt. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ* (id eſt, commaculantes corpus crapulâ, mentem libidine, convivas turpibus verbis) *convivantes ſine timore* (id eſt, fœdè & ſine reverentia DEI & hominum ſe ingurgitantes) *paſcentes ſemetipſos* (& non gregem ſuum) *Nubes ſine aqua* (copioſam pluviam exteriori habitu & ſtatu promittentes, ſed nihil minùs præſtantes) *quæ à ventis* (vanæ gloriæ laudis, & famæ) *circumferuntur, Arbores autumnales infructuoſæ, bis mortuæ* (tum per defectum gratiæ, tum per carentiam bonorum operum) *fluctus feri maris* (id eſt, tumidi, inquieti, tummultuoſi, & tandem in ſpumam libidinis deſinentes) *ſidera errantia* (id eſt, varijs erroneis doctrinis obnoxia) *quibus ſervatæ* eſt procella tenebroſa (id eſt, ignis infernalis) *in æternum. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos* (à bonis Paſtoribus) *animales* (inſtar brutorum viventes) *non habentes Spiritum* (id eſt, zelum ad veros Paſtores requiſitum.) Breviùs verò loquendo per malos Sacerdotes hoc loco intelliguntur ij, qui nec ſuæ, nec alienæ ſalutis curam habentes, gravibus peccatis, & peſſimis exemplis ſemetipſos & alios perdunt.

II. Porro non exiguum eſſe talium Sacerdotum numerum, ſat clarè SS. Patres, ipsáque experientia quotidiana demonſtrant; S. Chryſoſtomus certè hom. 3. in act. Apoſt. apertè auſus eſt dicere: *Non arbitror, inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant, ſed plures multò, qui pereant. In cauſa eſt, quoniam res excelſum requirit animum; multas enim habet cauſas, quæ depellant ipſum à ſuis moribus, & innumeris oculis illi undique opus eſt.* Et ut S. Auguſtinus tr. de mor. b. Eccl. benè advertit, *magnum periculum eſt, Judicem fieri vitæ alienæ, qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ. Perpetienda ſunt vitia multitudinis, ut curentur, & priùs toleranda peſtilentia, quàm ſananda. Difficillimum eſt hîc tenere optimum vitæ modum, & animum pacatum, atque tranquillum, quippe, ut breviter explicem: hi agunt, ubi vivere diſcitur; illi, ubi,*

vivi-

vivitur. Clariùs verò id ipſum periculum ſ. 15. in append. de diverſis ſic explicat: *Si diligenter attenditis, Fratres cariſſimi, omnes Sacerdotes Domini & Miniſtros Eccleſiarum in grandi periculo eſſe cognoſcetis. Ipſis enim conteſtatur Spiritus ſanctus dicens: Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Et iterum: ſi non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram De ipſis etiam Apoſtolus dicit: Obedite Præpoſitis veſtris, ipſi enim pervigilant tanquam rationem reddituri pro animabus veſtris. Si pro ſe, Fratres, unusquisque vix poterit in die judicij rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum eſt, à quibus ſunt omnium animæ requirendæ?* Unde non immeritò exclamat Trithemius Abbas in ſua epiſt. de Sacerdotum vita c. 2 *Miſeranda generis humani conditio, qui aliorum ſcelera debuerant emendare, graviora committunt. Sedent prô pudor in villis & urbibus publicè Sacerdotes concubinarum ſuarum commixtione diffamati, quorum tantus hodie invenitur numerus, ut ſi Præſul aliquis in ſua Diœceſi tales voluerit corrigere, ſola multitudine victus, à propoſito terreatur.* Ut adeò ferè verificatum videatur S. Chryſoſtomi pronuntiatum: *Multi Sacerdotes, pauci Sacerdotes: multi nomine, pauci opere.*

CAPUT II.

DE DAMNIS EX MALORUM SACERDOTUM VITA ORIUNDIS.

I. MUlta quidem recenſeri poſſent damna, quæ ex improborum Sacerdotum vita oriri ſolent, ſed quæ ad quatuor præcipuè revocari queunt, videlicet ad damna, quæ DEO, Eccleſiæ, ovibus, & ipſis Sacerdotibus oriuntur.

II. Et primò quidem DEUM quod attinet, quanta is damna & injurias à Sacerdotibus malis patiatur, S. Gregorius ho. 17. in Luc. ſequentibus verbis declaravit: *Nullum*

majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat DEUS; *quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit; quando ipſi peccamus, qui peccata compeſcere debuimus. Nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Eo ipſo, quo cæteris prælati ſumus, ad qualibet agenda majorem licentiam ſumimus, & ſuſcepta benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum.* DEI *cauſas relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.* Quod ipſe DEUS jam olim in veteri Teſtamento per figuram declaravit, quando Ezechieli Prophetæ in Babylone, & in Spiritu in Jeruſalem rapto, ad primum templi ingreſſum multitudinem idololatrantium, & picturis reptilium & animalium thus offerentium oſtendit. Dein progreſſo lacrymas Mulierum Adonidem deplorantium, quod erat turpitudinis & luxuriæ idolum, monſtravit, & poſthæc dixit: *Fili hominis vidiſti abominationes maximas, at converſus videbis majores.* Et mox in atrium interius introduxit, ubi viginti quinque viros, qui dorſum altari obvertebant, & ad ortum ſolis adorabant, conſpexit; per quos S. Chryſoſtomus & alij Interpretes peccata Sacerdotum, qui in atrio interiori ſerviebant, intelligit, atque adeò meritò majora, non ratione operis, ſed tamen ratione ſtatûs & qualitatis cenſebantur. Unde Malach. 2. ſic eos alloquitur: *Et nunc ad vos mandatum hoc, O Sacerdotes. Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus Exercituum, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis, quoniam non poſuiſtis ſuper cor. Ecce ego projiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum.* Et iterum ibidem: *Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Levi; propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis.* Quæ omnia Sacerdotibus novi Teſtamenti tantò potiori jure applicari poſſunt, quantò præſtantius eſt illorum Sacerdotium, atque adeò & major ingra-

gratitudo, ſi vitam tanto muneri congruam non inſtituerint. Unde meritò S. Auguſtinus epiſt. 148. pronuntiavit: *Nihil eſt in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: ſed nihil apud DEUM triſtius, miſerius, & damnabilius.*

III Quòd verò ſecundò gravia etiam Eccleſiæ damna ex malorum ſacerdotum improba vita, moribúſque oriantur, jam olim S. Gregorius p. 1. Paſtor. c. 2. diſt 83. indicavit dicens: *Nemo in Eccleſia plùs nocet, quàm qui perversè agens nomen vel ordinem Sanctitatis habet Delinquentem namque hunc nemo redarguere præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.* Et conſentiens S Hieronymus, *veteres*, inquit, *ſcrutans hiſtorias, invenire non poſſum ſtridiſſe Eccleſiam, & de domo Domini populos ſeduxiſſe, præter eos, qui Sacerdotes à DEO poſiti fuerant & Prophetæ, id eſt, ſpeculatores. Iſti ergo vertuntur in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum.* Neque ſanè neceſſe eſt, veteres duntaxat hiſtorias evolvere, nam ſi vel noſtri duntaxat ævi geſta percurramus, clariſſimè deprehendemus, omnes propemodum hæreſes ab impijs Sacerdotibus fuiſſe excogitatas; quod verò majus damnum Eccleſiæ oriri poterat, quàm quòd per tot hæreſes tam fœdè contaminata & diſciſſa ejus Religio fuerit? Unde meritò de talibus Sacerdotibus Eccleſia conqueri, illáque Jeremiæ c. 10 verba uſurpare videtur poſſe: *Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea, tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei* (caritatis videlicet & unionis, quâ Fideles inter ſe uniebantur,) *diſrupti ſunt, Filij mei* (Sacerdotes nempe, qui quaſi primogeniti erant,) *à me exierunt, & non ſubſiſtunt Non eſt, qui extendat ultrà tentorium meum, & erigat pelles meas, quia ſtultè egeruut Paſtores, & Dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt* Sed & ipſi Paſtores & Sacerdotes tales jure illud S. Hieronymi uſurpare poſſunt: *Noſtris peccatis Barbari & Hæretici fortes fiunt, noſtris vitiis Catholicus ſuperatur Exercitus; infelices nos, qui tantùm*

diſplicemus DEO, *ut per rabiem Barbarorum & Hæreticorum illius in nos ira deſæviat.*

IV. Non minus verò damnum etiam ipſis ovibus ex ejuſmodi Sacerdotum reproba vita oritur; cùm, ut S. Bernardus ait, *miſera Sacerdotum converſatio, plebis Dominicæ ſit miſerabilis ſubverſio*; id quod S. Ambroſius apud Marchantium tr. 2. virg. Aaron. lect. 7. eleganti ſimilitudine declarat dicens: *Sicut in corporalibus membris capite vitiato neceſſe eſt, reliquum corpus inundatione ſuperioris morti lethaliter irrigari; ita & hi, qui caput videntur Eccleſiæ, morbo ſuo fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage inſauciatum poſſit evadere, quod negligentium Sacerdotum vitioſitas non infecerit, unde populum videmus nugacem & indoctum, eò quòd tales habeat Sacerdotes.* S. Chryſoſtomus verò ho. 38. ſuper Matt. aliâ, eáque duplici ſimilitudine idipſum ſic confirmat: *Sicut in corpore, ſi aliquod vitiatum fuerit membrum, non omnino languet & ſtomachus; ſi autem ſtomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma; ſic ſi aliquis Chriſtianorum peccaverit, non omnino peccavit & Sacerdos; ſi autem & Sacerdotes peccaverint, totus populus convertitur ad peccandum. Ideo unusquisque Chriſtianorum pro ſuo peccato reddet rationem, Sacerdotes autem non ſolùm pro ſuis, ſed & pro omnium peccatis reddent rationem. Et quemadmodum cùm videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem; ita cùm videris populum indiſciplinatum, & irreligioſum, ſine dubio cognoſce, quia Sacerdotium ejus non eſt ſanum.* Quibus omnibus aſſtipulans S. Gregorius ho. 17. in Evang. *quotidie* inquit, *mundus gladio feriatur, aſpicitis; quibus quotidie percuſſionibus intereat populus, videtis, cujus hoc niſi noſtro Sacerdotum peccato agitur, nos pereunti populo authores mortis exiſtimus, qui eſſe debemus Duces ad vitam: ex noſtro peccato populi turba proſtrata eſt, quia noſtrâ negligentiâ ad vitam erudita non eſt.*

V. Quartò denique quantum ſibimetipſis damnum accerſant impij Sacerdotes, clarè S. Hieronymus c. 2. ſup. Ezech. indicavit, dum dixit: *Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina, ſi peccant. Lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus*

meamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudii excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimibus corruiſſe, nec enim ſolum pro noſtris delictis reddemus rationem, ſed pro omnium, quorum abutimur, donis, & nequaquam ſumus de eorum ſalute ſolliciti. Talibus ſanè ſacerdotibus velut Judicibus ſpiritualibus multò magis congruit, quàm Judicibus ſæcularibus ſevera illa comminatio ſap. 6 à DEO facta: *Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis* (in Fideles) *& virtus* (id eſt, talenta neceſſaria) *ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cùm eſſetis Miniſtri regni ipſius* (ſpiritualis) *non rectè judicáſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem DEI ambuláſtis Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet; exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Unde meritò S. Anſelmus in med. exclamat: *O durus, & durior caſus! heu perdidit Sacerdos beatitudinem, ad quam factus eſt, & invenit mortem, ad quam non eſt factus.* Nec mortem duntaxat, ſed grandem etiam infamiam & confuſionem; nam, ut S Chryſoſtomus h. 5. in Matt rectè advertit, *verè magna confuſio Sacerdotum, & omnium Clericorum; quando Laici inveniantur fideliores eis, & juſtiores Quomodo non ſit confuſio, eſſe inferiores Laicis illos, quos & æquales eſſe confuſio eſt?* quæ omnia magis ex ſequenti capite patebunt.

CAPUT III.

DE INFELICI EXITU MALORUM SACERDOTUM.

QUod olim S. Auguſtinus de doctr. Chriſt pronuntiavit, dum dixit: *Non poteſt malè mori, qui bene vixerit; & vix bene moritur, qui malè vixit;* nam, ut ſapienter advertit Cæſarius in 6. admon. *percutitur hâc animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt DEI;* hoc plerúmque etiam in Sacerdotibus impiè viventibus adimpletum eſſe, crebra experien-

tria & exempla demonſtrant. Quia verò varia fuerunt vitia ob quæ infelicem exitum ejuſmodi Sacerdotes ſunt conſecuti, ideo, ut magis appareat, quam graviter ea DEUS in illis puniverit, placet ſingula ſeorſim enarrare.

§. I.

De Luxuria in Sacerdotibus caſtigata.

I. Agmen inter hos meritò infellix Udo Epiſcopus Magdeburgenſis ducit, qui, cùm ope B. Virginis & S. Mauritij Eccleſiæ Patroni ſcientiam inprimis, poſtea verò etiam Epiſcopatum nactus fuiſſet, ibique vitam luxurioſiſſimam duxiſſet, de nocte quondam monialem ſecum in lecto habens hæc verba audivit: *Ceſſa de ludo, quia luſiſti ſatis Udo.* Verùm cùm tertia vice audiens eandem vocem necdum reſipuiſſet, tandem nocte quâdam à latere monialis abſtractus, & ad templum, ubi Chriſtus cum ſua Matre, Apoſtolis, & Sanctis, S. Mauritio præſertim, & illis, quorum reliquiæ in illo templo aſſervabantur, deportatus, ibidem accuſante S. Mauritio capite plexus, & inferno adjudicatus eſt; uti fuſius refertur in *Spec. Exempl* tit. judicium DEI. ex 9.

II. In Gallia cùm *Presbyter* quidam pellicem inprimis diu habuiſſet, eâque mortuâ, omnino cum alia nuptias celebrare voluiſſet, nequicquam à ſuperiore deterritus, ipſa nuptiali die, dum lectum uxori cohabitaturus ingreditur, repentina morte percuſſus eſt, uti in eodem ſpec. v. luxuria ex 5. videre eſt.

III. Joannes Dominicus Ottonellus in libro nonnulla monita circa periculoſam converſationem continente ſcribit anno 1628. Parochum quendam fuiſſe, qui, cùm conſtanter concubinam aluiſſet, tandem gravi & periculoſo morbo oppreſſus eſt; ad quem cùm Notarius vocatus ad teſtamentum faciendum hortatus fuiſſet, nihil aliud, quam has voces: *ah iſta meretrices*; expreſſit. Unde cùm re infectâ abijſſet iterum, ſequenti mane ejus concubinam ad ipſum venit, eique cum inſolito tremore narravit, ſe à Parocho iſto paulò ante mortem vocatam, & tres ſellas proximè ad lecti ſpondam collocare juſſam eſſe; quo facto cùm ipſa non-

nonnihil ad latus ſeceſſiſſet, ipſum cum alijs, quos tamen illa non viderat, collocutum, poſtea ad ipſam accedentem dixiſſe; ibimus, eáque reſpondente, in villam ibimus, ſi valetudinem recuperaverimus, iterum ſubjeciſſe: Ibimus non in villam, ſed ad infernum. Et ſcias mecum tres ex orco Dæmones hic conſediſſe, qui decretoriam damnationis ſententiam denuntiárunt, quibus verbis cùm turbata exiviſſet, paulò poſt auditâ horrendâ vociferatione, rediiſſe in cubiculum, & Parochum mortuum inveniſſe, ſulphureúmque fœtorem tam gravem exhalaſſe, ut penè exanimis fuerit proſtrata,

IV. Idem Author monito 14. notâ 9. narrat, anno Domini 1639. Sacerdotem quendam nonagenarium ſexaginta annis Eccleſiam ſibi commiſſam adminiſtrâſſe, támque illiteratum fuiſſe, ut nec latinitatis principia calleret. Hunc ergo, cùm adhuc primis annis curæ ſuſceptæ concubinam maritatam ſub nomine Famulæ ſuſcepiſſet, & fruſtra à ſuperioribus admonitus demittere nollet, tandem in lethalem morbum incidiſſe, Sacrilegáſque in voces contra Chriſtum, & ejus Matrem erupiſſe, &, quotieſcunque ad pœnitentiam ab adſtantibus excitabatur, ad aliam partem, ne audiret, ſe volviſſe, quouſque tandem deficiente articulatâ voce, latrare horrendè incepit, & in iſto latratu tres dies perſeverans, tumefactâ linguâ, miſeram animam ad orcum tranſmiſit.

V. Cracovienſis quidam Prælatus nobiliſſimo ex genere oriundus, cùm ad arcem quandam profectus, poſt cœnam opiparè ſumptam, remotis menſis, omnes præter concubinam, cum qua multis annis libidinem ſuam expleverat, ex conclavi exeſſe juſſiſſet, inchoato noctis primo ſilentio, concubinâ ad ſatisfaciendum naturæ egreſsâ, à nonnullis viris tetris, nigris, proceris, & flammas vomentibus cubiculum ingreſſis tam crudeliter interemptus eſt, ut Famuli, qui januam nullâ vi reſerare poterant, tandem per feneſtram aſcendentes, eundem diu fruſtrà quæſitum, tandem ſub lecto inſtar globi convolutum, ex toto ſanguinolentum, nigrum, informem, & abominandum, omnia oſſa confracta, humúmque, lectum, & parietes recenti cruore madidos & fœdatos repererint, Ex relatione Polonica anno 1542. facta.

VI. Anno 1643. D. Alphonſus Mendes, Patriarcha Æthiopiæ Congregationi de propaganda fide ſequentem cujusdam Sacerdotis luxuriæ penitus immerſi cataſtrophen perſcripſit. In Ceila; unâ ex orientalibus Inſulis, cùm Sacerdos hic multo tempore Concubinam ſuam domi aluiſſet, & aliquot ex ea Filios ſuſtuliſſet, in graviſſimum morbum conjectus eſt; quem cùm fatalem ſenſiſſet, advocatâ lupâ varia cum ea negotia tranſegit, tandémque hæc verba ſubjunxit: Ego nunc quidem morior, ſed cave tu ne cum alio quopiam Matrimonium ineas, nam poſt mortem meam ocyus me expediam, & ad te revertar, ſicque delicioſam, quam hactenus duximus, vitam porro continuabimus, quibus dictis paulò pòſt infelicem animam exhalavit.

VII. Conradus Schvvaigerus, cùm à Religione, invitis ſuperioribus, diſcedens, Canonicus Paſſavij eſſet factus, poſt aliquot annos in fœda libidine exactos, tandem in morbum Gallicum incidit, qui corpus adeò fœdavit, ut ab amicis fœtorem non ferentibus in gravi ac diuturna ægritudine penitus deſertus fuerit. Aſſiſtebat ſola muliercula, quam habebat concubinam, & ipſa Gallica lue correpta. Cùm ipſe animam ageret, paulò ante mortem ea ipſum feciſſe narrant, quæ nec Chriſtianum, ne dicam Sacerdotem decebat. Oliverius Manaræus Soc. JEſu in catalogo Apoſtatarum.

VIII. Nicolaus Libebat Lotharingus Sacerdos, poſt religionem deſertam, uſque adeò libidini vacabat, ut nullis monitis abduci potuerit; hinc quondam orto ſole per Lictores à domo adulteræ in carceres per medias plateas oppidi, cujus Paſtorem egerat, abreptus eſt, ſed neque ſic niſi in peius profecit: hinc morbo Gallico correptus, dein turpi catellorum nundinatione, mercaturáque infamis, demum ob homicidium iterum in carcerem conjectus eſt, è quo cùm ſupplicij vitandi cauſa effugere, linteis è turri colligatis vellet, ſolutis nodis miſer corruens, &, ſicut vas figuli, confractus, infelicem animam efflavit. Ibid.

§. II.

§. II.

De Avaritia Sacerdotum caſtigata.

I. De Jordani Cardinalis avaritia à DEO punita ſic ſcribit Cæſarius l. 2. c. 22. Ante annos paucos Cardinalis quidam, nomine Jordanus defunctus eſt, qui, ut ab Abbate quodam audivi, erat avarus valde. Habebat autem Notarium quendam, Pandolfum nomine; hunc cùm pro negotio quodam neſcio quo miſiſſet, interim expiravit. Eadem horâ, cùm ille expleto negotio rediret, mane ante lucem catervam miſerabilem in agro contemplatus eſt. Sedebant homines in jumentis in ore caudas habentes, verſis dorſis ad capita illorum, quos Jordanus cucullâ indutus, nudis pedibus ſequebatur, duobus Dœmanibus ducentibus, in quorum aſpectu dum Notarius nimis horreret, clamavit. Cardinalis: Pandolphe, Pandolphe. Subſiſtente Clerico, & dicente: quis es tu, aut quid clamas? reſpondit ille: Ego ſum Jordanus Cardinalis Dominus tuus, & mortuus ſum. Dicente illo, quò ducimini? ante tribunal Chriſti, reſpondit. Cùmque Notarius ſubijceret: Noſtis, quid de vobis futurum ſit? non novi ait ille, Deus ſcit; ſed cùm venero, B. Petrus de Cardinalatu meam pro me redditurus eſt rationem, Sanctus verò Benedictus de cuculâ (erat enim ex Ordine illo aſſumptus) quod ſi illam mihi obtinere poteit, ſalvabor: ſin ſecus, damnabor. Sicque oculis ejus ſubtractus eſt.

II. De Reginhero Miſnenſi Epiſcopo Boronius to. 11. ad annum 1066. refert, quòd poſt refectionem, in cubiculum, in quo theſaurum ſuum habebat, quaſi parùm quieſcere volens ſe incluſerit. Cúmque jam die vigente in Veſperam præter modum, conſuetudinémque ſuam ſomno indulgere videretur, rem inſolitam mirantes cubicularij, pulſare oſtium cœperunt, ſed nec vociferantibus, neç pulſantibus dabatur reſponſum. Tandem effractis foribus irrumpentes, invenerunt eum fractis cervicibus, colore terro exanimem, ipſis theſauris miſerabilem in modum incubantem.

III. Aliud

III. Aliud non minùs terribile exemplum Collector Magni ſpeculi Exemplorum V. avaritia. ex. 9. narrat, quòd ſcilicet Sacerdos quiſpiam nimiùm avarus infirmum quendam de ſalute ſua deſperantem inviſens, pactus cum illo ſit, quòd, ſi equum ſuum infirmus ipſi donare, ipſe peccata illius in ſe recipere vellet; quam conditionem cùm acceptâſſet æger, ac paulò poſt defunctus eſſet, Sacerdos, dum ſacris veſtibus indutus exequias pro ipſo celebrare parat, viſibiliter coram populo per teſtitudinem Eccleſiæ, magno facto foramine, eductus nuſquam ampliùs comparuit.

§. III.

De Pluralitate Beneficiorum in Sacerdotibus caſtigata.

I. Cantipratanus l. 1. apum. c. 9. part. 5. & 6. narrat, circa annum 1238. fuiſſe Pariſijs ſolemnem diſputationem inſtitutam, ubi omnes ferè Theologi à Guilielmo Epiſcopo Pariſienſi convocati, unanimiter decreverunt, duo beneficia, quorũ quodvis quindecim libras Pariſienſes pro redditu haberet, ſimul retineri non poſſe; duo ſolùm Theologi, videlicet Philippus Cancellarius Pariſienſis, & quidam Arnolphus poſtea Epiſcopus Ambianenſis, contrariam ſententiam defenderunt. Paulò pòſt autem Philippus in morbum lethalem incidit, in quo, dum Epiſcopus eundem viſitans hortatur, ut ſententiam mutet, omniáque beneficia, quæ habebat, uno retento, reſignet, reſpondit æger, experiri ſe velle, an damnabile ſit, plura beneficia retinere, ſicque deceſſit. Cùm verò memoratus Epiſcopus poſt paucos dies finito Matutino oraret, inter ſe & lumen umbram quandam tetram admodum conſpexit, quam cùm allocutus quæſiviſſet, an ex parte DEI eſſet? reſpondit ille: Alienus à DEO ſum, nempe miſerrimus ille Cancellarius, cúmque Epiſcopus quæreret, quo in ſtatu eſſet? damnatus ſum, ſubjecit ille: Et tres fuêre cauſæ damnationis meæ. Una eſt, quòd creſcentes fructus annuos contra pauperes timidè reſervavi. Secunda eſt, quòd contra ſententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum opinionem propriam defenſavi, & in hoc me periculo

ticulo mortalis culpæ commiſi. Tertia eſt, quòd carnis vitio cum ſcandalo multo tempore laboravi.

Idem Author loc. cit. aliam narrat hiſtoriam de magno quopiam Doctore, qui ſupradictæ diſputationi interfuerat, & duas præbendas injuſtè poſſidebat, quòd ſcilicet, cùm eidem in gravi infirmitate conſtituto ſuaſum fuiſſet, ut alterutram dimitteret, hoc unicum repoſuerit: Orate Dominum, ut inſpiret. Poſt cujus obitum, cùm miraretur quiſpiam, quòd tantus Doctor, ſi peccatum mortale eſſet, plura beneficia retinere, in tali ſtatu obijſſet, mox quaſi ſemivigilanti mortuus apparens dixit: Hæc ſola præbendarum cauſa eſt, pro qua infelix ego æternaliter ſum damnatus.

Addit poſtea idem Author hæc verba: Ego in quadam civitate Epiſcopali annis undecim commoratus ſum, ubi ſexagina duo Canonici ſub præbendis pinguiſſimis ducentarum ferè librarum Pariſienſium in Matrice Eccleſia ſerviebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Ego, qualem vindictam in ipſos viderim, teſtis eſt mihi & Judex SS. Trinitas. Paucos enim vidi, communi morte defungi, ſed omnes ſubditò & repentè mori, ita ut quidam eorum audito, quòd unus Sociorum nocte ſanus, manè mortuus inventus eſſet, comploſis manibus dixerit: quid vultis? ſecundùm uſum & morem Ecclaſiæ mortuus eſt, ut videtis. Vidi ego in ea Eccleſia quatuor Archidiaconos ſic defungi. Primus eorum de phalerato equo cecidit, & fracta cervice expiravit. Secundus manè in cathedra ſedens mortuus eſt repertus. Tertius in choro ſtans, cùm ad Miſſam elevatio corporis Chriſti fieret, cecidit reſupinus, & ſubtractâ loquelâ cum ſenſu, quaſi brutum animal tertio die ſine Sacramentis eſt defunctus. Quartus confeſſionem, Sacramentáque recuſans mortuus eſt, & extra cæmiterium ſepultus.

§. IV.

De Gulæ intemperantia in Sacerdotibus caſtigata.

I. In villa Bruxellenſi Brabantiæ Sacerdos quidam, cùm aliquot annis nihil aliud, quàm Gulam & Luxuriem meditari vi-

ri videretur, juſto DEI judicio impræmeditatè defunctus eſt; nec multò poſt, cùm alius Presbyter ſocius illius & commenſalis in crepuſculo noctis viam ageret extra villam, audivit miſerabilem vocem quaſi ſub terra clamantis, & plangentis. Conſternatus autem, quisnam eſſet, cruce ſe ſignans inquirit; cui reſpondit alter: Ego ſum infelix ſocius tuus. Cúmque rurſus alter quæreret, quo in ſtatu eſſet, væ, ſubjecit ille, væ mihi, væ, væ, quoniam clauſit ſuper me puteus os ſuum. Et cum pennigero quaſi volatu vox in longinquum delata & audita eſt. Cantipt. l. 2. c. 30. part. 16.

II. S. Cyrillus in Epiſtola ad S. Auguſtinum narrat, quòd, cùm Sacerdos quidam ebrioſus & luxurioſus de hoc ſæculo migrâſſet, tantus duabus noctibus ſtrepitus campanarum, & aliarum rerum auditus fuerit, ut vicini undique ad Eccleſiam confluerent, inuſitatum ſpectaculum viſuri; cúmque omnia in templo everſa, & à flammis ambuſta reperiſſent, Candiæ Pontifex communes preces indicens, quid hic ſibi tumultus ſignificaret, indicari petijt. Quo facto S. Hieronymus cum magno ſplendore apparens, indicavit, id propter corpus Sacerdotis ebrioſi in locum ſacrum indignè ſepulti contigiſſe, juſſitque, ut, ſicut olim infernalibus ignibus æternùm arſurum eſſet, ita nunc quoque flammis temporalibus concremandum offeratur, quod & factum.

III. Joannes Kokfort Baſſovienſis Parochus poculis plùs æquo addictus, cùm die quâdam cum Nobilibus duobus & propinquis à potu temulentus rediret, arripiens legenam vino plenam, nobilem provocat, ut uno hauſtu illam ambo evacuarent; recuſante verò altero, ego, inquit, ſum Sacerdos & Paſtor, tu verò Nobilis & ſæcularis, non audebis mihi de tantillo potu reſpondere? Nobilis ergo irritatus, age, inquit, & ebibe priùs, ego ſequar. Dum ergo legenam fermè evacuavit Sacerdos, retrorſum cecidit quaſi mortuus, & ſtatim in lectum delatus crepuit medius, ac die ſequenti extinctus eſt. Oliverius in relat.

IV. Jacobus Feurier Sacerdos Trevirenſis à Religione primùm, poſtea verò etiam à fide deficiens, cùm quondam in funere Nobilis Matronæ concionatus ad veſperam uſque liberalius bibiſſet, ſurgénsque de menſa domum redire vellet, in medijs campis obdormiſcens, ab alio ut ipſe ajebat, excita-

tus

tus eſt, vocémque audivit juxta ſe dicentem: damnatus es, quâ territus in fugam ſe dedit, & domum veniens mox gravi morbo correptus eſt; cúmque viſitaretur ab Amicis, hoc ſolùm in ore habuit: damnatus ſum: & in hac voce non multò pòſt expiravit. Idem.

V. Jacobus Marchantius in Virga Aaron lect. 11. narrat de duobus Parochis, quorum alter tabulato, in qua nuptiale peragebatur convivium, corruente oppreſſus miserè occubuit, ſcyphúmque adhuc in manu gerens inventus eſt. Alter autem, dum ſimili convivio nuptiali intererat, temulentus de altiori loco per gradus corruit, & fractâ cervice, ſubitò expiravit.

§. V.

De Superbia in Sacerdotibus caſtigata.

I. Simon de Tornaco celeberrimus Doctor Pariſienſis, cùm ob raram ſcientiam ab omnibus ſuſpiceretur, & Auditorum præ alijs Doctoribus accurſum maximum haberet, ob hanc elatior factus eò uſque per Superbiam deductus eſt, ut denique publica in diſputatione dicere auſus ſit, tres fuiſſe in mundo homines, qui eum ſectis & dogmatibus ſuis ſubjugârint, Moyſen videlicet, qui Judaicum populum ſubverterit. Machometem, qui Turcas ſeduxerit: & Chriſtum, qui Chriſtianos fefellerit. Quâ blaſphemiâ prolatâ mox à DEO punitus, everſis primùm oculis, pro humana voce mugire cœpit, & epilepſiâ correptus, omnem ſcientiam & loquendi uſum uſque adeò amiſit, ut nihil præter Alcydem concubinam ſuam, nominare poſſet. Cantiprat. l. 2. apum c 48. p. 5.

II. De alio quopiam Sacerdote, ſuperbo admodum, & plus, quàm decebat, bellicoſo, S. Damianus epiſt. 14. ad Deſid. Abbat. c. 6. ſcribit, eum, cùm ob varias lites cum alio quopiam potente Domino acie contendere decreviſſet, & fortè cum ſocijs Miſſam audiens verba iſta: *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur*: in Evangelio audiviſſet, turpiſſima cum elatione & blaſphemiâ dicere auſum eſſe, veram non eſſe hanc ſententiam vel ex eo demonſtrari, quòd ſi ipſe ſe coram hoſtibus ſuis humiliâſ-

ſet

ſet, tot prædia & Clientes ipſe non poſſideret. Verùm mox divinam vindictam adfuiſſe, dum in acie certans ab hoſtibus, in eo ipſo gutture, per quod ſuperbas & blaſphemas voces protulerat, confoſſus eſt.

III. Joſephus Acoſta l. 2. de temp. noviſſ. c. 11. ſcribit, in regno Pervano magni nominis Theologum fuiſſe, quia muliere, quæ divina pati videbatur, ſeductus, tantam de ſe ex oraculis ejus opinionem concepit, ut, licèt integri foret alioqui ſensûs & cerebri, ſeriò tamen crederet, ſe Regem & Pontificem creatum iri; ſanctitatem ſibi ſuper omnes Angelos conceſſam; unionem hypoſtaticam ſibi oblatam, ſed recuſatam à ſe: Chriſtum quoad ſufficientiam tantùm, ſe verò quoad efficaciam Redemptorem Mundi fore; quæ omnia, & plura alia cum tanta pertinacia, adductis etiam ex Apocalypſi, Pſalmis, & Prophetis, teſtimonijs defendit, ut rogo potius à Judicibus inquiſitionis adjudicari, quâm ineptias ſuas deſerere maluerit.

IV. Luſitanus quiſpiam Sacerdos, cùm ab initio Philoſophiam & Theologiam in Societate docuiſſet, ſed quia ob mores leves & ſuperbiam ad Profeſſionem ſeriùs admittebatur, ad Ordinem Auguſtinianorum tranſeundi facultatem impetrâſſet, ibidem quoque alios contemnere, & velut indoctos ludibrio habere cœpit: unde permiſſu DEI in carnis vitium quoque prolapſus eſt, quod ubi Prior ipſius comperit, quâdam nocte, cùm audiſſet, eum in domo meretricis verſari, armata manu illum ad Monaſterium duci, ibíque habitu, omnibúſque privilegijs exutum flagris cædi, & in carcerem detrudi juſſit. Sed ille carcere elapſus in Siciliam fugit, ubi, cùm vicarij ruralis officio aliquamdiu fuiſſet functus, paulò pòſt iter faciens in Graſſatores incidit, ab iiſque ſpoliatus & occiſus eſt; qui, cùm & ipſi comprehenſi hoc crimen ſuum detexiſſent, & locum, in quo ſepeliverant, indicâſſent, profecti quidem illuc ſunt aliqui, ut honeſtiùs illum ſepelirent, ſed à canibus jam devoratum repererunt.

Ribadeneira in Catal. Apoſt.

❧)(o)(❧

CAPUT IV.

DE RADICIBUS SEU CAUSIS MALORUM SACERDOTUM.

I. PRima, eáque non leviſſima cauſa, cur tot mali Sacerdotes paſſim reperiantur, eſt *defectus legitimæ vocationis*. Nam, ut rectè olim S. Bernardus in ſerm. ad Clericos c. 19. conqueſtus eſt, *currunt ipſi, & reverenda etiam Spiritibus Angelicis Miniſteria apprehendunt ſine conſideratione & reverentia. Nec ſignum occupare regni cœleſtis, aut illius imperij timent geſtare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur ſuperbia, luxuria etiam principatur; in quibus & peſſima fortè appareat abominatio, ſi juxta Ezechielis Prophetiam fodiamuss parietem.* Sed & Trithemius in cit. Epiſt hanc cauſam aſſignans, c. 4. n. 11. ſic loquitur: *Ecce nulla in ordinandis Sacerdotibus ſcientia quæritur: non vocati accedere permittuntur, nunquam vita ordinandorum, ut in primis oportuerat, diſcutitur. Propterea populus Chriſtianus funibus peccatorum captivus abducitur, concordia fraternæ dilectionis violatur. Sacerdotes noſtri mundanis cupiditatibus affluunt, corrigere vitioſos non præſumunt, quia ſe deliquiſſe in majoribus agnoſcunt. Pauci etenim ſunt, qui moribus Sanctis in Eccleſia nunc fulgeant: pauci ſcientiam ſcripturarum amant, pauci commiſſam ſibi gregem verbo & exemplo debitè informant.* Unde meritò exclamatur cum Iſaia c. 9. *Multiplicâſti, Domine, gentem, ſed non magnificâſti lætitiam.*

II. Altera radix ſeu cauſa eſt *nimis in rebus ſpiritualibus languor*; cùm enim oratio & exercitia ſpiritualia ſint neceſſarium & præcipuum inſtrumentum, quo gratia DEI impetratur, tum ad tentationes Dœmonum ſuperandas; tum ad munera Miſterij ſui ritè & fructuosè obeunda, neceſſe eſt, ut ubi hæc exercitia languent, ipſe quoque fervor in ſectandis virtutibus, & animabus quærendis langueat; id quod proh

dolor! experientia quotidiana nimiùm confirmat, dum paſſim experimur, Sacerdotes ſine omni interno ſenſu & guſtu ſpirituali paſſim Sacrificium Miſſæ celebrare, Horas Canonicas recitare, Sacramenta miniſtrare, Verbum DEI prædicare; ita ut verè in illis vaticinatio Chriſti Jo. 15. impleta videatur: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, ſic nec vos, niſi in me manſeritis* per gratiam & frequentem converſationem ac orationem; cùm enim homo ſine delectatione in hac vita vivere non poſſit, hoc ipſo, ſi nullum in rebus ſpiritualibus, & converſatione cum DEO guſtum & conſolationem percipiat, ad humanas, ſenſibiléſque conſolationes delabatur, neceſſe eſt.

III. Tertia radix non immeritò *Ocium* eſſe creditur, decantatum illud malum, & pulvinar Diaboli, in quo non ideo profectò recumbit, ut dormiat, ſed ut in perniciem otioſorum ſolerter invigilet. Debet enim homo aliquid amare, & habere, erga quod afficiatur; niſi igitur honeſto & laudabili labore ſe occupet, hoc ipſo ad inutilia, & non rarò etiam ad inhoneſta & noxia dëlabitur. Unde fit, ut tempus pretioſiſſimum, quo propria & aliorum ſalus quæri debebat, turpiſſimè elabatur: ut ludicræ confabulationes & ludi inſtituantur; ut divinarum rerum faſtidium concipiatur: ut animus flacceſcens ad ſordida & ſenſibilia objecta convertatur: ut ſtudium literarum ad conciones & alias functiones neceſſarium intermittatur, & hujus defectu multi, craſsíque ſæpe errores committantur.

IV. Quarta denique radix & cauſa eſt *nimia & incauta cum mulieribus converſatio*: nam, ut rectè Trithemius c. 2. ſuæ Epiſt. n. 4. dixit, prima & fortiſſima Clericorum tentamenta ex frequenti mulierum acceſſu proveniunt. Multos proſtravit ſtulta præſumptio, qui manibus, ut ita dixerim, inſtrumenta victoriæ hoſtibus tradiderunt. Difficilimè vitatur periculum, ſi occaſio non vitetur. Enim verò dum femina moratur cum Clerico, ſoláque reſidet cum ſolo, cibos comedenti præparat, lectulúmque dormienti componit, alloquitur, arridet, fomenta libidinis adminiſtrat. Quantumlibet ſancta ſit femina, ſemper Clerico eſt timenda; nam ſicut ſcintillæ de carbonibus proſiliunt, ita virus concupiſcentiæ

ſcientiæ ex mulierum aſſidua familiaritate diffunditur. Janua Diaboli, porta inferni, via iniquitatis, ſcorpioníſque dira percuſſio, & nocivum genus fallendi viro caſto eſt familiaris femina; cùm proximat, ſtimulat: cùm loquitur, incendit: cùm tangit, vehementer exurit. Non damnamus ſexum, ſed caſtitatis denuntiamus periculum. Nam ſicut videmus, poſteaquam Clericus ſemel corpus ſuum amplexibus meretricum exhibuerit, rarò vel nunquam ad perfectam emendationem redit; omnes enim, qui perverſo amore vexantur, quantò diutius in cœno luxuriæ jacuerint, tantò difficiliùs ad ſanitatem mentis revertuntur. Figit in corde humano radices vitium fortiter inveteratum. *Quare danda*, inquit S. Baſilius c. 4. in conſtit. *eſt opera, ut quantùm fieri poteſt, mulierum colloquia, congreſsúſque fugiamus; ſin id non poſſit, in eo enitendum eſt certè, ut quàm rariſſimè & breviſſimè illa fiant.* Etenim, ut monet S. Cyprianus l. de ſingul. Cleri. *ſunt aliquæ neceſſitates, quæ nos quoque privatim feminas videre compellant, ac etiam ipſæ divini operis vel præcepti imperant efficaciam, ut viſamus, ut ſolatia præbeamus, ut hortamenta vitalia ſalubriter intimemus, nec tamen & in his officijs minor cura agenda eſt pro moribus noſtris, ut clareſcant in noſtra operatione indicia puritatis, ſeveritas non deſit, quæ cum Clerico Feminam poſſit adſtringere, ut ipſa conſolationem noſtram ſuſcipiat cum tremore, & ita ſentiat viſitationis affectum, ut Clericum veneretur.*

CAPUT V.

DE REMEDIIS PRO MALIS SACERDOTIBUS EMENDANDIS.

1. PRimum inter hæc Media locum meritò obtinet *Vocationis ſuæ ſeria, dignáque ponderatio & æſtimatio*; ut videlicet, quemadmodum S. Bernardus Religioſis ſuis, ut vigorem & fervorem in ſtudio perfectionis ſemper vividum conſervarent, ante omnia ſuaſit, ut ſemper vocationis ſuæ

memores, ſeipſos alloquerentur, & quærerent: *ad quid ve-*
niſti? ita idipſum quoque Sacerdotes pro fervore in ſua voca-
tione retinendo faciant. Quod medium jam olim etiam Tri-
themius Abbas Sacerdoti, ad quem Epiſtolam adhortatori-
am ſcripſerat, ſequentibus verbis ſuaſit: *Inprimis itaque te*
moneo, ex definitione nominis ſtatum penſare indictæ converſa-
tionis. Etenim dicimur Clerici, quotquot in ſortem Domini
ſumus ſpecialiter electi. Interpretemur itaque vocabulum no-
minis, & intelligimus qualitatem præcepta honeſtatis. A
cleris ergo Clerici in Domini ſortem dicuntur electi. Si nos igi-
tur in ſortem DEI vocatos agnoſcimus, cur adhuc mundo mi-
litamus? ad quid in terra morientium hæreditatem quæri-
mus, qui DEUM ſe nobis pollicentem hæreditatem exſpecta-
mus? *Omni ergo cuſtodia,* ut paulò infrà concludit, *ſerva*
cor tuum, ne te in profundum avaritiæ demergat cupiditas,
ne libidinis ardor animam tuum cum peccatoribus in cœnum
luxuriæ detrahat, ne ſuperbiæ faſtus te ad inferos ſine fine
cruciandum ſecum trahat. Cave, ne per hujus mundi curas
à ſorte DEI decidas, cave, ne in via contemptorum DEI
pergas.

II. Alterum medium *ſeria & continua divinæ gratiæ pe-*
titio cum humili de propriis viribus diffidentia conjuncta,
cùm enim, ut ex toto hoc tractatu patet, arduum valdè
ſit Sacerdotis Evangelici munus, & generoſam omnium
inordinatarum cupiditatum victoriam requirat, meritò
Sacerdos ſapientiſſimi Salomonis conſilium & exemplum
ſequitur, atque adeò cum eodem dicit: *Et ut ſcivi, quo-*
niam aliter non poſſem eſſe continens, niſi DEUS det: & hoc
ipſum erat ſapientiæ, ſcire, cujus eſſet hoc donum, adij Do-
minum, & deprecatus ſum, & dixi ex totis præcordiis meis
&c. Sap. 8. Quod medium pariter iterum Trithemius cit.
3. n. 12. ſuaſit his verbis: *Noli in tua fortitudine confide-*
re, noli tibi victoriam arrogare, ſed ſpem tuam in ſolius
DEI adjutorio ſcito conſiſtere; nemo enim caſtus viribus ſuis,
gratiâ enim DEI adjuta carnem vincit bona voluntas.
Oportet autem contra tentationes carnis ſine intermiſſione
orare ad Dominum, & dicere: Confige timore tuo car-
nes meas, à judiciis enim tuis timui. Mox ergo, pergit
infrà, *ut carnis libido Spiritum oppugnare cœperit, leva*
manus

manus ſuas ad cælum cultor caſtitatis & dicat: Domine JESU Chriſte, amator caſti conſilij. tu ſcis vires meas ad reſiſtendum exiguas, adjuva infirmitatem meam, per amaram paſſionem tuam. Credo in Domino, quoniam ſi orans cum devotione perſtiterit, victoriam adverſus carnem facilè impetrabit. Ita ſanè Paulus expertus eſt, qui, cum ter Dominum ſuppliciter rogâſſet, ut tolleret à ſe ſtimulum carnis, mox audivit: *Sufficit tibi gratia mea.* 2. Cor. 12.

III. Tertium medium eſt *frequens cum bonis & zeloſis Sacerdotibus converſatio:* quod jam olim S Ambroſius l. 1. offic. c. 45. ſequentibus verbis ſuaſit: *ſequatur converſationis electio, ut adjungamur probatiſſimis quibuscunque ſenioribus; namque ut æqualium uſus dulcior, ita ſenum tutior eſt, qui Magiſterio quodam & ductu vitæ colorat mores adoleſcentium & velut murice probitatis inficit.* Id quod maximè in Confeſſariorum electione obſervandum, in qua, ut rectè Author Epiſt. adventoriæ ſcribit, ingens momentum eſt poſitum; DEUS enim homines ad æternam ſalutem per homines ducit; ſi itaque talem Ducem nanciſcaris, aut deligas, qui ſe depravatæ voluntati & libidini accommodet, eique morem gerat, nec delinquentem ſæpius monere audeat, nec idonea remedia præſcribere nôrit, verſatur profectò ſalutis tuæ arduum negotium in ſummo periculo; hinc enim ſequitur magna peccandi libertas, excuſſio timoris divini, & ſub ſpe facilis veniæ, reditus ad projectum vomitum, augetur cæcitas mentis, & ſcandalum aliorum non leviter nutritur, dum mulum à mulo ſcabi, & cæcum à cæco duci in perniciem vident.

IV. Quartum tandem remedium eſt, *generoſa & continua ſuiipſius, & inordinatarum ſuarum paſſionum victoria:* nam, ut rectè pius Aſceta pronuntiavit, *tantùm proficies (in virtutis ſtudio) quantùm tibi vim intuleris.* Ad hanc autem victoriam obtinendam non parùm conducet, ſi ſeriò & frequenter ex una quidem parte terrenarum rerum vanitas, falſitas, brevitas, turpitudo, nocumentum perpendatur; ex altera verò parte quàm omnia alia in ſpiritualibus objectis & delectationibus reperiantur, accuratè perpendatur; hinc enim fiet ut digna de rebus cæleſtibus æſtimatio concipiatur; ex æſtimatione deſiderium fruendi oriatur: ex

fruitione faſtidium terrenarum rerum ſequatur: *guſtato namque Spiritu deſipit omnis caro*, juxa commune Aſceta-rum effatum. Unde plura poſtea alia impedimenta per hanc victoriam tolluntur; nam & nimia atque abjecta familiaritas tollitur, occaſiones noxiæ devitantur, otium proſcribitur, & cum hoc velut omnium vitiorum ſeminario omnia gravius peccandi pericula declinantur. Quem in finem valde utiliter à nonnullis ſuadetur, ut tum initio ſui Sacerdotij, tam frequentiùs deinceps Sacerdos quilibet ſacris S. Ignatij exercitijs extollat animum, in his quippe ſeriæ conſiderationis & guſtûs rerum cæleſtium occaſio copioſa offertur, atque adeò admiranda non rarò vitæ perverſæ in meliorem & ſanctiorem mutatio eſt ſubſecuta. Nam, ut ſapienter S. Gregorius l. 30. moral. dixit, *ſi carni, quod licet; abſcindimus, mox in Spiritu, quod delectat, invenimus; intentioni quippe animæ ſi exterior evagatio clauditur, interior acceſſus aperitur; nam quo extra ſe ſpargi per diſciplinam mens non poteſt, eò ſuper ſe intendere per provectum poteſt: quia & in altum creſcere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur, & cùm rivos fontis obſtruimus, fluenta ſurgere ad ſuperiora provocamus.* Hinc *Sancti viri*, eodem Doctore teſte l. 29. mor. c. 12. *qui exterioribus miniſterijs deſervire officijs neceſſitate coguntur, ſtudioſè ſemper ad cordis ſecreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen aſcendunt, & legem quaſi in monte percipiunt, dum poſtpoſitis tumultibus actionum temporalium in contemplationis ſuæ vertice ſupernæ voluntatis ſententiam perſcrutantur.*

I. Ut ergo finem loquendi & adhortandi tandem faciamus, omnes Sacerdotes ſaluberrimis Trithemij verbis alloquor, & adhortor: *Militia eſt vita hominis ſuper terram. Miles enim ſummi Regis es: non licet tibi agonem illius deſerre. Bonus miles Regem ſuum, quocunque ierit, ſequitur. Ubi ergo eſt Rex tuus? in cælo; cur illum non ſequeris? quid facis in terra, ſi miles es Regis ſuperni cæleſtis? ipſe enim dicit: qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Sequatur; inquit, non greſſibus pedum, ſed paſſionibus affectionum. Tu ergo, qui coronam immarceſſibilem victoriæ exſpectas, labora ſicu*

ſicut bonus miles JESU Chriſti: nulla terrena ſolicitudinis cura te aggravet: nulla carneæ voluptatis mentem illecebra tangat. Nihil enim Chriſti milite felicius: cui permittuntur regna cœlorum: nihil laboroſius, qui quotidie de vita periclitatur: nihil fortiùs, qui vincit diabolum: nihil imbecilliùs, qui à carne ſuperatur. Non te domus avocet: non parentela impediat: non caro conſtringat. Volo te ſine ſollicitudine eſſe: ut liberè cogites, quæ Dei ſunt. Nudus & expeditus ad cælum vola; quia nudũ te mater genuit: nudũ terra ſuſcipiet. Ama quod non perdas: contemne, quod tenere non prævales: quære, quò in æternum feliciter gaudeas. Ita vive: ut mori non timeas. Bona conſcientia mortem non metuit; quia per illam ſe ad æterna cæleſtis patriæ gaudia venturum eſſe cognoſcit. Habes nunc, amantiſſimè frater, quòd à me poſtulâſti: habes aliqualem bonæ converſationis formulam, cui imprimaris: habes ſanctæ exhortationis normam, ad quam ſedulò poſſis habere recurſum. Feci, quod potui: non quantum volui. De reliquo vive ſecundùm Evangelium & conſtitutiones ſanctorum Patrum: in quibus omnis perfectionis Chriſtianæ forma conſpicitur.



INDEX
Potiorum Materiarum.

A.

Abſtinentiæ definitio. fol. 170
Ejuſdem neceſſitas. ibid.
Occaſio prima. 171
Occaſio ſecunda. 172
Occaſio tertia. 173
Avaritia Sacerdotum caſtigata. 267

B.

Beneficiorum pluralitas caſtigata. 268

C.

Captivi quomodo juvandi. 235
Caritatis neceſſitas. 98
Ejuſdem actus primus. 99
Actus ſecundus. 100
Actus tertius. 103
Caritas erga Defunctos quomodo exercenda. 232
Caritas erga Domeſticos quomodo exercenda. 229
Caritas erga Hæreticos quomodo exercenda. 201
Caritas erga Hoſpites quomodo exercenda. 227
Caritas erga Infideles quomodo exercenda. 199
Caritas erga Infirmos quomodo exercenda. 214
Caritas erga Inimicos quomodo exercenda. 210
Caritas erga Pauperes quomodo exercenda. 221
Caritas erga Peccatores quomodo exercenda. 40
Caritas erga Peregrinos quomodo exercenda. 21[illegible]
Caritas erga Peſtiferos quomodo exercenda. 21[illegible]
Caſtitatis definitio. 176
Ejuſdem neceſſitas. ibid.
Actus primus. 16[illegible]
Actus ſecundus. ibid.

M

Media, 180
Caſula cur ſic dicta, 54
Quid ſignificet. ibid.
Catechizationis neceſſitas, 241
Exempla. ibid.
Clerici unde dicti. 11
Eorum privilegia. 15
Concionatoris officium quàm neceſſarium & ſublime, 236
Quomodo exercitum. 237
Confirmationis Sacramentum quomodo neceſſarium pro Ordinibus. 10
Conſtantiæ neceſſitas. 156
Ejuſdem occaſiones. 157. 159
Converſatio privata quanti facienda, 249
Ejuſdem Exempla, ibid.

D.

Defuncti quomodo juvandi. 232
Domeſtici quomodo diligendi, 229
Diaconi materia. 6
Diaconi poteſtas. ibid.

E.

Exorciſtatus quid ſit. 5
Ejuſdem officium. ibid.
Ordinatio. 22

F.

Fidei neceſſitas. 89
Ejuſdem actus. 90
Fortitudinis neceſſitas. 148
Occaſiones, 149. 51. 53. 55

G.

Gula Sacerdotum Caſtigata. 269

H.

Hæretici quomodo juvandi. 202

Hoſpites quomodo tractandi. 21

Humilitatis definitio. 18

Ejuſdem neceſſitas. 181

Actus. 183. 84.

I.

Infideles quomodo juvandi. 199

Infirmi quomodo tractandi. 214

Inimici quomodo diligendi. 210

Juſtitiæ definitio. 119

Ejuſdem ſpecies. 26

L.

Lectoratus quid ſit. 5

Ejuſdem officium. ibid.

Ordinatio. 19

Luxuria Sacerdotum caſtigata. 265

M.

Manſuetudinis definitio. 186

Ejuſdem neceſſitas. ibid.

Occaſiones. 188

Modeſtiæ definitio. 19

Ejuſdem neceſſitas. 16

Exempla. 19

O.

Obedientiæ neceſſitas. 14

Ejuſdem actus. 141. 42. 4

Orarium quid ſit. 54

Ordinationes quando faciendæ. 8

Ordines minores ſint. 5

Cur ſic dicti. 1

Quando conferendi. 8. 1

Ordines ſacri qui dicantur, & cur. 1

Oſtiariatus quid ſit.

Ejuſdem officium. ibi

Ordinatio. 1

Oti

Otioſitas à Sacerdote cur fugienda. 193
Ejuſdem duplex genus. 194

P.

Pauperes quomodo juvandi. 221
Paupertatis definitio. 160
Neceſſitas. 161
Occaſiones. 164. 66.
Peccatores quomodo juvandi. 205
Peregrini quomodo tractandi. 227
Peſtiferi quomodo juvandi. 216

R.

Religionis neceſſitas. 111
Occaſiones 111. 113. 116. 17
Religio erga Chriſtum, quantopere Sacerdotibus conveniat. 129
Ejuſdem occaſiones. 120. 121. 122
Religio erga B. V. cur Sacerdotibus neceſſaria. 127
Ejuſdem actus. 130. 133. 34. 35
Religio erga Sanctos cur Sacerdotibus neceſſaria. 136
Ejuſdem exempla. 137

S.

Sacerdotis vocatio. 47
Ordinatio. 46
Officium. 49
Sacerdotum Zeloſorum mors beata. 252
Sacerdotes mali qui cenſendi. 257
Eorum quantus numerus. 258
infelix exitus. 263
radices. 273
remedia. 275
Sacerdotij Origo. 1
Definitio. 3
Gradus. ibid.
Præſtantia intrinſeca. 72
Præſtantia extrinſeca ex teſtimonio.

DEI,

DEI. 75
Chriſti. 77
B. Virginis. 78
Angelorum. 79
Sanctorum. 80
Doctorum Eccleſiæ. 81
Aliorum SS. Patrum. 82
Conciliorum. 83
Summorum Pontificum. 84
Imperatorum ac Regum. 85
Sacramentorum adminiſtratio quanti facienda. 245
Exempla. 248
Sedulitatis definitio. 193
Exempla. ibid.
Sobrietatis definitio. 174
Neceſſitas. ibid.
Exempla. 175
Spei neceſſitas. 92
Actus. 93. 94 95.
Subdiaconatus quid ſit. 6
Ejusdem poteſtas. ibid.
Ordinatio. 30
Superbia Sacerdotum caſtigata. 271

T.

Taciturnitatis definitio. 195
Neceſſitas. ibid.
Officium. 196. 97.
Temperantiæ definitio. 160

Admonitio ad Lectorem.

Cùm Inſtructio hæc in ſe non adeò magna ſit, placuit illi Compendium Ritualis, pro adminiſtratione Sacramentorum adjungere; ſic tamen, ut imprimatur, ut, ſi quis illud pro majori ſuo commodo ſeparatum habere velit, poſſit id etiam ſeorſim compingi.

COM-

COMPENDIUM RITUALIS

Pro Adminiſtratione

SACRAMENTORUM,

Aliorúmque

MUNERUM PASTORALIUM,

quæ frequentiùs à Paſtoribus animarum obiri conſueverunt, ritè ſuſcipienda.

IN USUM ET COMMODUM PAROchorum, aliorúmque Sacerdotum curam animarum habentium collectum

à

R. P. TOBIA LOHNER,

SOC. JESU SACERDOTE.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæſ. Majeſtatis. Et facultate Superiorum.

IH

DILINGÆ,

Typis & Sumpt. JOANNIS CASPARI BENCARD, Viduæ & Hæredum.

ANNO M. DCCXXIII.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

IMpreſſum eſt anno LXX. Auguſtæ Vindelicorum Compendium Libri Ritualis, ut Parochis & Curatis illius Diœceſis in diſſita quandoque loca pro adminiſtratione Sacramentorum excurrentibus ſervire queat. Id cùm alij quoque Sacerdotes, Diœceſis præcipuè Friſingenſis, in qua nunc verſor, inſpexiſſent, deſiderium conceperunt, ſimile Compendium pro ſuo quoque uſu habendi, quare, cùm advertiſſent, me plures libellos in ſuum commodum typo commiſiſſe, ut hunc quoque laborem in me ſuſciperem, impensè rogârunt; cui deſiderio & petitioni tantò libentiùs ſatisfeci, quantò æquiora illa eſſe cognovi. Quia tamen crebrâ etiam experientiâ cognovi, ſententias ſacras & preces, quibus ægri aut moribundi interdum excitandi ſunt, non ſemper memoria illorum occurrere. Ideo ut hoc quoque ſubſidium non negarem, etiam has placuit utroque ſermone, Latino ſcilicet, & vernaculo adjungere ut tam pro indoctis, quàm doctis animandis ſervire queant.

CAPUT

CAPUT I.

DE PROFESSIONE FIDEI.

CUm hæc Profeſſio ſæpius ſit vel ab ipſis Sacerdotibus Latino, vel ab alijs, quos ad Catholicam fidem traduxerunt, vernaculo ſermone facienda, ideo operæ pretium viſum eſt, ut hæc quoque libello huic inſeratur, ſempérque ad manus haberi queat.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ.

Coram Sacerdote, atque, ubi res & locus fert, coram Crucifixo medio inter duos ardentes cereos, flexis genibus, ab eo, qui profeſſionem facit: vel ſi is neſcit legere, ejus nomine, ab alio, clarè, diſtinctè, & devotè recitanda.

EGo *N.* firmâ fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, videlicet:

Credo in unum DEUM, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium.

Et in unum Dominum JESUM Chriſtum, Filium DEI Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula: DEUM de DEO: lumen de lumine: DEUM verum de DEO vero: Genitum, non factum: conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.

Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine: & Homo factus eſt. Crucifixus

cifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſ
pultus eſt. Et reſurrexit tertiâ die, ſecundùm ſcript
ras. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Pat
Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos,
mortuos, cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificante
qui ex Patre, Filióque procedit. Qui cum Patre & F
lio ſimul adoratur, & conglorificatur: Qui locut
eſt per Prophetas.

Et Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolica
Eccleſiam.

Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem pecc
torum.

Et exſpecto reſurrectionem mortuorum.

Et vitam venturi ſæculi, Amen.

Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem
nuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare d
vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturaru
admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem co
ſenſum Patrum, accipiam, & intepretabor.

Profiteor quoque, ſeptem eſſe verè & propriè Sacr
menta novæ legis, à JESU Chriſto Domino noſtro i
ſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt n
omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Con
mationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extrem
Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illáque g
tiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmation
& Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Cath
cæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentor
ſolenni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato Originali, &
Ju

Juſtificatione, in ſacroſanctâ Tridentinâ Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter, in Miſsâ offerri DEO verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro vivis & defunctis: atque in ſanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, unà cum animâ & divinitate Domini noſtri JESU Chriſti, fieríque converſionem totius ſubſtantiæ panis, in corpus, & totius ſubſtantiæ vini, in Sanguinem: quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſſuſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub alterâ tantùm ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verúmque Sacramentum ſumi.

Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animáſque ibi detentas fidelium ſuffragijs juvari.

Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes venerandos atque invocandos eſſe: eóſque orationes DEO pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſimè aſſero, Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſiâ relictam fuiſſe, illarúmque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco: Romanóque Pontifici, beati Petri, Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac JESU Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro.

Cætera item omnia, à ſacris Canonibus, & Oecu-

menicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſanctâ Tridentinâ Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, ſimúlque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque, ab Eccleſiâ damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ Spiritum conſtantiſſimè (DEO adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis ſubditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Tum is: qui profeſſionem facit, imponit duos primos digitos dextræ manûs ſuper aperto libro Evangeliorum, vel ſuper ſequenti Initio Evangelij S. Joannis & diſtinctè dicit:

Ego idem *N.* ſpondeo, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia.

Sanctum JESU Chriſti Evangelium ſecundùm Joannem.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum, &c. ET VERBUM CARO FACTUM EST: & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Be

Bekanntnuß deß wahren Catholiſchen Glaubens.

Zu teutſcher Sprach/auff Weiß und Ordnung/ wie oben pag. 1. das Lateiniſche zu ſprechen.

ICH N. glaub und bekenne / mit beſtändigem Hertzen alle und jede Stuck / ſo im Chriſtlichen Glauben / den die H. Römiſche Kirch auff diſe Weiß gebrauchet / verfaſſet ſeynd / nemlich.

Ich glaube in einen GOtt Vatter allmächtigen Schöpffer Himmels und der Erden / und aller ſichtbarer Dingen.

Und in einen HErrn JEſum Chriſtum / den eingebohrnen Sohn GOttes / auß dem Vatter gebohren von Ewigkeit / GOTT von GOTT / Liecht von Liecht / wahren GOtt vom wahren GOtt / gebohren / und nicht erſchaffen / gleicher Subſtantz und Weſens mit dem Vatter / durch den alle Ding erſchaffen ſeynd.

Welcher umb uns Menſchen / und unſers Heyls willen / vom Himmel herunter geſtigen/und durch den H. Geiſt/ auß Maria der Jungfrauen/Fleiſch an ſich genommen hat / und iſt Menſch worden.

Er iſt auch für uns unter Pontio Pilato gecreutziget / hat gelidten / und iſt begraben worden / am dritten Tag / laut der H. Schrifft / widerumb aufferſtanden von den Todten/iſt auffgefahren in den Himmel / ſitzet zur Rechten GOttes deß Vatters / und wird widerumb kommen mit Herzlichkeit zu richten die Lebendigen und die Todten / deſſen Reichs kein End wird ſeyn.

Ich glaub auch in den H. Geiſt / den lebendigmachenden HErꝛn / der vom Vatter und Sohn hergehet / welcher ſambt dem Vatter und Sohn zugleich angebettet und geehret wird / der da geredet hat durch die Propheten.

Ich glaube auch ein einige heilige allgemeine und Apoſtoliſche Kirchen.

Ich bekenne einen Tauff zu Vergebung der Sünden/und erwarte die Aufferſtehung der Abgeſtorbenen/ und ein ewiges zukünfftiges Leben / Amen.

Alle Apoſtoliſche und Geiſtliche Satzungen/ſambt allen anderen Ordnungen und Gebräuchen der Catholiſchen Kirchen/ nimm ich an / und verharre dabey veſtiglich. Die H. Schrifft verſtehe / und laß ich zu/ in und nach dem Verſtand/ welchen unſer H. Mutter die Chriſtliche Kirch bißher gehabt/ und noch hat/ deren dann zugehört/ den wahren Verſtand und Außlegung der heiligen Schrifft von dem falſchen zu unterſcheiden.

Ich will auch gemelte H. Schrifft allezeit nach der einhelligen Außlegung der H. Vätter verſtehen/ und annemmen / und nicht anderſt.

Ich glaub und bekenne / daß wahrlich und eigentlich ſiben Sacramen deß neuen Teſtaments / von Chriſto unſerm HErꝛn ſelbſt eingeſetzt / und dem menſchlichen Geſchlecht ſehr nutzlich / wiewol nicht alle einem jeden Menſchen zur Seeligkeit nothwendig ſeynd: Als nemlich / der Tauff / Firmung / das Sacrament deß Altars / die Buß/ Letzte Oelung/die Prieſterweyhe / und die Ehe / und daß durch diſe Sacrament dem Menſchen Gnad mitgetheilet werde.

Auß welchen allen der Tauff/Firmung/ und Prieſterweyhe / ohne Gottslåſterung und Sünde nicht mögen widerhollet werden.

Ich nimme auch an / und laſſe zu alle gewohnliche und bewehrte Gebråuch / ſo in der Chriſtlichen Catholiſchen Kirchen bey herzlicher Verwaltung und Gebrauch aller diſer Sacramenten gebraucht werden.

Deßgleichen glaub ich auch alles ſammtlich und ſonderlich / was von der Erbſünd und Rechtfertigung deß Sünders in der H. allgemeinen Verſammlung zu Trient iſt erklårt / und beſchloſſen worden.

Ich bekenne auch und glaub / daß in dem hochheiligen Ampt der Meeß/Gott dem HErꝛn ein wahres/ eigentliches und verſöhnliches Opffer für die Lebendigen und die Todten auffgeopffert werde / daß auch in dem allerheiligſten Sacrament deß Altars wahrhafftig und weſentlich zugegen ſeye der Leib und das Blut mit der Seel und Gottheit unſers HErꝛn JEſu Chriſti/und daß die gantze Subſtantz deß Brodts in den Leib / und die Subſtantz deß Weins in daß Blut verwandlet werde / welche Wandlung die Chriſtliche Catholiſche Kirch (Transſubſtantiation,) das iſt/ eine Verwandlung einer Subſtantz in die andere / nennet.

Ich glaube auch und bekenne / daß unter einerley Geſtalt der gantze unzertheilte Chriſtus vollkommentlich / und das wahre Sacrament ſeines Fronleichnambs / genoſſen und empfangen werde.

Ich glaube auch veſtiglich / daß ein Fegfeur ſey / und daß die Chriſtglaubige Seelen daſelbſten / durch

das Fürbitten der glaubigen lebendigen Menſchen/ und Hülff empfangen.

Item / daß man auch die lieben Heiligen/ ſo mit Chriſto regieren/ ehren und anruffen ſolle / und daß ſie auch GOtt für uns bitten; darzu auch/ daß ihre Heiligthumber in Ehren ſollen gehalten werden.

Ich halte beſtändiglich darfür / daß man die Bildnuſſen Chriſti/ der Mutter GOttes/ und anderer lieben Heiligen/haben und auffhalten/und denſelben gebührende Ehr und Reverentz erzeigen ſoll.

Ich glaub auch für gewiß/daß Chriſtus der HErr den Gewalt deß Ablaß der Kirchen gegeben habe/auch daß deß Ablaß Gebrauch der Chriſtenheit gar heylſamb ſeye.

Ich bekenne auch die heilige allgemeine und Apoſtoliſche Römiſche Kirch für ein Mutter und Meiſterin aller Kirchen.

Ich verſprich auch und gelobe/wahren Gehorſamb dem Römiſchen Biſchoff/ als deß H. Petri der Apoſtel Fürſtens Nachkommern / und deß HErrn JEſu Chriſti Statthaltern.

Dergleichen all andere Lehrſtuck / ſo von den heiligen Satzungen und allgemeinen Verſammlungen/ fürnemlich aber der heiligen Tridentiniſchen Verſammlung auffgeſetzt/ verordnet und beſchloſſen worden / dieſelbe bekenne und nimme ich unzweiffentlich an.

Hergegen aber alles / ſo obigen Stucken zugegen/ auch alle widrige Lehr und Meinungen / Glaubens-Spaltungen/ und Ketzereyen / ſo von gemelter Catholiſcher Kirchen bißhero verdammet / verworffen/ und verflucht ſeynd / oder nachmahls verdammet/ ver-

verflucht / und verworffen worden / die verdamme / verwirff / und verfluche ich ebenmäſſig.

Diſen wahren Catholiſchen Glauben / auſſerhalb deſſen niemand kan ſeelig werden / den ich da in Gegenwart freywillig bekenne / und warhafftig halte / will ich auch / mit Hülff GOttes / biß an mein letztes End gantz unwiderſprechlich / unbemailigt und unverletzt halten und bekennen.

Ich will auch / ſo vil mir möglich / allen Fleiß anwenden / daß diſer recht und warhafftige Glaub / von meinen Unterthanen und allen denen / ſo mir unter meiner Sorg befohlen / gehalten / gelehrt / und verkündiget werde.

Anjetzt legt der jenige / ſo diſe Bekanntnuß thut / ſeine zwey vordere Finger der gerechten Hand auff hinnach folgenden Anfang des Evangelij S. Joannis, und ſpricht deutlich.

Diſes verheiſſe / gelobe / und ſchwöre Ich N.

Alſo helff mir GOtt und diſes heilige GOttes Evangelium.

Sanctum JESU Chriſti Evangelium ſecundùm Joannem.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum, &c. ET VERBUM CARO FACTUM EST: & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

CAPUT

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

ETſi in Rituali tres aſſignentur Formulæ hoc Sacramentum adminiſtrandi, nempe quomodo Baptiſmus Parvulorum,& Adultorum adminiſtrari; & quomodo ea quæ in Baptiſmo ob neceſſitatem urgentem collato ſuppleri debeant; quia tamen Baptiſmus Adultorum rariùs adminiſtratur, ideo ne excreſceret hic libellus, omiſsâ Formulâ Adultos baptizandi, ſolæ reliquæ duæ utpote frequentiùs occurrentes hoc loco ponentur.

§. I.

Actus Baptiſmi Parvulorum.

1. S*Acerdos.* Quo nomine iſte infans eſt vocandus?
Wie ſoll diſes Kind heiſſen?

Patrinus reſpondet N.

Der Gevatter antwortet ſprechen N. v. g. Joannes, Maria.

2. *Sacerdos N.* quid petis ab Eccleſia DEI?

N. Was begehrſt du von der Kirchen GOttes?

Reſpondet patrinus, Fidem.

Antwort. Den Glauben.

3. *Sacerdos.* Fides quid tibi præſtat?

Was gibt dir der Glaub.

Reſpondet patrinus, Vitam æternam.

Antwort, Das ewige Leben.

4. *Sacerdos.* Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: diliges Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo,ex tota anima tua,& ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum.

Wann

Wan du wilſt eingehen in das ewige Leben/ ſo halte die Gebott. Du ſolſt GOtt deinen HErrn lieben auß gantzem deinem Hertzen/auß gantzer deiner Seel/ und auß gantzem deinem Gemüth/und deinen Nächſten/ als wie dich ſelbſten.

5. *Notet Sacerdos, quod infrà in actu baptiſmi de maribus in maſculino genere dicitur, de femellis eſſe dicendum in feminino.*

6. *Deinde exprimens formam unius Crucis, hoc modo,* †, *ter exſufflet leniter in faciem infantis, & dicat ſemel:* Exi ab eo (*ab eâ*) immunde Spiritus, & da locum Spiritui ſancto Paraclito.

7. *Poſtea dextero pollice faciat ſignum Crucis in fronte & pectore infantis, dicens:* Accipe ſignum Crucis tam in fronte † quàm in corde † ſume fidem cœleſtium præceptorum; & talis eſto moribus, ut templum DEI jam eſſe poſſis.

Oremus.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi: & hunc electum tuum *N.* (*hanc electam tuam N.*) Crucis Dominicæ impreſſione ſignatum (*ſignatam*) perpetuâ virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

8. *Deinde imponat manum ſuper caput infantis, ac dicat:*

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum *N.* (*hanc famulam tuam N.*) quem (*quam*)

(*quam*) ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cœcitatem cordis ab eo (*eâ*) expelle: diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus (*colligata*) aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus (*imbuta*) omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus (*læta*) tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

9. *Deinde Sacerdos benedicat ſalem: qui, ſemel benedictus, aliàs ad eundem uſum deſervire poteſt.*

Benedictio Salis.

EXorcizo te, Creatura Salis, in nomine DEI Patris omnipotentis †, & in Charitate Domini noſtri JESU Chriſti †, & in virtute Spiritûs ſancti †, exorcizo te, per DEUM vivum †, per DEUM verum †, per DEUM ſanctum †, per DEUM †, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem, per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine DEUS noſter, ut hanc creaturam Salis ſanctificando ſanctifices †, & benedicendo benedicas †, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine ejuſdem Domini noſtri JESU Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

10. *Deide accipiens pollice & indice dextero, modicum ſalis benedicti, immittat in os infantis dicens*: N. Accipe ſalem ſapientiæ: propitiatio ſit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

Sacerdos. Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS Patrum noſtrorum, DEUS univerſæ condi-tor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum *N.* (*hanc famulam tuam N.*) reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum Salis guſtantem, non diutiùs eſurire permittas, quò minùs cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens. Perduc eum (*eam*) Domine, quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorcizo te, immunde Spiritus, in nomine Patris †, & Filij †, & Spiritûs ſancti †, ut exeas, & recedas ab hoc famulo DEI *N.* (*hâc famulâ DEI N.*) ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro ne mergeretur, dexteram porrexit.

Ergo maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem DEO vivo & vero, da honorem JESU Chriſto Filio ejus, & Spiritui ſancto, & recede ab hoc famulo DEI *N.* (*hâc famulâ DEI N.*) quia iſtum (*iſtam*) ſibi DEUS & Dominus noſter JESUS Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontémque Baptiſmatis vocare dignatus eſt.

11. *Hic dextero pollice in fronte ſignat infantem, dicens:*

Et hoc ſignum ſanctæ Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole numquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

12. *Mox imponit manum ſuper caput infantis, & dicit:*

Oremus.

ÆTernam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis ſuper hunc famulum tuum *N.* (*hanc famulam tuam N.*) ut digneris eum (*eam*) illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum (*eam*) & ſanctifica: da ei ſcientiam veram, ut dignus (*digna*) gratiâ Baptiſmi tui effectus (*effecta*) teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

13. *Poſtea Sacerdos imponit extremam partem Stolæ ſuper infantem, vel eam porrigens deferenti infantem, incedens ipſe ex parte dexterâ, introducit eum in Eccleſiam dicens:*

N. Ingredere in templum DEI, ut habeas partem cum Chriſto in vitam æternam. ℟. Amen.

14. *Cùm fuerint Eccleſiam ingreſſi, Sacerdos procedens ad Fontem cum Suſceptoribus conjunctim clarâ voce dicit:* Credo & Pater noſter, *quæ nunquam omittuntur.*

CRedo in DEUM Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. Et in JESUM Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Deſcendit ad inferos, tertiâ die reſurrexit à mortuis. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram DEI Patris Omnipotẽtis. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum: ſanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum communionem, remiſſionem

nem peccatorum: carnis reſurrectionem: vitam æternam. Amen.

PAter noſter, qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo. Amen.

Vel germanicè dicat: Sprecht mit mir den Chriſtlichen Catholiſchen Glauben / ſambt dem heiligen Vatter unſer / ꝛc.

JCH glaub in GOTT Vatter / Allmächtigen Schöpffer Himmels und der Erden. Und in JESUM Chriſtum / ſeinen einigen Sohn / unſern HErrn. Der empfangen iſt von dem heiligen Geiſt / gebohren auß Maria der Jungfrauen. Gelitten unter Pontio Pilato / gecreutziget / geſtorben / und begraben. Abgeſtigen zu der Höllen / am dritten Tag widerumb aufferſtanden / von den Todten. Auffgefahren zu den Himmeln / ſitzet zu der Gerechten GOttes deß Allmächtigen Vatters. Von dannen er kommen wird / zu richten die Lebendigen und die Todten.

Jch glaub in den heiligen Geiſt. Ein heilige allgemeine Chriſtliche Kirchen. Gemeinſchafft der Heiligen. Ablaß der Sünden. Aufferſtehung deß Fleiſches. Und ein ewiges Leben / Amen.

VAtter unſer / der du biſt in den Himmeln. Geheiliget werde dein Nam. Zukomme dein Reich. Dein Will geſchehe / wie im Himmel / alſo auch auff Erden. Gib uns heut unſer täglichs Brodt. Und vergib uns unſere Schulden / als auch wir vergeben

unſern Schuldigern. Und führe uns nicht in Verſuchung. Sondern erlöſe uns vom Ubel/ Amen.

15. *Deinde ſtando extra cancellos, vel ſepta baptiſterij, patrinum atque circumſtantes; qui infantem deferunt, & comitantur, obſervatâ perſonarum conditione & qualitate, modeſtè ſic alloquitur.*

GEliebte in dem HErrn. Daß der H. Tauff zu eines jeden Menſchen Seeligkeit höchſtens vonnöthen/ und zu Abwaſchung der von unſerm erſten Vatter Adam uns angebornen Erbſünd von Chriſto mildreichiſt ſeye eingeſetzt/ bezeugen deſſen Wort (a) Es ſeye dann/ daß einer widerumb gebohren wurde auß dem Waſſer und H. Geiſt/ ſo kan er nicht eingehen in das Reich GOttes. (a) *Joann. 3.*

Weil aber gegenwärtiges Kind ſolche deß heiligen Tauffs von GOtt anerbottene Gnad dermahl von ſelbſten nicht begreiffen/noch verlangen/ oder bekennen kan/ alſo ſolle an deſſen ſtatt der (*addatur titulus conveniens Patrino, Matrinæ*) Gevatter (Sie Gevätterin) mit ungezweiffletem Glauben/ und gegen GOtt erhebtem inbrünſtigem Hertzen/ ermelten H. Tauff verlangen/ und was hierzwiſchen dem Allmächtigen GOTT zu verſprechen/ getreulich zu halten/ verſprechen: ſolle ſich auch der Gevatter (Gevätterin) beynebens erinneren deren einem Gevatter (Gevätterin) gegen diſem Kind obligenden Verbündtnuß: und zwar erſtlich und vornehmlich/ daß er Gevatter (ſie Gevätterin) ſolle beflißen ſeyn/ damit diſes Kind in allem deme/ ſo zu deſſen Seeligkeit vonnöthen/ und eben in dem jenigen/ was an deſſen ſtatt er Gevatter (ſie Gevätterin) GOtt dem HErr anjetzt verſpricht/ ſeiner Zeit fleiſſig unterwiſen/

terwiſen / und daß es halte / ſo vil möglich / angehalten werde. Fürs ander erinnere ſich Er Gevatter (ſie Gevätterin) daß Er (Sie) nicht allein mit diſem Kind/ ſondern auch mit deſſen leiblichen Eltern in wahre geiſtliche Freundſchafft eintrette / dahero mit denenſelben in einige ehliche-Verbündung keiner Zeit mit Recht ſich einlaſſen kündte.

Damit aber dem Allmächtigen GOTT umb die Gnad diſer Beruffung / und würcklicher Gelangung zu bevorſtehendem heiligen Tauff ſchuldiger Danck geſagt / und ſolcher Tauff durch mich nicht allein würdiglich/ſondern auch diſem Kind in mehrer Weeg zu Stärckung der heiligmachenden / und anderer beyhülfflicher Göttlicher Gnaden erſprießlich ertheilt werde / wollen wir geſambt mit demüthigem Hertzen und gebognen Knyen in der Stille betten ein heiliges Vatter unſer und Engliſchen Gruß.

16. *Finitâ allocutione flectunt omnes genua, & orant cum Sacerdote ſecretò* Pater noſter, & Ave Maria &c.

17. *Quibus peractis ſurgunt, & baptizans, ſtans eodem loco extra baptiſterij cancellos dicat :*

EXORCISMUS.

EXorcizo te, omnis Spiritus immunde, in nomine DEI Patris omnipotentis † & in nomine JESU Chriſti Filij ejus, Domini & Judicis noſtri †, & in virtute Spiritûs ſancti †, ut diſcedas ab hoc Plaſmate DEI *N.* quod Dominus noſter ad templum ſanctum ſuum vocare dignatus eſt, ut fiat templum DEI vivi, & Spiritus ſanctus habitet in eo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

18. *Poſtea Sacerdos ſtans eodem loco dextero pollice accipiat de ſalivâ oris ſui, & eandem miſcens cineri, tangat aures & nares infantis:*

Tangendo verò aurem dexteram, & ſiniſtram, dicat:

Epheta, quod eſt adaperire:

Deinde tangat nares, dicens: in odorem ſuavitatis: Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium DEI.

19. *Tunc ſtans eodem loco extra baptiſterium, interrogat baptizandum nominatim, patrino reſpondente:*

N. Abrenuntias Satanæ?

Widerſagſt du dem böſen Feind?

Reſpondet Patrinus: Abrenuntio.

Ich widerſage:

Et omnibus operibus ejus?

Und allen ſeinen Wercken?

Reſp. Abrenuntio.

Ich widerſag.

Et omnibus pompis ejus?

Und aller ſeiner Hoffart?

Reſp. Abrenuntio.

Ich widerſag.

20. *Tum infans aliquantum denudatur inter pectus & ſcapulas per aſſiſtentes.*

Interim Sacerdos intingit pollicem in oleo ſacro ſeu Catechumenorum, & infantem ungit in pectore, & inter ſcapulas in modum Crucis, dicens:

Ego te linio † Oleo ſalutis, (*ungit pectus*) in Chriſto † JESU Domino noſtro (*ungit inter ſcapulas*) ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

21. *Poſt hæc pollicem, & inuncta loca abſtergit bombacio, vel re ſimili; atque deponit, vel mutat ſtolam violaceam, & ſumit albam.*

22. *In*

22. *Interim præparatur infans ad baptiſmum, & circa caput ita denudatur, ut dein affuſioni ſacri fontis nihil obſtet.*

23. *Sacerdos autem, ſtans prope baptiſterium, iterum interrogat, expreſſo nomine baptizandum, patrino* (matrinâ) *itidem reſpondente.*

N. Credis in DEUM Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli & terræ?

N. Glaubſt du in GOTT Vatter Allmächtigen Schöpffer Himmels und der Erden?

Reſp. Credo. Ich glaub.

Credis in JESUM Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum?

Glaubſt du in JEſum Chriſtum / ſeinen einigen Sohn / unſern HErꝛn / der gebohren iſt / und gelitten hat?

Reſp. Credo. Ich glaub.

Credis in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum comunionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam?

Glaubſt du in den heiligen Geiſt / ein heilige allgemeine Chriſtliche Catholiſche Kirchen / Gemeinſchafft der Heiligen / Ablaß der Sünden / Aufferſtehung deß Fleiſches / und ein ewiges Leben?

Reſp. Credo. Ich glaub.

24. *Deinde expreſſo nomine baptizandi Sacerdos ter interrogat: patrino* (matrinâ) *toties reſpondente.*

N. Vis baptizari?

N. Wilt du getaufft werden?

Reſpondet Patrinus (matrina) volo: Ich will.

23. *Tunc patrino, vel materina, vel utroque* (*ſi ambo admittantur* (*infantem tenente infra utrumq; brachi-*

um, facie ejuſdem ſupra baptiſterium aliquantùm inclinatâ, Sacerdos ſtans ad ipſum baptiſterium vaſculo ſeu urceolo accipit aquam baptiſmalem, & miniſtro ſupponente pelvim, ne aqua in fontem baptiſmi recidat de eâ ter fundat ſuper caput infantis in modum triplicis crucis, & ſimul verba proferens ſemel tantùm, diſtinctè & attentè, dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris † (*fundat primò*) & Filij † (*fundat ſecundò*) & Spiritus † ſancti, (*fundat tertiò.*) Amen.

26. *Si verò dubitatur, an infans fuerit baptizatus (quod plerumque, ut dictum in Rituali ſupra fol. 18. prudenter fit, cùm obſtetrix, femina alia, vel plebejus homo baptizat) indiſtinctè utatur hâc formâ: N.* ſi non es baptizatus (*baptizata*) ego te baptizo in nomine Patris †, & Filij †, & Spiritûs †, ſancti. Amen.

27. *Deinde ſtans eodem loco intingit pollicem in ſacro Chriſmate, & ungit infantem, quem patrinus (matrina) adhuc ſuper baptiſterium tenet in ſummitate capitis in modum crucis dicens:*

DEUS omnipotens, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, quíque dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum (*hic inungit*) ipſe te liniat Chriſmate ſalutis † in eodem Chriſto JESU Domino noſtro in vitam æternam. ℟. Amen.

Sacerdos. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

28. *Tum alio bombacio, aut re ſimili abſtergit pollicem ſuum, & locum inunctum, & imponit capiti ejus linteolum candidum loco veſtis albæ, dicens:*

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri JESU Chriſti, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

29. *Poſtea dat ei, vel Patrino, matrinæ candelam accenſam, dicens:*

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum: ſerva DEI mandata, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei unà cum omnibus Sanctis in aula cœleſti, habeáſq; vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

30. *Poſtremò dicit N.* vade in pace, & Dominus ſit tecum. ℞. Amen.

31. *Si infans, vel adultus ægrotus adeò graviter laboret, & periculum immineat, ne pereat, antequam Baptiſmus perficiatur, Sacerdos omiſſis, quæ Baptiſmum præcedunt, eum baptizet, ter, vel etiam ſemel infundens aquam ſuper caput ejus in modum crucis, dicens:* Ego te baptizo in nomine Patris † *&c. ut ſuprà fol. 20.*

32. *Si non habeatur aqua baptiſmalis, & periculum impendeat, Sacerdos utatur aquâ ſimplici.*

33. *Deinde ſi habeat Chriſma, liniat eum in vertice, dicens:* DEUS omnipotens Pater Domini noſtri JESU Chriſti. *&c. ut ſuprà fol. 20.*

34. *Poſtea dat ei linteolum candidum, dicens:* accipe veſtem, *&c.*

35. *Ac demùm det ei ceream candelam accenſam, dicens:* accipe lampadem, *ut ſuprà.*

36. *Si ſupervixerit; ſuppleantur alij ritus omiſſi, in Eccleſia, vel domi, prout infantis valetudo permittet.*

§. II.

Actus ſuppletionis omiſſorum in Baptiſmo.

1. S*Acerdos.* Quo nomine vocaris?
Wie heiſſt diſes Kinds Namen.

Patrinus. N. v. g. Joannes, Maria.

N. Quid petis ab Eccleſia DEI?
N. Was begehrſt du von der Kirchen GOttes?
Patrinus. Fidem. den Glauben.
Sacerdos. Fides quid tibi præſtat?
Was gibt dir der Glaub?
Patrinus. Vitam æternam.
Das ewige Leben.

2. *Sacerdos.* Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & proximum tuum, ſicut te ipſum.

Wann du wilſt eingehen in das ewige Leben/ſo halte die Gebott: Du ſolſt GOTT deinen HErrn lieben/ auß gantzem deinem Hertzen/ auß gantzer deiner Seel/ und auß gantzem deinem Gemüth/ und deinen Nächſten/ als wie dich ſelbſten.

3. *Deinde ter in modum unius Crucis exſufflet leniter in faciem baptizati infantis & dicat ſemel:* Exi ab eo (*ab eâ*) immunde Spiritus, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

4. *Poſtea pollice faciat ſignum Crucis in fronte & in pectore baptizati infantis, dicens:*

Accipe ſignum Crucis tam in fronte †, quàm in corde †, ſume fidem cæleſtium præceptorum, & talis eſto moribus, ut templum DEI jam eſſe poſſis.

Oremus.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi: & hunc Electum tuum *N.* (*hanc Electam tuam N.*) Crucis Dominicæ impreſſione ſignatum (*ſignatam*) perpetuâ virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

5. De

5. *Deinde imponens manum ſuper caput Baptizati, dicit :*

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, reſpicere digneris ſuper hunc famulum tuum *N.* (*hanc famulam tuam N.*) quem (*quam*) dudum ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis, ab eo (*eâ*) expelle ; diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus (*colligata*) aperi ei Domine, januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus (*imbuta*) omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum, lætus (*læta*) tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus (*idonea*) ſit frui gratiâ Baptiſmi tui, quem ſuſcepit, ſalis perceptâ medicinâ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

6. *Deinde poſtquam modicus ſalis immiſit in os baptizati, dicit :* Accipe ſalem ſapientiæ, propitiatio ſit tibi in vitam æternam. ℞ Amen.

Oremus.

DEUS Patrum noſtrorum, DEUS univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum *N.* (*hanc famulam tuam N.*) recipere digneris propitius, &, hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutiùs eſurire permittas, quò minùs cibo expleatur cæleſti : quatenus ſit ſemper Spiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens : & quem (*quam*) ad novæ regenerationis lavacrum perduxiſti, quæſumus Domine, ut cum fidelibus tuis, promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

EXORCISMUS.

EXorcizo te immunde Spiritus, in nomine Patris † & Filij † & Spiritus † ſancti, ut exeas, & recedas ab hoc famulo DEI (*hac famula DEI N.* ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnare, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro, ne mergeretur, dexteram porrexit.

Ergo maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem DEO vivo & vero: da honorem JESU Chriſto, Filio ejus, & Spiritui ſancto: & recede ab hoc famulo DEI *N.* (*ab hac famulâ DEI N.*) quia iſtum (*iſtam*) ſibi DEUS & Dominus noſter JESUS Chriſtus, ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontémque Baptiſmatis, vocare dignatus eſt.

7. *Hic pollice in fronte ſignat baptizatum infantem dicens.*

Et hoc ſignum ſanctæ Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

8. *Mox imponit manum ſuper caput baptizati infantis, ac dicit:*

Oremus.

ÆTernam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum *N.* (*ſuper hanc famulam tuam N.*) ut digneris eum (*eam*) illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum (*eam*) & ſanctifica: da ei ſcientiam veram, ut dignus (*digna*) ſit frui gratiâ Baptiſmi tui, quem ſuſcepit: teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus (*apta*) ſit ad retinendam gratiam Bapti-

Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

9. *Poſtea Sacerdos imponit extremam partem ſtolæ ſuper baptizatum, vel eam porrigens geſtanti infantem, & incedens ipſe à parte dextera, & introducit eum in Eccleſiam dicens:*

N. Ingredere in templum DEI, ut habeas partem cum Chriſto, in vitam æternam. ℟. Amen.

10. *Cùm fuerint Eccleſiam ingreſſi, Sacerdos procedens ad locum, ubi parata ſunt Olea, cum ſusceptoribus conjunctim clarà voce dicit:* Credo in Deum, *&c.* Pater noſter, *&c. ut ſuprà fol. 14.*

11. *Quibus finitis, dicat ſequentem Exorciſmum.*

Exorcizo te omnis Spiritus immunde, in nomine DEI Patris omnipotentis †, & in nomine JESU Chriſti Filij ejus, Domini & Judicis noſtri †, & in virtute Spiritûs ſancti †, ut diſcedas ab hoc plaſmate DEI *N.* quod Dominus DEUS noſter ad templum ſanctum ſuum vocare dignatus eſt, ut fiat templum DEI vivi, & Spiritus ſanctus habitet in eo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

12. *Poſtea Sacerdos pollice dextero accipiat de ſaliva oris ſui, & commiſcens eam cineri, tangat aures & nares baptizati:*

Tangendo verò aurem dexteram & ſiniſtram, dicat: Eriphera, quod eſt, Adaperire.

Deinde tangat nares dicens: in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare, diabole: appropinquabit enim judicium DEI.

13. *Poſtea interrogat Baptizatum nominatim dicens:*

N. Ab-

N. Abrenuntias Sathanæ?

N. Widerſagſt du dem böſen Feind?

Reſpondet Patrinus. Abrenuntio.

Ich widerſag.

Et omnibus operibus ejus?

Und allen ſeinen Wercken?

Reſp. Abrenuntio. Ich widerſag.

Et omnibus pompis ejus?

Und aller ſeiner Hoffart?

Reſp. Abrenuntio. Ich widerſag.

14. *Hic intingens Sacerdos pollicem in Oleum Catechumenorum, faciet Crucem in pectore baptizati, dicens:* Ego te linio † Oleo ſalutis.

Et ſtatim faciet etiam Crucem inter ſcapulas, dicendo: in Chriſto † JESU Domino noſtro, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

15. *Poſt hæc pollicem & inuncta loca abſtergit bombacio, vel re ſimili: eúmque in ſacro Chriſmate intingens, ungit baptizatum infantem in ſummitate capitis, in modum Crucis dicens:*

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jesu Chriſti qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, quíque dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum (*hîc inungit*) ipſe te liniat † Chriſmate ſalutis, in eodem Chriſto Jesu, Domino noſtro, in vitam æternam. ℟. Amen.

16. *Tum iterum bombacio, aut re ſimili, abſtergit pollicem ſuum, & locum inunctum: & imponit capiti ejus linteolum candidum, loco veſtis albæ, dicens:*

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri JESU Chriſti, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

17. *Poſtea dat ei, vel Patrino candelam accenſam, dicens:*

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum: ſerva DEI mandata, ut, cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei, unà cum omnibus Sanctis, in aula cœleſti, habeáſq; vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

18. *Poſtremò dicit N.* Vade in pace, & Dominus ſit tecum. ℟. Amen.

19. *In Baptiſmo autem adultorum præter illa, quæ ſupra pag. notata ſunt, quando ſupplentur omiſſa, hæc mutari debent. Primum in Exorciſmo,* Audi maledicte Satana, *ubi dicitur,* (habitaculum perficiat) *dicatur,* habitaculum perfecit. *Deinde in Exorciſmo,* Nec te latet, *ubi dicitur* (ut fiat) ut fieret.

§. III.

Actus introducendi Mulieres in Eccleſiam poſt partum.

1. *SI qua Puerpera poſt partum, juxta piam ac laudabilem conſuetudinem, ad Eccleſiam venire voluerit, pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritq; à Sacerdote benedictionem, ipſe ſuperpelliceo & ſtolâ albâ indutus cum Miniſtro aſpergillum deferente, & Sacerdoti reſpondente, ad fores Eccleſiæ accedat.*

2. *Deinde illam foris ad limina genuflectentem vel (ubi commodè fieri nequit) ſtantem, & candelam accenſam in manu tenentem ſtans ipſe intra fores Eccleſiæ aperto capite, ter, in modum unius crucis, aquâ benedictâ aſpergat, nihil dicens:*

3. *Tum dicit: reſpondente miniſtro:*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino.

Pſalmus

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper MARIA fundavit eum: & ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem DEI Jacob.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt ille Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri. *&c.*

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

4. *Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem ſtolæ, eam à ſiniſtra ſua introducet aliquantulùm in Eccleſiam, dicens:* Ingredere in templum DEI: adora Filium beatæ Mariæ Virginis, qui tibi fæcunditatem tribuit prolis.

5. *Caveat Sacerdos, ut ſi quid mulier pro benedictione offerre*

offerre vult, illud non, dum ſtolam ei porrigit, ſed finitâ primùm benedictione, accipiat.

6. *Puerpera ingreſſa, genuflectit coram altari Eccleſiæ in aliqua illius capellâ, & orat gratias agens pro beneficijs ſibi collatis.*

7. *Sacerdos autem, ſtans ante altare, converſus ad illam dicit:*

Kyrie eleiſon.
℟. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter. *ſecretò.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.
℟. DEUS meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui per beatæ Mariæ Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertiſti: reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, ad templum ſanctum tuum pro gratiarum actione lætam accedentem: & præſta, ut poſt hanc vitam ejusdem beatæ Mariæ meritis & interceſſione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole ſua pervenire

nire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

8. *Deinde illam aſpergit iterum aquâ benedictâ, ter, in modum unius crucis, ut ſuprà.*

9. *Poſtea extentâ manu faciens crucem ſuper illam, dicit:*

Pax & benedictio DEI omnipotentis, Patris, † & Filij, & Spiritûs ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.

CAPUT III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

ETſi ob reverentiam majorem Sacri Chriſmatis in Diœceſi Friſingenſi indultum ſit, ut per Sacerdotes adſtantes, & Epiſcopo miniſtrantes ſtatim poſt factam Confirmationem, Sacrum Chriſma extergatur, adeóque faſciâ alibi conſuetâ non ſit opus; quia tamen ita componere conatus ſum hoc compendium, ut etiam pro alijs Diœceſibus ſervire queat, in his autem faſtia dicta adhiberi, & poſt elapſos aliquot dies Sacrum Chriſma abſtergi à Sacerdotibus ſoleat, ideò ut ad manum habeat preces pro tali actu adhibendas, eas hoc loco ponere placuit, prout in Rituali Auguſtano habentur.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Acceptâ faſciâ madefactâ cum modico ſale abluat in modum Crucis, dicátque:

Ab-

Ab omni immunditia mentis & corporis mundet te Dominus noſter Jesus Chriſtus in nomine Patris† & Filij†, & Spiritûs † ſancti. Amen.

Deinde addat.

Hæc Sacri Chriſmatis ablutio ſit omnium peccatorum tuorum remiſſio, ut habeas vitam æternam in Chriſto JESU Domino noſtro. Amen.

Pax † tecum. Vade in pace. Amen.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

DE hoc Sacramento duo potiſſimùm pro praxi ex Rituali obſervanda ſunt, ſcilicet modus abſolvendi à peccatis, & modus abſolvendi à cenſuris, quibus addi poteſt modus diſponendi infirmos ad confeſſionem legitimè & fructuosè inſtituendam.

§. I.

Forma à peccatis abſolvendi.

1. *CUm igitur pœnitentem abſolvere voluerit, injunctâ, ei priùs, & ab eo acceptatâ ſalutari pœnitentiâ, primò dicit:*

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen.

2. *Deinde dexterâ verſus pœnitentem elevatâ, dicit;*

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Dominus noſter Jesus Chriſtus te abſolvat: & ego

auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo ex communicationis (ſuſpenſionis) & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges. Deinde ago te abſolvo à peccatis tuis, in nomine Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti, Amen.

Si pœnitens ſit laicus, omittitur verbum ſuſpenſionis. Paſſio Domini noſtri JESU Chriſti, merita B. MARIÆ Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.

3. *In Confeſſionibus autem frequentioribus & brevioribus omitti poteſt* Miſereatur, *&c. ſatis erit dicere:* Dominus noſter JESUS Chriſtus, *&c. ut ſuprà uſque ad illud*, Paſſio Domini, *&c.*

4. *Urgente verò aliquâ gravi neceſſitate in periculo mortis, breviter dicere poterit:*

Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis, in nomine Patris, *&c.*

5. *Ne tamen Sacerdos abſolvat aliquem, quem abſolvere non poteſt, diligenter in memoria habere debet Caſus ſeu peccata Pontifici aut Epiſcopis reſerata, quæ quidem ſunt triplicis generis.*

Caſus Summo Pontifici in Bulla Cœna Domini reſervati.

1. Hæretici & Schiſmatici, eorúmque receptatores, fautores ac defenſores, aut qui eorum libros de hæreſi tractantes legunt.
2. Appellantes ad futurum Conſilium.
3. Piratæ ac Latrunculi maritimi.
4. Rapientes bona Naufragorum.
5. Falſarij litterarum Apoſtolicarum.

6. Sub

6. Subminiſtrantes arma, auxilium, conſilium, vel favorem Turcis, aut alijs Chriſtiani nominis inimicis.

7. Impedientes, ne victualia, aut alia ad uſum Curiæ Romanæ neceſſaria Romam deferantur.

8. Interficientes, mutilantes, ſpoliantes, vulnerantes, detinentes, capientes, eos, qui ad Sedem Apoſtolicam veniunt: aut qui Jurisdictionem Judicibus Romanis datam temerè ſibi vendicant.

9. Qui eadem faciunt Cardinalibus, Legatis Apoſtolicæ Sedis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, vel conſilium aut auxilium ad hoc præbent.

10. Qui impediunt, vel lædunt, recurrentes ad Romanam Curiam, vel eorum Procuratores.

11. Qui à Sede Apoſtolica appellant, & recurrunt ad Curias ſæculares.

12. Qui contra libertatem Eccleſiaſticam trahunt ad ſuum judicium Perſonas Eccleſiaſticas.

13. Qui JurisdictionemEpiſcoporum impediunt, vel ad hoc juvant auxilio vel conſilio.

14. Qui onera inuſitata Eccleſiaſticis imponunt, aut ab eis recipiunt.

15. Qui hoſtiliter invadunt, aut occupant, detineántque terras Romanæ ſedi ſubjectas.

Caſus Summo Pontifici extra Bullam Cœnæ reſervati.

1. Interficiens aut verberans Clericum, ſi læſio ſit attrox & enormis: perſequens Epiſcopum, vel Majorem, & Prælatum.

2. Qui aliquo extremo ſigno ſuam hæreſin prodit, aut Hæreticis, ab Eccleſia damnatis, circa ſuas perverſas opiniones favet, eóſque defendit.

3. Qui libros hæreticorum ſcienter legit, aut domi ſervat, citra ſpecialem diſpoſitionem.

4. Quj à Romani Pontificis obedientiâ, & Eccleſiæ Catholicæ unitate, pertinaciter ſe ipſum ſegregat.

5. Falſificans litteras Apoſtolicas, & impediens Jura vel libertatem Curiæ Romanæ.

6. Offendens Eccleſiaſticam libertatem, ut, qui effringit & ſpoliat loca ſacra, vel qui contra Eccleſiæ Jura & privilegia judicat, aut Eccleſiarum bona detinet, alienat vel alienata recipit, qui etiam non reddit decimas.

7. Religioſus habitum ſuum temerè dimittens.

8. Simoniacè dans vel recipiens ſacros Ordines, aut Beneficium Eccleſiaſticum: & quicunq; ſuam operam vel conſilium interponit, ubi voluntas eſt dandi vel accipiendi pro re ſpirituali rem temporalem, cum ſignificatione alicujus pacti expreſſi vel taciti, in quod pacti pars utraque conſenſit. Quæ ſimonia realis in rebus Eccleſiaſticis Beneficiíſve comiſſa, conjunctam habet obligationem ad beneficia non retinenda, & ad fructus eorum reſtituendos: in Ordinibus verò ſuſpenſio reddit illum, qui ordinatus eſt, ut non poſſit ea, quæ ſui ſunt Ordinis, citra ſpecialem facultatem exequi.

9. Incendiarius, qui publicè fuit pro excommunicato denuntiatus.

10. Miſſam celebrans in excomunicatione majori.

11. Commutans alicui vota facta, de ſervanda caſtitate perpetua, de ingreſſu Religionis, de viſitando ſepulchro Domini, aut de ſuſcipienda peregrinatione ad Apoſtolorum Petri & Pauli limina, vel ad ſanctum Jacobum in Compoſtellam.

12. Sepeliens hæreticos, & illis adhærentes in loco ſacro.

Caſus Epiſcopales in Diœceſi Friſingenſi reſervati.

1. Divinatio, ſortilegium, & incantatio, atque omne magicum exercitium, ſi fuerint peccata mortalia, quod judicio prudentis Confeſſarij relinquimus.

2. In patres proprios violenta manuum injectio.

3. Homicidium voluntarium, aut notabilis membri abſciſſio.

4. Inceſtus in primo & ſecundo conſanguinitatis gradu: item ſtuprum violentum: Raptus: & Sodoma.

5. Procuratio abortûs, aut ſterilitatis.

5. Abſolutio ab hæræſi, ſine ſpeciali Noſtrâ Commiſſione.

In Auguſtana Diœceſi ſequentes reſervantur.

1. Homicidium voluntarium.

2. Caſus habens majorem excommunicationem annexam.

3. Inceſtus cum Moniali profeſſa, cum cognata vel affine in primo & ſecundo gradu.

4. Veneficium, Incantationes Magicæ, & Maleficium, abuſus SS. Euchariſtiæ & Sacrarum Reliquiarum ad artes magicas.

5. Violatio ſigilli Confeſſionis Sacramentalis.

§. II.

Forma abſolvendi à Cenſuris, & irregularitate.

ET ſi non omnis Caſus reſervatus excommunicationem aut aliam cenſuram annexam habeat, ideóque in caſu etiam ſpeciali formâ ad abſolutionem non

indigeat ; quando tamen annexam habet ejuſmodi cenſuram, ſequentes formæ obſervandæ ſunt.

Abſolutio à Cenſuris in foro conſcientiæ.

Dominus noſter JESUS Chriſtus abſolvat, & ego authoritate ipſius (*vel ſi ab homine acceperit ſpecialem facultatem ab his cenſuris abſolvendi*) à N. traditâ abſolvo te à vinculo Excommunicationis (*vel Suſpenſionis*) vel Interdicti, quam (*vel quod*) propter tale factum (*vel cauſam*) incurriſti(*ſeu incurriſſe declaratus es*) in nomine Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti. Amen.

Notandum, hanc formam, ſi aliquis extra forum conſcientiæ à Suſpenſione aut Interdicto abſolvendus ſit, uſurpari poſſe, dummodo prima illa verba Dominus noſter JESUS Chriſtus te abſolvat : *omittantur.*

Abſolutio ab Excommunicatione in foro exteriori.

1. *Si poteſtas abſolvendi ab excommunicationis ſententiâ Sacerdoti commiſſa fuerit à ſuperiore, & in mandato certa forma ſit præſcripta, illa omnino ſervanda eſt: ſi verò in mandato ſeu comiſſione dicitur :* in forma Eccleſiæ conſueta abſolvat : *hæc ſervanda ſunt.*

2. *Excommunicatus ei, ob cujus offenſam in excommunicationem incurrit, priùs, ſi poteſt, ſatisfaciat. Quòd ſi tunc non poſſit, ſufficientem cautionem præſtet, aut ſaltem, ſi eam præſtare non poteſt, juret ſe, cùm primùm poterit, ſatisfacturum: & ſi crimen, ob quod in excommunicationem incidit, ſit grave, juramentum ab eo exigatur, de parendo mandatis Eccleſiæ, quæ ſicut pro tali cauſa.*

3. *Denique hanc abſolvendi ritum obſervabit. Pœnitentem coram ſe utroq; genuflexo, in humeris*

vir fuerit (ſecus ſi fæmina) uſque ad camiſiam excluſivè denudato. virga aut funiculis ſedens leviter percutit, dicendo totum Pſalmum, Miſerere mei Deus, *&c. cum* Gloria Patri, *&c. Deinde ſurgit & aperto capite dicit* : Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. ℣. Salvum fac ſervum tuum (*vel ancillam tuam*) Domine. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo (*in ea*) ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℣. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEUS, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtram, ut hunc famulum tuum (*hanc famulam tuam*) quem (*quam*) excommunicationis ſententia conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

4. *Mox ſedet, & cooperto capite dicit* :

Dominus noſter JESUS Chriſtus te abſolvat: & ego auctoritate ipſius, & ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ (*vel* Reverendiſſimi Epiſcopi *N. vel talis* Superioris) mihi commiſsâ, abſolvo te, *&c. ut ſuprà.*

5. *Quid ſi plures ſint cauſæ, ob quas quiſpiam eſt excommunicatus, omnes in abſolutione ſunt exprimendæ: ne alioquin à ſolis expreſſis cenſeatur abſolutus.*

Abſolutio generalis à Cenſuris & peccatis tempore Jubilæi.

Dominus noſter Jesus Chriſtus te abſolvat: & ego auctoritate ejusdem, ac Domini noſtri Papæ *N.* qua in hac parte fungor, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis (*ſuſpenſionis*) & interdicti, ſi quod eorum quomodocunque contraxiſti, & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, comunioni & unitati fidelium. Deinde ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti, Amen.

Si pœnitens ſit Laicus, omittitur verbum ſuſpenſionis.

Diſpenſatio circa Irregularitatem.

1. *Si verò Confeſſario, ſive in foro conſcientiæ, ſive extra, data eſt poteſtas diſpenſandi ſuper irregularitate, tunc poſtquam abſolverit à peccatis, addat conſequenter*: Eadem auctoritate diſpenſo tecum ſuper Irregularitate (*vel* irregularitatibus, ſi ſunt plures) in quam (*vel* in quas) ob talem cauſam (*vel* tales cauſas eas exprimendo) incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni ordinum & officiorum tuorum, in nomine Patris †, & Fili, & Spiritûs ſancti Amen. *Si nullum habet Ordinem, dicatur*: Habilem te reddo ad omnes Ordines ſuſcipiendos, *vel etiam ad alia, juxta tenorem Mandati.*

2. *Quòd ſi neceſſe ſit titulum Beneficij reſtituere, & fructus malè perceptos condonare, ſubjungat*:

Et reſtituo tibi titulum (*ſeu* titulos) *Beneficij* (*ſeu* Beneficiorũ) & condono tibi fructus male perceptos. In nomine Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti, Amen.

§. III. *Mo*

§. III.

Modus diſponendi Pœnitentem, infirmum maximè, ad legitimam Confeſſionem faciendam.

1. *CUm ſæpe Confeſſiones excipiendæ ſint illorum infirmorum, qui vel ob dolores & vim mori diſponere ſe ſufficienter non poſſunt ad dolorem, alióſq; actus convenientes eliciendos, ideo ut ad manum habeat Sacerdos ejusmodi actus & preces, placuit eos huc apponere.*

ORATIO.

Ante Confeſſionem.

2. O Mein HErr JESU Chriſte/wahrer GOtt und Menſch/ mein Schöpffer und Erlöſer. Dieweil ich dich billich über alle Ding ſoll lieben/ und liebe/ſo reuet mich von gantzem Hertzen/daß ich dich jemals beleydiget hab. Nimm mir aber ernſtlich für/ hinfüran nicht mehr zu ſündigen/ und alle begangene Sünden mit wahrem Schmertzen vollkommentlich zu beichten/und zu büſſen. Bitte dich derohalben demüthig umb Verzeyhung/ und opffere dir zur Gnugthuung auff dein Heil. Leyden/ ſamt den Verdienſten deiner gebenedeyten Mutter/ und aller Heiligen/wie auch mein gantzes Leben/und Schmertzen; und hoffe veſtiglich auff dein unendliche Gütigkeit und Barmhertzigkeit/ du werdeſt mir durch die Verdienſt deines koſtbarlichen Bluts und bitteren Tods alle meine Sünd und Miſſethaten gnädiglich verzeyhen/ auch kräfftige Hülff mittheilen/ damit ich mein Leben beſſeren/ und darinn biß in den Tod verharren möge/ Amen.

Ein anders durch anmüthige Seuffzer.

3. O mein allerliebſter HErr JEſu Chriſte / ich glaub veſtiglich / daß du dein heiliges Blut zu abwaſchung meiner Sünden vergoſſen / und auch zu diſem Zihl das Heil. Sacrament der Beicht haſt eingeſetzt / darumb dann ſey gelobt und gebenedeyet in alle Ewigkeit.

4. O HErr JEſu Chriſte / mein einiger Troſt und Zuflucht / ich hoffe veſtiglich / du werdeſt mir durch Krafft diſes H. Sacraments meine Sünden vollkommentlich verzeyhen / und kräfftige Gnad verleyhen / dieſelbe hinfüran ernſtlich zuvermeyden. Ach laſſe mich nicht zuſchanden werden.

5. O HErr JEſu Chriſte / wel du mich ſo ſehr geliebt haſt / alſo liebe auch ich dich von inneriſten Grund meines Hertzens / und iſt mir derentwegen inniglich leyd / daß ich dich mein höchſtes und einiges Gut ſo ſchwärlich belendiget hab. Nimme mir aber ernſtlich für / dich hinfüran nicht mehr zu beleydigen / und alles / was ich dir oder anderen zur Gnugthuung zu leiſten ſchuldig bin / völlig zuerſtatten.

6. O allerliebſter JEſu / du wahres Lam̃ GOttes / daß du hinnimmeſt die Sünd der Welt / ich bitte dich durch die unendliche Lieb / mit der du für uns geſtorben biſt / du wolleſt mir alle begangene Sünden gnädig verzeyhen / und kräfftige Gnad verleyhen / daß ich dieſelbe anjetzo mit wahrer Reu beichten / uud hinfüran auß eyfferiger Lieb gegen dir gäntzlich vermeydn möge / Amen.

7. O ſanfftmüthigiſter JESU / gleichwie du mir und anderen Feinden ſo barmhertzig alles / was wir

wir wider dich gethan / verzeyheſt / alſo verzeyh auch ich umb deinetwillen allen/ die mich jemahls beleydiget haben/ und bitte dich von Hertzen / daß auch du ihnen und allen anderen Sünden gnädig verzeyhen / und Gnad/ ihre Sünden warhafftig zu beichten und zu buſſen / verleyhen wolleſt.

8. O liebreiche Mutter der Barmhertzigkeit/ und ihr andere meine heilige Patronen; ach erbarmet euch/ und bittet für mich / und alle andere Sünder / auff daß wir alle unſere Sünden warhafftig bereuen / beichten und beſſeren mögen/ Amen.

Nach der Beicht.

9. O allerliebſter HErr JEſu Chriſte/ ich ſage dir demüthigiſten Danck/daß du nicht allein das H. Sacrament der Beicht eingeſetzt/ ſonder auch deſſelben Frucht mich ſo offt bißhero/und jetzt abermal haſt wöllen genieſſen laſſen. O wolte GOtt / ich kundte dich wegen ſolcher Gutthat unendlich loben/und lieben. Ach gütigiſter JEſu / ich bitte dich inniglich durch dein unermeſſene Barmhertzigket / du wolleſt mir dein Gnad verleyhen/ daß ich dein göttliche Majeſtät hinfüran nicht mehr freywillig beleydige. Verzeyhe mir auch alles/was ich in diſer Beicht oder ſonſt geſündiget hab/ gleichwie auch ich von Hertzen verzeyhe allen/ die mich beleydiget haben; und wünſche ihnen alles das jenige Gut/ das ich mir ſelbſt begehre. Ach allerliebſter JEſu / in deinem heiligen Leyden und Wunden ſtehet alle meine Hoffnung und Vertrauen / verleyhe derohalben / daß ich durch deren Krafft alle Sünd vermeyden/und je mehr Schulden mir von dir ſeyn nachgelaſſen worden/ je inbrünſtiger ich dich meinen GOtt und HErrn lieben möge.

10. O unbefleckte Jungfrau MARIA/ und ihr alle meine heilige Patronen / bittet für mich und alle Sünder/ daß wir unſer Leben ernſtlich beſſeren/und GOtt unſeren HErꝛn von Hertzen lieben und ehren mögen/ Amen.

Seufftzer.

11. O HERR / du haſt mein Seel erlediget/ daß ſie nicht zu Grund gangen iſt. Mein Seel iſt wie ein Spatz errett worden : Der Strick iſt zerbrochen/ und wir erlediget worden.

12. Du haſt/O HErꝛ/meine Strick zerbrochen/ dir will ich derohalben das Opffer deß Lobs auffopfferen. Geſchworen hab ich/ und ernſtlich fürgenommen / die Gebott deiner Gerechtigkeit zu halten.

13. HErꝛ/ ſey nicht ingedenck meiner begangenen Sünden/ ſondern thue ſie mit deiner Barmhertzkeit bedecken.

Pro Sacerdotibus aliis.

14. O benigniſſime JESU, Redemptor Conſolator meus,quid retribuam tibi pro tanta charitate,quâ non ſolùm hoc Sacramentum inſtituiſti, ſed fructum etiam illius toties mihi applicuiſti. O utinam propter hoc beneficium infinities Te laudare, benedicere, & amare poſſem !

15. Ah,pijſſime JESU! da mihi,obſecro per infinitam miſericordiam tuam, gratiam iſtam, ut divinam Majeſtatem tuam deinceps nunquam ampliùs deliberatè offendam. Ignoſce quoque,quidquid in hac Confeſſione, aut unquam aliàs deliqui,ſicut & ego amore tui ignoſco omnibus,qui me unquam offenderunt,precórque illis eandem gratiam, quam mihi ipſi exopto.

16. Ah

16. Ah JESU mi dilectiſſime! in ſanctiſſima paſſione & vulneribus tuis omnis ſpes mea repoſita eſt. Fac ergo, obſecro, ut virtute illorum de omnibus vitijs triumphem, & quantò plura per te mihi remiſſa ſunt debita, tantò ardentiori te DEUM meum amore complectar, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

17. O ſanctiſſima & immaculatè concepta Virgo MARIA, & vos omnes SS. Patroni mei, intercedite, quæſo, pro me, & optatam peccatorum veniam, veramque vitæ emendationem mihi, aliiſque Peccatoribus impetrate. Amen.

Suſpiria.

18. Eruiſti, Domine, animam meam, ne periret. Projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

19. Dirupiſti, Domine, vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ.

20. Ne reminiſcatis, Domine delicta mea, neque vindictam ſummas de peccatis meis, ſed citò anticipet me miſericordia tua.

CAPUT V.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

1. *DEe hac potiſſimum, quando Infirmis præbenda eſt, hoc in loco agitur; & quia interdum antè, quam allata ſit Eucharistia, diſponendus eſt æger, ut illam dignè recipiat, ad hunc finem ſervire illi poterunt ſequentes orationes & ſuſpiria.*

§. I. *De*

§. I.

De Præparatione ad ſumendam Evchariſtiam.

1. O Allerliebſter HErr JEſu Chriſte/ich glaub veſtiglich/ daß du in diſem Heil. Sacrament mit Leib und Seel/ mit der Gottheit und Menſchheit gegenwärtig ſeyeſt. Bette dich derohalben an/ und verehre dich mit tieffiſter Demuth/ und wünſche von Hertzen/ daß du von allen Geſchöpffen auff die höchſte Weiß verehret/ und geliebt werdeſt.

2. O HERR JEſu / ich erkenne mit höchſter Danckbarkeit/ und erfreue mich/ daß du begehreſt bey mir einzukehren. Bin auch bereit/ dich meinen GOtt und HErrn auffs würdigſt / als mir möglich/ zu empfangen.

3. O gütigſter JEſu / es iſt mir hertzlich leyd/ daß ich dich mein höchſtes Gut ſo offt/und ſo ſchwärlich beleydiget / und nimme mir ernſtlich für / dich hinfüran nicht mehr freywillig zuverletzen / damit du jederzeit in mir ein würdige Wohnung finden mögeſt.

4. O mildiſter JEſu / ich opffer dir mit tieffiſter Demuth auff mein Hertz / und alles / was ich hab/ und bitte/ du wolleſt mir daſſelbe nach deinem Wolgefallen zu bereiten.

5. O barmhertzigſter JEſu/ gleichwie einen Hirſchen dürſtet nach dem Waſſer / alſo dürſtet mein Seel zu dir. Komme/ O HErr / dann nach dir ſteht meiner Seelen Begierd.

6. O liebreichiſter JEſu/dich lieb ich von gantzem meinem Hertzen/ weil du mich ſo ſehr geliebt/und zu einem Pfand ſolcher Lieb dein H. Leib und Blut gegeben haſt.

7. O HErr JEſu / ich bin nicht würdig / daß du eingeheſt unter mein Tach/ ſonder ſprich nur ein Wort / ſo wird mein Seel geſund.

Ein anders.

8. O Himmliſcher Vatter / ſihe / hie kommet zu dir der verlohrne Sohn / welcher auß deinem Hauß gewichen / und die Güter deiner göttlichen Gnad ſo übel angewendt hat. Ach Vatter ich hab geſündiget vor dir / und in dem hohen Himmel / und bin nicht werth / daß ich dein Kind genennet werde. Doch aber erbarm dich meiner / lauff mir entgegen / umbfang mich in dem Kuß deß Fridens/gib mir widerumb das Kleyd der Unſchuld/ lade mich zu der Mahlzeit / welche du von dem Leib und Blut deines allerliebſten Sohns haſt zubereitet / damit ich durch diſe erquickt / und erſättiget / dir hinfüran beſtändiger anhange / und in deinem Hauß und Gnad hie zeitlich / und dort ewig verbleibe / Amen.

Seufftzer.

9. O gütigſter JESU / mit ſolchem Glauben / Hoffnung / Lieb / und Reinigkeit begehr ich dich zu empfangen / wie dich empfangen und verlangt hat dein allerheiligſte Mutter / da ſie dem Bottſchafft-Engel demütig geantwortet: Sihe / ich bin ein Dienerin deß HERRN / mir geſchehe nach deinen Worten.

10. Woher kommet mir diſe Gnad / daß mein HErr ſich würdiget zu mir zukommen? Ach HErr / ich bin nicht würdig / daß du eingeheſt unter mein Tach / ſonder ſprich nur ein Wort / ſo wird mein arme Seel geſund.

11. O

11. O HERR / weiche von mir / dann ich bin ein Sünder. So komme dann / O HERR JESU / und thue dein Ankunfft nicht verweilen.

12. O HERR / was iſt der Menſch / daß du ſeiner gedenckeſt? oder was iſt deß Menſchen Kind / daß du es heimſucheſt?

Pro Sacerdotibus.

13. Pro his aptiſsimæ videri poſſunt preces, quas ipſa Mater Eccleſia in SS. Miſſæ Sacrificio præſcribit. Dicat itaque infirmus, aut alius illius loco.

14. Domine JESU Chriſte, Filij DEI vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, per mortem tuam Mundum vivificâſti; libera me per hoc Sacroſanctum Corpus & Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & univerſis malis, & fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas, qui cum eodem DEO Patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas DEUS in ſæcula ſæculorum. Amen.

15. Perceptio corporis tui, Domine JESU Chriſte, quod ego indignus ſumere præſumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem, ſed pro tua pietate proſit mihi ad tutamen mentis & corporis, & ad medelam percipiendam. Qui vivis &c.

16. Credo in te, O ſuprema veritas: Spero in te, O æterna felicitas: revereor te, O tremenda Majeſtas, amo te, O incomprehenſibilis bonitas: glorifico te, O ſanctiſſima Deitas: Doleo medullitus, quòd unquam te offenderim.

In Gegenwart deß H. Sacraments.

17. Seye gegrüſt du wahrer Leib Chriſti / auß MARJA gebohren / und an dem Creutz auffgeopffert.

feret. Auch von Blut und Waſſer gefloſſen. Seye doch mein Speiß in meinem letzten Sterbſtündlein; O gütiger / O ſüſſer JESU / ein Sohn MARIAE erbarm dich meiner.

18. O gütiger JESU / du biſt kommen / die Sünder ſeelig zu machen / deren ich der erſte und gröſte bin. So komme dann / und hayle mich.

19. Ave verum corpus, natum de MARIA
Virgine.
Verè paſſum, immolatum in Cruce pro
homine,
Cujus latus perforatum, undâ fluxit &
ſanguine,
Eſto mihi prægustatum mortis in examine.
O clemens, O pie, O dulcis JESU
Fili MARIÆ, miſerere mei. Amen.

20. Veniſti, O bone JESU, in Mundum, peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Veni ergo, & ſalva me.

21. Bone Paſtor, panis veré,
JESU mei miſerere,
Tu me paſce, me tuere,
Tu me bona fac videre
In terra viventium.

22. O Ferculum Angelicum,
Eſto mihi viaticum,
Ad mortis iter ultimum.

In würcklicher Genüſſung.

23. Der Leib meines HErrn JESU Chriſti bewahre mein Seel zu dem ewigen Leben.

24. Nun / O HERR / laſſe deinen Diener ruhen im Friden / dann meine Augen haben geſehen / und

und mein Mund empfangen den wahren Hey-
land.

25. O HErꝛ / ich hab dich gehalten / und will dich
nicht laſſen / biß daß du mir deinen göttlichen Se-
gen gegeben haſt.

26. Ich hab gefunden den jenigen / den mein Seel
liebet. Ich hab ihn gehalten / und will ihn nicht
mehr von mir laſſen.

27. O HErꝛ bleib bey mir / dann die Nacht kom-
met herzu.

28. O du edle Seel Chriſti heilige mich: O Leib
Chriſti heyle mich: O Blut Chriſti träncke mich. O
Waſſer der Seiten Chriſti waſche mich: O Leyden
Chriſti ſtärcke mich: O gütiger JESU erhöre mich:
In deine Wunden verbirge mich: Laß mich von dir
nicht geſcheyden werden: Vor dem böſen Feind ver-
birge mich / In der Stund meines Tods ruffe mich /
und laß mich zu dir kommen / damit ich dich ſambt
deinen Heiligen in Ewigkeit lieben und loben möge /
Amen.

29. Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecun-
dùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei, &
os meum guſtavit ſalutare tuum.

30. Domine, non dimittam te, donec benedi-
xeris mihi.

31. Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum,
nec dimittam.

32. Mane mecum, Domine, quoniam vita mea
adveſperaſcit.

33. Anima Chriſti ſanctifica me: Corpus Chriſti ſal-
va me: Sanguis Chriſti inebria me: Aqua lateris Chri-
ſti lava me: Paſſio Chriſti conforta me. O bone JESU
exaudi

exaudi me: intra vulnera tua abſconde me: ne permittas me ſeparari à te: ab hoſte maligno defende me: in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem, & glorificem te in ſæcula ſæculorum. Amen.

Nach der Genüſſung.

34. O HErr JEſu Chriſte / ich glaub abermahl veſtiglich / daß du warhafftig bey mir haſt eingekehrt / und mich mit deiner Gegenwart geheiliget haſt / grüſſe dich derohalben / lobe / und verehre dich mit höchſter Demuth / und lade zu mir alle deine Heiligen / damit ſie dich mit mir nach allen ihren Kräfften loben / und benedeyen.

35. O JEſu / ich ſag dir höchſten Danck / daß du nicht allein diſes heilige Sacrament eingeſtellt / ſondern auch ſo offt / und heut ſonderlich mich deſſelben theilhafftig gemacht haſt. Opffere dir auch zu ſchuldiger Danckbarkeit auff eben diſen heiligen Leib / ſambt allen Communionen und Meßopfferen welche einmahl in der gantzen Welt ſeynd verricht worden / wie nicht weniger auch mich ſelbſt / und alles / was ich hab / und bitte demüthig / du wolleſt dir diſes mein Opffer wollgefällig / und angenehm ſeyn laſſen.

36. O JEſu / jetzt erkenne ich abermahl dein unaußſprechliche Lieb / und nimme mir ernſtlich für / dich hingegen von Hertzen zu lieben / wie ich dann hiemit umb deiner Lieb willen aller Sünd und böſen Begirden gäntzlich abſage.

37. O JESU / in dir ſteht all mein Hoffnung und Vertrauen / bitte dich derohalben durch die Lieb / mit der du diſes H. Sacrament eingeſetzt / und mir jetzund wider mitgetheilet haſt / du wolleſt mir geben /

was du mir zum nutzlichiſten zu ſeyn erachteſt/ſonderlich aber ein wahren Haß der Sünden / Lieb zur Tugend / Gedult im Leyden / und letztlich ein glückſeeliges End meines Lebens.

38. O JESU / ich befihl dir auch alle lebendiege und Todten / ſonderlich aber meine Oberen / Befreundten / Gutthäter / und alle/die ſich meinem Gebett befolchen / oder ſonſt meiner Hülff vonnöthen haben / und bitte dich abermahl durch dein Leib und Blut / du wolleſt den Abgeſtorbnen die ewige Ruhe verleyhen / den Lebendigen aber ein wahre Lieb und Begierd zu diſem H. Sacrament / und alles / was ihnen an Leib und Seel nutz iſt/gnädiglich mittheiln.

39. O JESU / ich laß dich nicht von mir / biß daß du mir / und allen / welche ich dir jetzt befohlen hab / den begehrten Seegen mittheileſt.

Ein anders.

40. O Gütigiſter HERR JESU Chriſte/ich ſag dir höchſtes Lob und Danck / das du mich armen und ellendenSünder auß keinem meinem Verdienſt/ ſonder allein auß deiner eignen grundloſen Barmhertzigkeit mit deinem köſtlichen Leib und Blut mildiglich geſpeiſet haſt.

41. Bitte dich zugleich mit höchſter Demuth und Vertrauen/ du wolleſt mir verleyhen/daß diſe ſo fürtreffliche Mahlzeit mir nicht gereiche zum Gericht und Verdammnuß/ ſonder zu Verzeyhung der Sünden/ und zu Troſt und Heyl meiner armen Seel.

42. Verſchaffe auch/O JEſu / daß diſes H. Sacrament ſey ein Weegzehrung wider alle Verſuchung und Anlauff meiner Feind / damit ich ſicher zu dir in das himmliſche Vatterland gelangen möge.

43. O JESU / du haſt geſagt: Wer iſſet mein Fleiſch / und trincket mein Blut / der bleibt in mir / und ich in ihm: Bleibe derohalben auch jetzt bey und in mir / damit auch ich in dir/und in deiner Gnad/in der Catholiſchen Kirch / und in dem Weeg deiner Gebott verbleiben / und wandlen möge.

44. Letztlich / O JESU / hilff mir mein kurtzes Leben Chriſtlich und glücklich vollenden / damit ich einmahl zu dem jenigen Oſter-Mahl komme / in welchem du deinen Auſſerwöhlten ſelbſt ein ſichtbarliche Speiß / reichliche Erſättigung / ewige und immerwehrende Freud / und vollkommene Seeligkeit ſeyn wirſt / Amen.

Alia Eccleſiæ.

45. Purificent nos, quæſumus, omnipotens & miſericors DEUS, Sacramenta, quæ ſumpſimus, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis præſta, ut hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed intercesſio ſalutaris ad veniam: ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra omnia Mundi pericula firmamentum, ſit vivorum atque mortuorum Fidelium remisſio omnium delictorum. Amen.

46. Gratias tibi ago, Domine ſancte, Pater Omnipotens, æterne DEUS, qui me peccatorem indignum Famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ, ſaturare dignatus es pretioſo corpore & ſanguine Filij tui, Domini noſtri JESU Chriſti, & precor, ut hæc ſancta Comũnio non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed intercesſio ſalutaris ad veniam: ſit mihi armatura fidei, ſcutum bonæ voluntatis: ſit vitiorum meorũ evacuatio, concupiſcentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ,

omniúmq; virtutum augmentatio : contra inſidias inimicorum omnium tam viſibilium, quàm inviſibilium firma defenſio motuum meorum tam carnaliũ, quàm ſpiritualium perfecta quietatio : in te uno ac vero Deo firma adhæſio, atque finis mei felix conſummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me Peccatorem perducere digneris, ubi Tu cum Filio tuo & Spiritu ſancto, Sanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternũ, jucunditas conſumata, & felicitas perfecta. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

§. II.

Actus Communionis Infirmorum.

1. I*Ngrediens verò locum, ubi eſt infirmus, dicat:* Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

2. *Tum depoſitum Sacramentum ſuper menſá ſuppoſito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, & mox acceptâ aquâ benedictâ, aſpergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam:* Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor : lavabis me, & ſuper nivem dealbabor : *& primum verſum pſalmi* Miſerere mei Deus, *cum* Gloria Patri. Sicut erat, *&c. Deinde repetitur Antiphona*: Aſperges me, *&c. Poſtea,* ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus at te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, visitet, atquè defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum ℟. Amen.

3. *H*

3. His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoſcat, num ſit bene diſpoſitus ad ſuſcipiendum ſacrum Viaticum, & utrùm velit aliqua peccata confiteri: & illum audiat, atque abſolvat: quamvis priùs deberet eſſe ritè confeſſus, niſi neceſſitas aliter urgeat. Si tamen quiſpiam ex certa cauſa de debitis occultis, votis reſtitutionibus rei alienæ, reconciliandis inimicis, interrogandus judicaretur, id prudenter & ſuaviter fiat.

4. Si infirmus confiteri velit, alios loco aliquantùm interim exeſſe jubeat, & confeſſione abſolutâ, revocet.

5. His expeditis, hortetur infirmū diſpoſitum, ut devotè & firmâ fide Corpus Domini recipiat, & circumſtantes moneat, ut pro infirmo orent, ſequenti, vel alio opportuniore ſuavi modo: converſus ad ægrum dicit:

Geliebter (Geliebte) in Chriſto dem HErrn. Demnach ihr von dem Allmächtigen GOTT mit diſer Leibs-Schwachheit vätterlich und mildiglich heimgeſucht / auch ſolche Heimſuchung von euch gehorſamb: und williglich angenommen / und darüber die weitere nothwendige Mittel / durch die heilige Beicht und Buß biß dato ergriffen worden; ingleichem ihr anjetzt das heiligiſte Sacrament deß wahren Fleiſch und Bluts JESU Chriſti / als die wahrhaffte lebendig und ſeeligmachende Weeg-Speiß / zu empfangen / inbrünſtiges Verlangen traget / alſo wollet ihr vorhero gegen diſem allerheiligſten Sacrament in eurer Seel ein veſten Glauben und hertzliche Andacht zu erwecken / euch befleiſſen.

Deinde ad circumſtantes ſe vertens, dicit:

Solche Gnad von GOtt zu erlangen / wollen wir ins geſambt in der Still mit gebognen Knyen betten ein andächtiges Vatter unſer / und Engliſchen Gruß.

 6. Po-

6. *Poſtea fit de more confeſſio generalis ſive ab infirmo ſive ejus nomine ab alio, latinè.*

7. *Sacerdos facie ad ægrum conversâ, ita tamen, ut tergum nunquam vertat venerabili Sacramento, dicit;* Miſereatur tui, *&c.* Indulgentiam, *&c.*

8. *Deinde factâ genuflexione, accipit Sacramentum de vaſculo, atque illud elevans oſtendit infirmo, dicens:* Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. Sehet das Lamm GOttes / ſehet welches hinnimt die Sünd der Welt; *dein more ſolito ter dicat;*

Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.

Si æger non intelligat, dicatur germanicè: O HErr ich bin nicht würdig / daß du eingeheſt unter mein Tach / ſondern ſprich nur ein Wort ſo wird geſund mein Seel.

9. *Et infirmus ſimul cum Sacerdote dicat eadem, ſaltem ſemel ſubmiſſâ voce, ſi poteſt.*

10. *Tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam dicat:* Accipe frater (*vel ſoror*) viaticum Domini noſtri JESU Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam, Amen.

11. *Si verò Comunio non datur per modum Viatici; dicat more ordinario:* Corpus Domini noſtri JESU Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.

12. *Communio autem per modum Viatici miniſtratur, cùm probabile eſt, quòd infirmus eam ampliùs ſumere non poterit.*

13. *Quòd ſi mors immineat, & periculum ſit in morâ, tunc dicto,* Miſereatur, *&c. prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim Viaticum præbeatur.*

14. *Poſtea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, & infirmo detur ablutio, & ſubjungat coram venerabili.* O

ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens repletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Kyrie eleiſon,
Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon,
Pater noſter,
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo,
℣. Salvum fac ſervum tuum,
℟. DEUS meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eum,
℣. Nihil proficiat inimicus in eo,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat,
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus,

DOmine ſancte, Pater omnipotens, ſempiterne DEUS, te ſuppliciter deprecamur, ut huic famulo, ſacroſanctum corpus Domini noſtri JESU Chriſti Filij tui accipienti, ad animæ, & corpus ſui proſit remedium ſempiternum.

Protege Domine hunc famulum tuum ſubſidijs pacis, & B. MARIÆ Virginis patrocinijs confidentem, à cunctis hoſtibus redde ſecurum.

Omn potens ſempiterne DEUS, ſalus æterna credentium, exaudi nos, pro hoc famulo tuo infirmo (*vel*

famulâ) miſericordiæ tuæ implorantes auxilium, ut redditâ ſibi ſanitate in Eccleſiâ tuâ gratiarum tibi referat actionem. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

15. *Nota in Diœceſis Friſingana Rituali Sacerdos poſt ablutionem tantùm jubetur dicere:* Dominus vobiſcum *&c. ac primam orationem.*

16. *His expletis, redit ad ægrotum, ipſúmque conſolatur, & inſtruit pro diverſitate, & exigentia perſonarum verbis accommodatis, paucis, & ſuaviter propoſitis: ad quod ſerviet adhortatio poſita infrà poſt acceptam Extremam Unctionem.*

17. *Monebit quoque infirmum leni & ſuavi modo, de Extrema Unctione, vel tum ſtatim ſi periculosè decumbat, vel ſi locus ægroti ab Eccleſia longè diſtat, ac propterea accreſcente repentè morbo, ſacerdos tam expeditè adeſſe non poteſt, aut ſaltem ingraveſcente periculo, dum adhuc ſenſus ſani ſunt, ſuſcipiendâ.*

18. *Deinde ſi particula Sacramenti in vaſculo ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet, præterquam in caſu longioris itineris genuflectit, ſurgit & accipiens vaſculum cum ſanctiſſimo Sacramento, facit cum eo ſignum crucis ſuper infirmum, nihil dicens, & reverenter illud deferens, ordine, quo venerat, revertitur ad Eccleſiam, dicendo privatim per viam Pſalmum* Laudate Dominum de cælis, *& alios Pſalmos, & Hymnos, prout tempus feret.*

19. *Quod ſi ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia eâ, quâ decet, veneratione, Sacramentum ad Eccleſiam commodè reportari non poteſt, ſumpta fuerit una tantùm particula cõſecrata, ut dictu eſt, tunc eâ infirmo*

firmo adminiſtratâ, Sacerdos, prædictis precibus recitatis, ægrotum aquâ benedictâ aſpergit, & manu benedicit, dicens: Benedictio DEI omnipotentis, Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen. *Atque unà cum alijs privato habitu, extinctis luminibus, umbellâ demiſsâ, latente pyxide, ad Eccleſiam, vel domum quisque ſuam revertatur.*

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Articulus I.

De diſponendo ægro ad hoc Sacramentum.

1. *Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit:* Pax domui. ℟. Et omnibus habitantibus in eâ

2. *Deinde depoſito Oleo ſuper menſam, ægroto crucem piè oſculandam porrigit, mox in modum crucis (id eſt, ter, in medio, à dexteris, & ſiniſtris rei aſpergendæ (eum aquâ benedictâ, & cubiculum, & circumſtantes aſpergit, dicens Antiphonam* Aſperges *&c. ut* *ſuprà. pag. 52.*

3. *Quòd ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat.*

4. *Deinde pijs verbis illum conſoletur, & de hujus Sacramenti vi, atque efficaciâ, ſi tempus ferat, breviter admoneat, & quantum opus ſit, ejus animum confirmet, & in ſpem erigat vitæ æternæ; quam in rem ſuaviter, & opportunè, prout vel ſtatus morbi, vel ægri cõditio feret, inſtillabi-*

ſtillabitur infirmo ſequens brevis monitio; ſimúlq; aſtantes monebuntur, ut pro ægroto orent, ſimilibus verbis.

5. *Converſus ad ægrum dicit:*

Antiph. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Parochus cùm venerit ad ſepulchrum, ſiſtit ſe ad pedem illius, & illud benedicens dicit.

Oremus.

DEUS, cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, hunc tumulum bene✝dicere dignare, eique Angelum tuum ſanctum deputa cuſtodem: & quorum quarúmque corpora hîc ſepeliuntur, animas eorum ab omnibus abſolve vinculis delictorum, ut in te ſemper cum ſanctis tuis ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde imittit thus in thuribulum, illud more ſolito benedicens, & aſpergit ſepulchrum ter, in modum Crucis, nihil dicens: deinde eodem modo incenſat, ut alias.

Poſt

Poſt hæc Parochus intonas, (vel dicit,)

Antiph. Benedicite.

Tum dicit Canticum trium puerorum, quod à Cantoribus (ſi adſunt,) cantatur.

Benedicite *ut ſuprà fol.* 195.

Antiph. Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite diem lætitiæ, & confitemini illi.

Poſtea dicicit vel cantat, ſi adſunt Cantores.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter: *totum ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

Interim funus demittitur in ſepulchrum.

Simul Parochus dicit: ſume terra quod tuum eſt, ſumat DEUS, quod ſuum eſt, corpus de terrâ formatum eſt, Spiritus de ſurſum inſpiratus eſt.

Et mox aſpergit funus aquâ benedictâ, atque incenſat, ut aliàs.

Tum palâ ter ſuper funus in medio, à dextris, & ſiniſtris ejusdem, immittit modicum terræ, dicens: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

CAPUT X.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Articulus I.

Benedictio Annuli Matrimonialis.

1. T*Empore opportuno, vel antequam accedat ad copulationem Matrimonij Parochus in Eccleſia benedicit Annulum Matrimonialem ſuperpelliceo vel albâ, & ſtolâ violaceâ indutus, dicens:*

℣. Adju-

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

BEnedic † Domine annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus †, ut qui (*qua*) eum geſtaverit, fidelitatem integram ſuo ſponſo (*ſua ſponſa*) tenens, in pace & voluntate tuâ permaneat, atque in mutuâ charitate ſemper vivat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

2. *Deinde aſpergit annulum aquâ benedictâ ter, in modum unius Crucis, nihil dicens.*

3. *Si fuerint plures, quàm unus annulus, benedicendi, oratio hæc dicatur in plurali.*

Articulus II.

Ordo copulationis Matrimonij.

1. P*Arochus ſtans ante ſponſos, clarâ & intelligibili voce, ad circumſtantes dicit:*

Außerwählte in Chriſto dem HErrn.

Diſe zwey gegenwärtige Bräut-Perſohnen/haben ſich gegen einander zu dem heiligen Sacrament der Ehe verſprochen: Sie ſeynd auch ordentlicher Weiß zum drittenmahl auff der Cantzel offentlich verkündiget: und ob zwar bißdato kein Irzuug oder Verhindernuß fürgebracht worden; wofern aber noch jemand allda gegenwärtig/deme einige warhafft oder beglaubte Urſach diß vorhabende heilige Sacrament der Ehe zu verhinderen/ bewuſt wäre/ derſelbe wolle alsbald bey Chriſtlichem Gehorſam ſolches offenbahren/ und keineswegs verhalten.

Und

Und diſes zum erſten mahl.
Zum andern mahl.
Zum dritten mahl.

2. Aliquantulum pauſat, & ſi quis adeſt, impedimentum certò vel veriſimiliter allegans, ulteriùs Parochus in actu copulationis non procedat, ſed omnia ad Nos pro deciſione remittat.

3. Si autem nemo impedimentum opponat, ulteriùs pergit, dicens:

Dieweil dann auch anjetzo nichts vorkommet / ſo diß heilige Sacrament der Ehe hinderſtellig machen kunte / als haben beyde Bräut-Perſohnen vor deſſen Schlieſſung folgender maſſen ſich zuerinneren.

4. Admonitio ſponſis à Parocho facienda.

Und zwar vornemlich iſt wol in acht zu nemmen / daß die Ehe ein von Chriſto eingeſetztes Sacrament: dahero nicht allein würdiglich hiemit zuempfangen / ſondern auch zeit Lebens von beyden Ehe-Perſohnen nach Chriſtlicher Maaß und Ordnung gebührend zubeobachten ſeye.

Warumb aber GOtt die Ehe alſo erhöhet / und geheiliget / ſeynd vornemlich drey Urſachen.

Fürs erſte / damit durch die Eheliche Beywohnung die Kinder rechtmäßig erworben / mit beyder Ehe-Perſohnen geſamten Beyſtand Chriſtlich erzogen / das Menſchliche Geſchlecht auff Erden erhalten / und hinnach die beſtimte Zahl der Auſſerwöhlten in dem Himmel erſetzt werde.

Fürs ander / damit unter den Chriſten / als einem durch den Tauff geheiligtem Volck / die unzuläßige Fleiſch-Gelüſten / alsdann allerley hieraußentſpringender unehrbarlicher Wandel und Laſter / warmit

das Reich GOttes nach Lehr deß H. Apoſtel Pauli (a) keines weegs kan ererbt werden / vermittlet / und zum theil der Schwachheit deß Fleiſches geziemend begegnet werde. (a) *Galat.* 5.

Fürs dritte / damit ein ſichtbarliches / unauffhörliches Zeichen der wunderbarlichen gnadenreichen unſichtbarlichen Vermählung Chriſti mit ſeiner allhie ſtreitbaren / in jener Welt aber triumphierenden einigen Kirchen / mittelſt der heiligen Ehe / auff diſer Welt ſtets vor Augen ſeye / zu einem Vorbild, daß gleichwie Chriſtus ſein ihme von GOtt dem Vatter verehelichte Kirchen beſtändig liebt / ſchützet / und niemahlen verlaßt / ingleichem die Chriſtliche Ehe-Perſohnen unauffhörlich ſich gegen einander lieben / als getreue Mithelffer eines das ander gebührend ſchützen / und in allerhand diſes Lebens Müheſeeligkeiten und Trübſalen einander niemahlen verlaſſen ſollen.

Schließlich / wofern der Eheſtand jetzt erzehlter maſſen angetretten und gehalten wird / alsdann gibt GOtt ſeinen Seegen von oben herab / mehret die zeitliche Güter und Nahrung / verleyhet Gottsförchtige und gehorſame Kinder und Kinds-Kinder / und endlich mit ihnen die ewige Seeligkeit / Amen.

5. *Deinde converſus ad circumſtantes dicit :*

Damit aber gegenwärtige Bräut-Perſohnen würdiglich das Sacrament der Ehe antretten / und hierdurch deren von GOtt bey Einſetzung diß Sacraments verſprochnen Hülff und troſtreiche Gnaden jetzt und Zeit ihres Lebens theilhafftig werden / wollen wir geſamt neben ihnen mit gebognen Knyen GOtt in ſtille anruffen mit einem andächtigen Vatter unſer / und Engliſchen Gruß.

6. *Mox ſurgunt omnes : & Parochus converſus aliquantu-*

quantulùm ad ſponſam; interrogat illam de conſenſu per verba de præſenti: hoc modo.

Wann nun gegenwärtige Bräut-Perſohnen zu ſolchem GOtt gefälligen Vorhaben ihnen getrauen: ſo frag ich euch (*præmittatur titulus conveniens*)

ꝛc. Hochzeiter/ ꝛc. Nemt ihr auß gründlich/freyen/ wolbedachten Willen euer gegenwärtige Hochzeiterin hiemit zur Ehe nach Geſatz und Ordnung der heiligen Kirchen GOttes? So ſprecht: Ja.

Wolt ihr derſelben getreulich vorſtehen/ als das Haupt/wie Adam unſerer erſten Mutter Evæ/und ſie lieben/ wie euch ſelbſt? So ſprecht: Ja.

Wölt ihr ſie auch in aller Noth diſes armſeeligen Lebens nicht verlaſſen/ſondern bey ihr verbleiben/biß euch beyde der Tod ſcheydet/ ſo ſprecht: Ja.

7. Deinde converſus eodem modo ad ſponſam, interrogat illam de conſenſu per verba de præſenti: hoc modo (præmittatur titulus conveniens.)

ꝛc. Hochzeiterin / ꝛc. Nemt ihr gleicher maſſen auß gründlichen/ freyen/ wolbedachten Willen/ eueren gegenwärtigen Hochzeiter hiemit zur Ehe / nach Geſatz und Ordnung der heiligen Kirchen GOttes? ſo ſprecht: Ja.

Wölt ihr denſelben in allen billichen Sachen gehorſamb ſeyn / wie Eva unſer erſte Mutter dem Adam/ und ihn ehren / wie Sara den Abraham? ſo ſprecht: Ja.

Wölt ihr ihn auch in aller Noth diſes armſeeligen Lebens nicht verlaſſen / ſondern bey ihm verbleiben/ biß euch beyde der Tod ſcheydet/ ſo ſprecht: Ja.

8. Non ſufficit conſenſus unius ſed debet eſſe amborũ, & quidẽ de præſenti, expreſſus aliquo ſigno ſenſibili, ſive

fiat per ſe, ſive per procuratorem, qui tamen paſſim ſine urgente causâ & Noſtrâ licentiâ extra Principum & Illuſtrium Nuptias admitti non debet.

9. Mutuo igitur contrahentium conſenſu intellecto, ſacerdos jubeat eos invicem jungere dextras, dicens:

Zu mehrerer Beſtättigung der hiemit geſchloſſnen heiligen Ehe / gebt einander die Mähl-Ring / und die Händ.

10. Tum ſponſus vel ſponſa pro more loci, acceptum annulum infigit in digito annulari (ſeu quarto) ſiniſtræ manûs ſponſi vel ſponſæ.

11. Interim ſacerdos, manu ſuper eos formans crucem, dicit: In nomine Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti, Amen.

12. Dein dicit:

Durch die Zuſambietung der Händ beſtättiget ihr hiemit gleich als mit einem leiblichen Eyd, daß ihr Zeit eueres Lebens wöllet gegen einander treu verbleiben / beſtändig einander helffen / und in der Trübſal kein das ander verlaſſen.

13. Poſtea rurſus dicit:

Gleicher Weiß durch den Ring / als einem geiſtlichen Unterpfandt beſtättiget ihr hiemit / daß gleich wie diſer Ring rund / unzertheilt / ohne Anfang und Ende iſt / alſo auch euer Eheliche Treu niemahlen frembde Lieb / oder gegen einander faſſenden Haß ſolle zertheilt / ſondern in Namen und Ehr GOttes / welcher kein Anfang noch Ende hat / angefangen / und biß an das End veſt und ungeändert zwiſchen euch jederzeit gehalten werden.

14. Tum amborum manus ſtolâ ſua in modum crucis circumvoluit, ſuámque dexteram ſuper imponens, dicit:

Matri-

Matrimonium in facie Eacleſiæ inter vos contractum, DEUS confirmet: & auctoritate Eccleſiæ DEI, ego illud approbo, perficio, atque ſolennizo: In nomine Patris †, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Vel Germanicè.

Die Ehe / welche ihr hiemit vor der Chriſtlichen Gemein beſchloſſen/ wolle GOtt beſtättigen: dieſelbe aber / an ſtatt der Kirchen GOttes / gut heiſſe / beſchlieſſe ich: In Namen GOtt deß Vatters†/und deß Sohns/ und deß heiligen Geiſts/ Amen.

15. *His dictis ſtolam removet dicens:* Gratia & benedictio DEI ſit vobiſcum. ℟. Amen.

Vel Germanicè.

GOTT geb euch ſein Gnad und Seegen.
℟. Amen.

16. *Tum ſi uterque vel ſaltem ſponſa ſit vidua) dicit ſequentes preces ſuper conjuges genuflexos.*

℣. Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.
Kyrie eleiſon.
℟. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c.
℟. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. DEUS meus ſperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eos.

 ℣. Eſto

℣. Eſto eis Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℟. Domine exaudi orationem meam,
℣. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

RESpice, quæſumus Domine, ſuper hos famulos tuos, & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinâſti, benignus aſſiſte, ut qui, te auctore, junguntur, te auxiliante, ſerventur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

17. *Poſtmodùm aſpergat novos conjuges aquâ benedictâ, ambos ſeparatim, primò ſponſum, deinde ſponſam, utrumq; ter in modum unius crucis, nihil dicens,*

18. *His expletis Parochus* Miſſam *pro ſponſo & ſponsâ, ut in Miſſali Romano (excepta ibidem poſita conjugum benedictione) celebrabit.*

Articulus III.

Benedictio Sponſi & Sponſæ.

1. *QUando ambo ſponſi, vel ſaltem ſponſa eſt innupta, ſemper ſequens benedictio adhibetur ſtatim poſt peractam copulationem.*

2. *Animadvertat autem Parochus, viduæ nuptias non eſſe benedicendas: ex conſuetudine autem hujus noſtræ Diœſis, ut dictum, etiam vidui nuptiæ benedicuntur, ſi innuptam ducat.*

3. *Peracta proinde copulatione, ſponſi genua flectunt, uſque dum Parochus abſolvit ſequentem benedictionẽ, quam ſtans versùs ſponſos ad gradum altaris, dicit:*

℣. Adju-

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

Deinde ſubjungat Pſalmum 127.

BEati omnes qui timent Dominum : qui ambulant in vijs ejus.

Labores manuum tuarum,quia manducabis : beatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans : in lateribus domûs tuæ.

Filij tui ſicut novellæ olivarum ; in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo : qui timet Dminum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum : pacem ſuper Iſraël.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Kyrie eleiſon.

℟. Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac fideles tuos.

℟. DEUS meus ſperantes in te.

℣. Exaudiat vos Dominus in die tribulationis.

℟. Protegat vos nomen DEI Jacob.

℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinâſti, benignus aſſiſte, ut qui, te auctore, junguntur, te auxiliante ſerventur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEUS qui poteſtate virtutis tuæ, de nihilo cuncta feciſti: qui diſpoſitis univerſitatis exordijs, homini ad imaginem DEI facto, ideò inſeparabile mulieris adjutorium condidiſti, ut fœmineo corpori de virili dares carne principium, docens quod ex uno placuiſſet inſtitui, nunquam licere disjungi.

DEUS qui tam excellenti myſterio conjugalem copulam conſecrâſti, ut Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum præſignares in fœdere nuptiarum.

DEUS per quem mulier jungitur viro, & ſocietas principaliter ordinata, eâ benedictione donatur, quæ ſola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvij eſt ablata ſententiam.

Reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, quæ maritali jungenda conſortio, tuâ ſe expedit protectione muniri: ſit in eâ jugum dilectionis, & pacis; fidelis caſta nubat in Chriſto, imitatrixque ſanctarum permaneat fœminarum; ſit amabilis viro, ut Rahel; Sapiens ut Rebecca: Longeva & fidelis, ut Sara.

Nihil in eâ ex actibus ſuis ille auctor prævaricationis uſurpet: nexa fidei, mandatiſque permaneat, uni tho-

to juncta: muniat infirmitatem ſuam robore diſciplinæ; ſit verecundiâ gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœleſtibus erudita; ſit fœcunda in ſobole, ſit probata & innocens: & ad beatorum requiem, atque ad cœleſtia regna perveniat: & videant ambo filios filiorum ſuorum, uſque in tertiam & quartam generationem, & ad optatam perveniat ſenectutem. Pe eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen,

Oremus.

DEUS Abraham, DEUS Iſaac, & DEUS Jacob ſit vobiſcum: & ipſe impleat bened✝ictionem ſuam in vobis, ut videatis filios filiorum veſtrorum, uſque ad tertiam & quartam generationem; poſtea vitam æternam habeatis ſine fine: adjuvante Domino noſtro JESU Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, & regnat DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

4. *Deinde aſpergat illos aquâ benedictâ, ter in modum crucis ut ſupra, & dicitur Miſſa pro ſponſis.*

Articulus IV.

Benedictio Mulieris poſt partum.

SI qua puerpera poſt partum, juxta piam ac laudabilẽ conſuetudinem, ad Eccleſiam venire voluerit, pro incolumitate ſua DEO gratias actura, petieritque à Sacerdote benedictionem, ipſe ſuperpelliceo & ſtola alba indutus cum Miniſtro aſpergillum deferente, & Sacerdoti reſpondente, ad fores Eccleſiæ accedat.

2. *Deinde illam foris ad limina genuflectentem, (vel ubi comodè fieri nequit,) ſtantem, & candelam accenſam in manu tenentẽ ſtans ipſe intra fores Eccleſiæ aperto*

to capite, ter, in modum unius crucis, aquâ benedictâ aſpergat, nihil dicens:

3. Tum dicit: reſpondente miniſtro:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino,

Pſalmus 23.

DOmine eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundavit eum; & ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ſancto ejus.

Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem DEI Jacob.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt ille Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri, &c.

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

4. *Deinde*

4. *Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem ſtolæ, eam à ſiniſtra ſua introducit aliquantulum in Eccleſiam dicens* : Ingredere in templum DEI : adora Filium beatæ MARIÆ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

5. *Caveat ſacerdos, ut ſi quid mulier pro benedictione offerre vult, illud non, dum ſtolam ei porrigit, ſed finita primùm benedictione, accipiat.*

6. *Puerpera ingreſſa, genuflectit coram altari Eccleſiæ in aliqua illius capella, & orat gratias agens pro beneficijs ſibi collatis.*

7. *Sacerdos autem, ſtans ante altare converſus ad illam dicit:*

Kyrie eleiſon.

℟. Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon.

Kyrie eleiſon. *ſecretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.

℟. DEUS meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Nihil proficiat inimicos in eâ.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per beatæ Mariæ Virginis partum fidelium parientium dolore in gaudium

gaudium verti[illegible]i: reſpice propitius ſuper hanc famulã tuam, ad templum ſanctum tuum pro gratiarũ actione lætam accedentem: & præſta, ut poſt hanc vitam, ejusdem beatæ Mariæ meritis & interceſſione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole ſuâ pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

8. *Deinde illam aſpergit iterum aquâ benedictâ, ter in modum unius crucis, ut ſuprà.*

9. *Poſtea extenta manu faciens crucem ſuper illam dicit:*

Pax & benedictio DEI omnipotentis, Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.

CAPUT XI.

DE VARIIS BENEDICTIONIBUS.

Articulus I.

Benedictio mulieris prægnantis, ubi aut matris, aut infantis vita periclitatur.

P*Arochus hac benedictione non utatur, niſi rogatus, & tunc cautè obſervet, nequid, præſente ſe, contra verecundiam quavis neceſſitate, committatur.*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Salvam fac ancillam tuam. ℟. DEUS meus ſperantem in te. ℣. Eſto illi Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eâ. ℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto, ℟. Et de Sion tuere eam. ℣. Domine exaudi

audi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentiâ majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate, hæc famula tua ab omnibus ſemper muniatur adverſis. Per Dominum noſtrum, &c.

Oremus.

DOmine DEUS, omnium creator, fortis & terribilis, juſtus & miſericors: qui ſolus bonus & pius es: qui de omni malo liberas Iſraël: qui electos Patres munere Spiritûs tui ſanctificâſti: qui glorioſæ Virginis matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filij tui habitaculum eſſe mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparâſti: qui Joannem Baptiſtam Spiritu ſancto repleri, & in utero matris exultare feciſti: accipe ſacrificium cordis contriti, ac fervens deſiderium famulæ tuæ N. humiliter ſupplicantis pro conſervatione prolis debilis, quam ei dediſti concipere: & cuſtodi partem tuam, & defende ab omni dolo & injuriâ dicti hoſtis: ut obſtetricante manu miſericordiæ tuæ, fœtus ejus ad hanc lucem veniat incolumis, ac ſanctæ regenerationi ſervetur, tibique in omnibus jugiter deſerviat, & vitam conſequi mereatur æternam. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea aſpergat aquâ benedictâ in modum Crucis dicendo Pſalmum 66. **DEUS miſereatur noſtri, &c. Gloria Patri, &c.**

℣. Bene-

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu. ℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. ℣. Angelis ſuis mandet de te. ℟. Ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

VIſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab eâ, & à præſenti famulâ tuâ longè repelle: Angeli tui ſancti habitent in eâ, qui eam, & fœtum ejus ab omni adverſitate & mortis periculo, tuâ benedictione, cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

BEnedictio Dei omnipotentis, Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper, Amen.

Articulus II.

Benedictio terræ ſeminatæ.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

BEnedicat nos DEUS, DEUS noſter, & terræ noſtræ ubertatem concedat: in centuplum amplificet fructus ejus, ut viventes, in exultatione manipulos noſtros colligamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.

Deinde aſpergat aquâ benedictâ in modum crucis.

Articulu

Articulus III.

Benedictio communis ſuper fruges, & vineas.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

ORamus pietatem tuam, omnipotens DEUS, in has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas: & fructus terræ tuæ uſque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, ut à fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergat illas aquâ benedictâ in modum crucis.

1. *ALiæ benedictiones majores ſuper fructus cum decantatione quatuor Evangeliorum in ruralibus maximè Eccleſiis per æſtatem certo tempore antè Miſſam diebus Dominicis & feſtis fieri ſolitæ, videantur infrà.*

2. *Minor quoque Benedictio poſt Miſſam tempore æſtatis in ruralibus Eccleſiis utiliter quotidie adhibenda, videantur infrà.*

Articulus IV.

Benedictio Herbarum in feſto Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Do-

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater Omnipotens, qui ab initio feciſti hominem ad imaginem tuam, & condidiſti cœlum & terram, ſolem & lunam, ſtellas, & omnia cæleſtia & terreſtria: qui dominaris poteſtati maris: qui habes poteſtatem abyſſi magnæ: qui condidiſti omnia elementa; tu bene†dicere, & ſancti†ficare digneris has creaturas herbarum: ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, & duos piſces, & ſatiâſti quinque millia hominum: omnésque, qui utentur ex eis, bene†dicere, & ſancti†ficare dignare, ut in eis ſit ſanitas animæ & corporis: in nomine Patris†, & Filij, & Spiritûs ſancti: & ab omnibus hominibus pecoribúsque, qui ex his guſtaverint, omnem putredinem & omne phantaſma diaboli, & omnem morbum ac dolorem, expellere digneris: qui in Trinitate perfectâ vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

SUpplicíter, ſancte Pater, & obnixis precibus tuam deprecamur clementiam, qui mirabiliter ex nihilo cuncta creâſti, quíque terram diverſa proferre germina præcepiſti, & varia medicamentorum genera, ad ſananda generis humani corpora, herbis indidiſti: bene†dicere, & ſancti†ficare has diverſi generis herbas tuâ pietate digneris; ut quicunque ex eis in hâc ſolennitate beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, DEI genitricis, ſumpturi ſunt, tam animæ quàm corporis deſiderabilem percipiant ſanitatem, & eadem intercedente, ſic earum

uſu jucundentur ſalubriter, quatenus, in tuorum odore unguentorum, Paradiſi januas adire mereantur: præſtante Domino noſtro JESU Chriſto, qui tecum vivit, & regnat DEUS, per omnia, &c. Amen.

Oremus.

DEUS, qui univerſis herbarum generibus humanis neceſſitatibus præſtitiſti remedia: hanc herbarum collectionem tuæ miſerationis bene † dic dexterâ: ut quiſquis, languore depreſſus, ex eis aliquid guſtaverit, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ repræſentatus, optatæ munus ſalutis, te donante percipiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Reſponſorium.

VIdi ſpecioſam, ſicut columbam, deſcendentem deſuper rivos aquarum: cujus inæſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis ejus. Et ſicut dies verni, circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. ℣. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et, ſicut dies verni, &c. ℣. Ora pro nobis ſancta DEI Genitrix. ℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. ℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

VEneranda nobis, Domine, hujus diei feſtivitas opem conferat ſempiternam, quâ ſancta DEI Genitrix mortem ſubijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit: quæ filium tuum, Dominum noſtrum, de ſe genuit incarnatum: qui tecum vivit & regnat in unitate, &c. ℣. Amen.

Deinde aſpergantur aquâ benedictâ in modum cru-cis : & ſi benedictio ſolenniter fit, thurificentur tri-plici ductu.

Articulus V.

Benedictio agni & aliorum, die ſancto Paſchæ.

I. Agni Paſchalis.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, qui per famulum tuum Moyſen, in libe-ratione populi tui de Ægypto, agnum occidi juſſiſti, in ſimilitudinem Domini noſtri JESU Chri-ſti, & utrosque poſtes domorum de ſanguine ejuſ-dem agni perungi præcepiſti : tu benedicere †, & ſanctificare † digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus, per reſurrectionem ejusdem Domini noſtri JESU Chriſti. Qui tecum vivit & regnat, &c. ℟. Amen.

II. Avium & aliarum carnium.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS univerſæ Conditor creaturæ : qui inter cæ-teras diverſarum creaturarum ſpecies humano ge-neri

ſieri etiam volatilium genus, & reptilia munda ad uſum ex aquâ producere dignatus es: ex quibus Noë de Arcâ egrediens, holocauſtum tibi offerens placuit: & qui populum tuum ex Ægypto eductum, per Moyſen ſervum tuum munda ab immundis ſegregans, edere præcepiſti, te ſupplices exoramus: ut has mundarum avium carnes, quas fidelibus tuis ad uſum victualem conceſſiſti: bene † dicere, & ſancti † ficare digneris: ut quicunque ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantiâ repleantur, atque ad æternæ vitæ paſcua pervenire mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum ℟. Amen.

III. Lardi.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens, & miſericors DEUS, qui neceſſitatem humani generis prævidens, clementer adminicula temporalia contuliſti: te humiliter imploramus, ut bene † dicere digneris hoc lardum famulorum tuorum, ut quæ hîc tua miſericordiâ piè conſulit, noſtro merito non depereant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

IV. Caſei ex ovis, & butyri.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

BEne † dic Domine hanc creaturam caſei, qua ex adipe animalium producere dignatus es, a uſum hominum: ut quicunque fidelium tuorum in de comederint, omni benedictione cœleſti, & gr tiæ tuæ ſaturitate repleantur. Per Chriſtum Dom num noſtrum. ℞. Amen.

V. Ovorum.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℞. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

SUbveniat, quæſumus Domine, tuæ benedictioni † gratia huic ovorum creaturæ, ut cibus ſalubri fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione ſ mentibus, ob reſurrectionem Domini noſtri JESU Chriſti, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæcul rum. ℞. Amen.

VI. Novi Panis.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℞. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, Panis Angelorum, pan vivus æternæ vitæ, benedicere † dignare pane

iſtu

ſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto: ut omnes ex eo guſtantes, inde corporis & animæ percipiant ſanitatem. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Articulus VI.

Benedictio Vini in feſto S. Joannis Evangeliſtæ.

1. Sacerdos poſt Miſſam benedicturus, ſit caſulâ, &c. Extra Miſſam vero ſuperpelliceo & ſtolâ albâ indutus, atque vino & vaſis ante ſe poſitis & apertis, in cornu Epiſtolæ ſtans, dicit:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, cujus imperio cœli firmati ſunt, cui omnis creatura deſervit, & omnis poteſtas ſubjecta eſt, & metuit, & expaveſcit: nos te in auxilium noſtrum invocamus, cujus audito nomine ſerpens conquieſcit: draco fugit: vipera ſilet, & ſubdola illa, quæ dicitur rana, inquieta torpeſcit: ſcorpio extinquitur: regulus vincitur: ſqualangus nihil noxium operatur: & omnia venenata, & adhuc fortiora animalia noxia terrentur. Tu Domine extingue omnes diabolicas fraudes, & omnes humano generi adverſantes nequitias, & hunc liquorem vini per interceſſionem ſancti Joannis Evangeliſtæ tuâ virtute bene † dicito, & omnes ex eo guſtantes, meritis & precibus ſanctiſſimæ Dei Genitricis MARIÆ, & omniũ

Sanctorum tuorum intervenientibus, ab omni malo custodias, & ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, &c.

Oremus.

DEUS, qui mirabili potentiâ vinum producis ex vite, ut inde exhilaretur cor hominis, qui mirabili potentiâ in Canâ Galileæ, ad potandum nuptiali populo, aquam convertiſti in vinum: quique mirabiliſſimâ potentiâ per manus Sacerdotum, elementum vini quotidie in ſacratiſſimum tuum transformas Sanguinem. DEUS, cujus poteſtate Joannes Evangeliſta veneноſi potûs digeſſit toxicum, bene†dicere dignare hanc creaturam vini, ut omnes ex eo guſtantes, expulſo toto genere nocivo, infuſo tuæ benedictionis myſterio, in animâ & corpore mereantur miſericorditer exhilarari. Per Dominum noſtrum, &c.

Oremus.

BEati Joannis Evangeliſtæ, quæſumus, Domine ſupplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia æterna concede. Per Dominum noſtrum, &c. Et benedictio DEI Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti, deſcendat ſuper hunc liquorem Vini, & maneat ſemper. ℟. Amen.

2. *Deinde aſpergit aquâ benedictâ in modum crucis ut aliàs, nihil dicens.*

3. *Et ſi cum majori ritu fiat benedictio, per modum itidem crucis incenſat, nihil dicens.*

4. *Poſt hæc, ubi mos eſt, ſingulis modeſtè accedentibus in cornu Epiſtolæ vel opportuniore loco à miniſtris altaris in mundo profano vaſe, aliquid ex eo bibendum porrigitur.*

Articu

Articulus VII.

Benedictio & thurificatio domorum in Vigiliâ Nativitatis : in profeſto Circumciſionis : & in Vigiliâ Epiphaniæ Domini noſtri JESU Chriſti.

1. POſt *Veſperas Parochus, vel de ejus licentiâ alius Sacerdos, præcedentibus duobus Miniſtris ſuperpelliceo indutis, portantibus vas aquæ benedictæ cum aſpergillo, & naviculam cum thuribulo, indutus ſuperpelliceo & ſtolâ albi coloris ex Eccleſiâ modeſtè procedit ad domum, & ingrediens illam dicit : Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.*

2. *Tum aſpergit aſtantes domeſticos aquâ benedictâ in modum crucis, dicens :* Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, *&c. ut ſuprà*

3. *Deinde in principaliori vel alio commodo domûs loco ponit incenſum in thuribulum & illud benedicens, dicit*, ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis, Amen. *Et mox incipit dicens Antiphonam diei convenientem, ut infrà.*

4. *Poſtea lentè, graviter, & modeſtè, potiora, & magis præcipua domûs loca & cubicula, circumiens, more conſueto aquâ benedictâ aſpergit, & deinde thurificat, dicens, diſtinctè Pſalmum* Miſerere, & Magnificat, *& pro loci amplitudine repetit : cùm autem abſolvit incenſando, redit ad eundem priorem principaliorem locum : & proſequitur Antiphonam cum* ℣. Dominus vobiſcum, &c. *& oratione conveniente, ut infrà.*

5. *Quòd ſi duo adſint Sacerdotes, unus aſperget, & alter incenſabit ſequentia alternis verſibus recitando.*

6. *Caveat Parochus, ut inter hunc religioſum actum, nihil profanũ, aut impertinens, vel ipſe vel miniſtri admittant :*

mittant ; ſed finitâ incenſatione ſtatim ad Eccleſiam revertantur : neque ultrò ad thurificandum quiſquam ſe ingerat, niſi vocatus, & cum licentiâ Parochi.

§. I. *In Vigilia Nativitatis Domini.*

Antiph. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus : & manè videbitis gloriam ejus. *Pſalm. 50.* Miſerere mei DEUS, &c. *ut ſuprà pag. 70. Et canticum.* Magnificat, *ut ſuprà pag.* *In fine utriusque* Gloria Patri &c. *Quibus Pſalmis finitis, repetitur Antiphona*: Hodie ſcietis, &c. *Deinde ſubjungitur.* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus,

DEUS, qui hanc ſacratiſſimam noctem, veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere : da quæſumus, ut, cujus lucis myſteria in terris cognovimus, ejus quoque gaudijs in cœlo perfruamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum.
℟. Amen.

§. II. *In Profeſto Circumciſionis Domini.*

Antiph. Ecce MARIA genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit, dicens : Ecce Agnus DEI, ecce qui tollis peccata mundi, alleluja. *Pſalm.* Miſerere mei DEUS, &c. *cum cantic.* Magnificat, &c. *ut ſuprà.* *Quibus finitis repetitur Antiph.* Ecce MARIA, &c. *Et ſubjungitur.* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus,

Oremus.

DEUS, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ Virginitate fæcundâ, humano generi prœmia præſtitiſti, tribue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus Autorem vitæ ſuſcipere Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum.

℟. Amen.

§. *III. In Vigiliâ Epiphaniæ Domini.*

Antiph. Apertis theſauris ſuis, obtulerunt Magi Domino aurum, thus, & myrrham, alleluja. *Pſalm.* Miſerere, &c. Magnificat, &c. *ut ſuprà. Repetitur deinde Antiphona*: apertis theſauris, &c. *& dicitur.*

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, qui hodiernâ die Unigenitum tuum Gentibus ſtellâ duce, revelâſti: concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, uſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum.

℟. Amen.

Articulus VIII.

Benedictio generalis cujuscunque loci.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℞. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic † Domine DEUS omnipotens locum iſtum (*vel* domum iſtam) ut ſit in eo (*vel* in eâ) ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & manſuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & hæc benedictio † maneat ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo nunc & ſemper. ℞. Amen.

Et aſpergat aquâ benedictâ in modum crucis.

Articulus IX.

Benedictio contra inundationes, & incendia.

1. *COntra periculoſas aquarum inundationes, & incendia quæ flammis jam ingraveſcentibus, nullo humano auxilio ſopiri poſſe putantur: Parochus indutus ſuperpelliceo & ſtolâ albâ, procedet ad locum cum tribus miniſtris duo juxta crucem candelabra geſtantibus, ſubſequente univerſo populo, & DEUM deprecante:*

℣. Adjuva nos DEUS ſalutaris noſter.
℞. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

℣. Sal-

℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. DEUS meus ſperantes in te.
℣. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.
℟. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.
℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris: majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tuâ miſericordiâ confidentes, ab his aquarum (ignium) periculis, cæleſti protegas benignus auxilio, & aſſiduâ protectione conſerves: ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te ſeparentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

2. *Extendens manum ſuper aquas (flammas) & faciens ſignum unius tantùm crucis, dicit cantando:*

BEnedictio DEI Omnipotentis Patris †, & Filij, & Spiritûs ſancti deſcendat ſuper has aquas (flammas) eáſque coerceat clementer. ℟. Amen.

3. *Deinde eodem ordine, quo exivit, redit ad Eccleſiam.*

Arti-

Articulus X.

Benedictio ſalis & aquæ contra vermes & aves ſemina agrorum vaſtantes.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater Omnipotens, æterne DEUS, mitte Spiritum tuum Sanctum cum Angelis & Archangelis, cum Thronis, Dominationibus, & cum eis omnes Sanctos & electos tuos: ut defendant ſegetes noſtras à vermibus malis & avibus, & magnificetur nomen tuum in omni loco. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

BEne✝dic Domine hanc creaturam aquæ, ut fugiant vermes & volucres à noſtris ſegetibus, propter nomen Domini noſtri JESU Chriſti: quod invocatum eſt in ipsâ creaturâ meſſis, ut fiat alimentum omnibus, qui vivunt ex eâ. Per ChriſtumDominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſperguntur agri aquâ benedictâ.

Articulus XI.

Benedictio Tempeſtatis, quæ ſingulis diebus poſt Sacrificium Miſſæ fieri ſolet à Feſto Inventionis S. Crucis uſque ad Feſtum Exaltationis S. Crucis.

℣. A fulgure & tempeſtate.
℟. Libera nos Domine JESU Chriſte.

℣. Fiat

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

A Domo tua, quæſumus Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

QUæſumus Omnipotens DEUS, ut interceſſione S. DEI Genitricis MARIÆ, & ſanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Viduarum, atque omnium Sanctorum tuorum continuum nobis præſtes ſubſidium, tranquillam auram permittas; atque contra fulgura & tempeſtates deſuper nobis indignis tuam ſalutem effundas de cælis, & generi humano ſemper æmulas, dexterâ potentiæ tuæ, aëreas conteras poteſtates.

DEUS, qui omnium rerum tibi ſervientium naturam, per ipſos motus aëris ad cultum tuæ majeſtatis inſtituis, tranquillitatem nobis tuæ miſericordiæ; remotis aëris terroribus permanere permittas, ut cujus iram expavemus, clementiam ſentiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Articulus XII.

Benedictio ad repellendam Tempeſtatem.

PUlſantur Campanæ, & dicuntur Litaniæ de omnibus Sanctis, in quibus bis, vel ter, dicitur:

A ful-

A fulgure & tempeſtate.

Poſt Litanias, & Orationem Dominicam.

Pſalmus 147.

LAuda Jeruſalem Dominum : lauda DEUM tuum Sion.

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum : benedixit filijs tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem : & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ : velociter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam : nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas : ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea : flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum ſuum Jacob : juſtitias, & judicia ſua Iſraël.

Non fecit taliter omni nationi : & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Gloria Patri. Sicut erat &c.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Adjuva nos DEUS ſalutaris noſter.

℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Fiat

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. Salvum fac populum tuum Domine.
℟. Et benedic hæreditati tuæ.
℣. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentiâ.
℟. Domine DEUS virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEUS, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placâris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris eremur, averte.

Oremus.

A Domo tua, quæſumus Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas mpeſtatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, parce metuentibus, propitiare ſupplicibus, ut poſt noxios iges nubium, & vim procellarum in miſericordiam anſeat laudis comminatio tempeſtatum.

Oratio.

Oratio.

DOmine JESU, qui imperaſti ventis, & mari, & facta fuit tranquillitas magna, exaudi preces f milıæ tuæ, & præſta, ut hoc ſigno ſanctæ Cru† omnis diſcedat ſævitia tempeſtatum.

Oratio.

OMnipotens, & miſericors DEUS, qui nos, & c ſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas: pr ſta ſupplicibus tuis: ut & tranquillitatibus opta conſolationis lætemur, & dono tuæ pietatis ſemp utamur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum lium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate S ritus ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

INDEX CAPITUM.

Et Ordo rerum, quæ in hoc libri Ritualis Com pendio continentur.

fol.
Cap. I De Profeſſione fidei. 1
Cap. II. De Sacramento Baptiſmi. 3
Cap. III. De Sacramento Confirmationis. 3
Cap. IV. De Sacramento Pœnitentiæ. 4
Cap. V. De Sacramento Eucharistiæ 5
Cap VI. De Sacramento Extremæ Unctionis. 9
Cap. VII. De Viſitatione Infirmorum. 17
Cap. VIII. De Moribundis juvandis. 18
Cap. IX. De Sepultura Mortuorum Adultorum. 19
Cap. X De Sepultura Parvulorum Baptizatorum. 19
Cap. XI. De Sacramento Matrimonij. 21
Cap. XII. De varijs Benedictionibus.

F I N I S.